Annales [illegible]

106

Zeldzaam

# ANNALIVM PHRISICORVM LIBRI TRES:

*Quorum primus de Principibus,*
*Alter de Ducibus,*
*Tertius de Regibus tractat.*

AD

*Ampliſ. Nobiliſ. ornatiſſimoſq;*

ORDINVM FRISIAE NOVEM-VIROS
*Reipub. gubernandæ præpoſitos.*

Auctore
BERNARDO FVRMERIO
Leovardienſi Phriſio.

Θεοῦ διδόντος, οὐδὲν ἰσχύει φθόνος,
Καὶ μὴ διδόντος, οὐδὲν ἰσχύει κόπος.

FRANECARÆ,
*EXCVDEBAT*
AEGIDIUS RADAEUS,
*Ordinum* FRISIAE *Typographus.*
1609.

# Ad Ampliſs. Nobiliſs. ornatiſsimoſq;
# ORDINVM FRISIÆ
## NOVEM-VIROS
*Reipublicæ gubernandæ Deputatos dominos ac Mæcenates ſuos.*

AMPLISSIMI Nobiliſs. ornatiſſimiq; domini ac Mæcenates, cùm C. Julius Cæſar, qui primus Romanorũ imperator perpetuus eſt dictus, à ſubacta Gallia Romam peteret, ut ſe, ſuamq; dignitatẽ armis tueretur, quam iniquitate adverſariorũ bonis rationibus, quod armis eſt oppoſitũ, obtinere non potuerat; perveniſſetq; ad amnem Rubiconem, ſuæ provinciæ terminũ, ubi ſubſiſtere, Senatuſconſulto jubebatur: Eamus (inquit) quò Deorum oſtenta & inimicorum iniquitas vocat: Iacta eſt alea: eo dicto Rubiconẽ tranſiens. Ego quidem in hac parte cum Cæſare non conferendus, nec patriam, ſicut ille oppreſſurus, ſed potiùs ornaturus pro virili, hoc tempore idem dicere non ineptè queã, me nempe iniquitate obtrectatorũ, cogi, ut prȩter propoſitũ meum periculoſæ plenum aleȩ opus atq; facinus aggrediar. Conſtitueram enim apud me lucubrationes

meas in mortis uſque tempus domi premere, ut invidiæ morſibus me ſubtraherem, & ne identidem compellerer apologias & earum hyperaſpiſtas conſcribere & in vulgus emittere. Verumenimverò, quoniam longiorem mihi largitur vitam Deus, quàm ſperaveram, & obtrectatores illi à me, tanquã à Mercenario rationes exacti temporis, præter rationem apud doctos & in hujuſmodi negotiis uſitatam exigunt: Ecce vobis offero, dedico atq; meritò libens conſecro Annaliũ Friſicorum tres libellos, de Principibus, Ducibus, atq; Regibus veſtris, mediocri ſtilo ad patriæ decus atque honorem à me citra adulationem confectos, & unà cum Cęſare evẽtum omnem expectaturus, verecundè proloquor, jacta eſt alea: Deumque immortalem obnixè precor, quoniam ipſe ſortes dirigit atque temperat, uti eis non canem infelicem, ſed fortunatum ſenionem benigniter elargiri velit. Quandoquidem verò omnia noſtra in manu omnipotentis conſiſtunt, nihilque ſine ipſo homines miſeri poſſunt: Ipſe autem cuique rei ſuam tempeſtivitatem donat, in bonam ſpem erigor hanc meam in hiſtoria opellam vobis acceptam fore, idq; eo magis, quòd hujus editionẽ & ipſi urgetis, & ſumptu ſuppeditato promovetis. Auctor eſt divinus ille philoſophus Plato Lacedæmonios Peloponeſi incolas valde quidem fuiſſe natura generoſos, ſed tamen omnes artes humaniores pro nihilo habuiſſe, contempſiſſe leges & inſti-

ſtuta

ſuta aliorum populorum ſuis contentos, ignoraſſe Aſtronomię & Geometrię decreta, militarem diſciplinam tenuiſſe ſolam: eoſdem tamen ait, attentè audire ſolitos ſtirpes heroum atque hominum & habitationes: ut urbes quondam exſtructæ ſint, ac ſummatim omnem antiquitatis hiſtoriam. *In Hippia majore.* Majores veſtri virtute bellica Lacedæmoniis non inferiores, imò corporum robore ac magnitudine ob cœli ac ſoli conſtitutionem longè præſtantiores fuerunt, etiamſi eorum fama, hujus extremi littoris Germanici anguſtiis pręcluſa, orbi Romano aut Græco, non uſquequaque innotuerit, hoc certè nomine Lacedęmonios vicerunt, quòd non ſolùm militiæ labores fortiter tolerarunt, verùm etiam omnes artes humanitatis diligenter legerunt, didicerunt, excoluerunt, quódq; multi illorum eas ipſas artes alios docuerunt, & doctorum titulos atq; pręmia in omni diſciplinarum genere publicitus ſunt adepti: qui toti mundo ob hoc ſunt notiſsimi. Quorũ veſtigia cùm vos gnaviter ſequamini, dum & bello gerendo & bonarum diſciplinarum ſtudia excolendo cõmunis patriæ famam per univerſum terræ orbem laudabiliter extenditis; Quidni & ego de veſtra erga me & opellam meam hanc benevolentiã bene ſperem, qui majorum veſtrorum origines, progreſſus & incrementa, nec non & eorum res domi atque belli præclarè geſtas bona fide commemorem? Cognoſcetis hic archegum gentis no-

num Chriſti ſeptingenteſimum ſeptuageſimum quintum continuata genealogia, perſonis, temporibus ac locis ita inter ſe apta & cum externis congruens, ut nullum de ſe dubitandi indicium faciat vel maximè vos delectabit: ideoque ingentes non tantùm illis (ſat ſcio) habebitis gratias, qui iſta primùm in literas retulerunt, ſed & mihi, qui contemptis malignorũ argutatorũ jurgiis aut potius conviciis ea meis laboribus expolire pro modulo ingenii vel tenuiter ſum conatus. Quid enim magni faciã illorũ malè feriatorum hominum indignationem, qui bonis viris atq; priſcis ob externas eaſq; frivolas perſonarũ circunſtantias fidem detrahere ſatagunt, eo quod, qui iſta prodiderunt primitus ſibi ſint obſcuri & ignoti: quod alter eorũ fuerit muſicus & in templis organo, ut vocant, operatus: haud intelligens in ſcriptore ſpectari non ejus genus aut artificium, quod in vita privata exercuerit, ſed animum, quàm fuerit ille veritati deditus & an ſimpliciter ſcribat abſque fucis & coloribus undique conquiſitis ad rei geſtę fuſcationem. veritatis ſermo ſimplex eſt atque candidus, qualis apud noſtrates reperitur, non obtrectat alteri, non calumniatur, non conviciatur, non adulatur, non ſe jactat quemadmodum argutatores iſti faciũt: qui cùm noſtrates hujuſmodi ſuis artibus impudenter oppugnant, non ſentiũt ea re etiam ſuam auctoritatẽ ac fidem apud bonos periclitari ac naufragium facere. Romanæ hiſtoriæ

princi-

principes ſcriptores ſicut & Græcanicæ, teſte Cicerone, ab initio eloquentiæ rudes fuerunt: breves tantùm rerum geſtarum notas ac conſignationes temporum fecerunt. Eratque hiſtoria (ait Cicero) nihil aliud niſi annalium confectio. Res omnes „ ſingulorum annorum mandabat literis Pontifex „ maximus, efferebatque in album & proponebat ta- „ bulam domi, poteſtas ut eſſet populo cognoſcendi: „ ii qui etiam nunc Annales maximi appellantur. „ Hanc ſimilitudinem ſcribendi multi ſecuti ſunt, qui „ ſine ullis ornamentis, monimenta ſolùm tempo- „ rum, hominum, locorum geſtarumque rerum re- „ liquerunt. Itaque qualis apud Græcos Pherecy- „ des, Hellanicus, Acuſelaus fuit: talis Cato apud „ Latinos & Pretor & Piſo, qui neque tenent, quibus „ rebus ornetur oratio, & dum intelligatur quid di- „ cant, unam dicendi laudem putāt eſſe brevitatem. „

Itaque tales fuêre primi hiſtoriarum auctores apud Romanos atque Græcos, qui ſoli ſibi videbantur ſapere, reliquoſque mortales omnes ut barbaros & à literis ac humanitate alienos contemnebāt. Si cum his noſtrates conferantur, nonne & eandem laudem atque fidem cum illis ſortiri debeant? eodem enim & noſtrates tēpora, locos, perſonas réſque geſtas breviter annotarunt, quemadmodum illi Latini atque Græci. Nimis in nos iniqui ſumus ſi quod in aliis externis approbamus, id in domeſticis exiſtimemus intolerabile. Quò autem melius

intelligatur, quanti faciendi ſint hujuſmodi annalium confectores, libet hic ſubjicere clariſsmi viri Iohannis Cuſpiniani judicium, qui cùm eſſet Maximiliano primo imperatori à conſiliis & hiſtoriis, Chronica Ottonis Friſingenſis à ſe Viennæ Auſtriæ reperta primus edidit, & reverendo patri ac domino D. Iacobo de Sanniſiis ejuſdem imperatoris conſiliario ac Secretario dedicavit. Is in epiſtola dedicatoria inter cætera ſcribit in hunc modum:
„ Nihil autem moror illos, qui in iis (annalibus) elo-
„ quentiam deſiderant & veritatem faſtidiunt, quæ
„ plærumque ſyncerior eſt in nudis annalibus illis,
„ quàm in phalaratis hiſtoriis, ubi omnis opera in
„ excolenda hiſtoria inſumitur & veritas flocci habe-
„ tur. Scripſit Otto noſter apertè, & ut tempora fe-
„ rebant, ſine verborum lenocinio, ac interdum, quo
„ res forent apertiores, patria inſeruit vocabula, quod
„ magni ingenio viri haud improbant, quibus res
„ cordi ſunt. Habent enim ſingula ſæcula ſuum lo-
„ quendi morem. Et apud Romanos ingens olim e-
„ rat loquendi differentia ac diverſitas. Quod non
„ tam Gellius, quàm cæteri diligentiſsimè obſerva-
„ runt. Nimis igitur delicati ſunt ſtomachi qui in om-
„ nibus exactam exigunt eloquentiam. Quam profe-
„ ctò, ſi adſit, maximoperè laudo, ſi abſit, dũmodo res
„ ipſæ clarè innoteſcant, non ob id auctores rejicio;
„ quibus fortè animus fuit res ipſas ſimpliciter, ut paſ-
„ ſim ab õnibus intelligerẽtur, enarrare ac ꝑſcribere.

Si-

Si eadem Cuſpiniani æquabilitate in dijudicandis aliorum ſcriptis uteremur omnes, ſophiſtica argumentũ non inveniret, in quo ſe jactaret: nunc quia aliorũ iniqui cenſores ſumus, apud nos rixæ vigent ſed plærumq; de lana, quod dicitur, caprina. Equidẽ libẽs fateor me ſtatumina hujus meę hiſtoricę cymbæ ab Occone Scarlenſi aut ejus interprete Andræa Cornelio organiſta, ut vocãt, mutuatũ, tabulas verò atq; ferramenta, quibus compacta eſt, aliunde comportaſſe à naupegis bonæ fidei atq; notæ, quæ cùm veſtris auſpiciis atq; juſſu nunc è portu ſolvat, exeat ſanè bonis avibus. Iterum dico, jacta eſt alea.

Vos interim Ampliſs. Nobiliſs. ornatiſsimiq; domini ac mæcenates ſuppliciter oro & obteſtor ut hanc qualemcumq; meum laborem ad communis patriæ decus & honorem ſedulò impenſum æqui boniq; conſulere, méq; clientem veſtrum ſolita benignitate veſtra adverſus obtrectationes & calumnias invidorum ſublevare velitis, quam ſi ſenſero, dabo viciſsim diligenter operam ut reliquias hiſtoriæ quàm citiſsimè abſolvam & in publicum emittam. Faxit Deus, qui veſtram gubernationẽ populo vobiſq; ſalutarẽ quàm diutiſsimè cõſervare dignetur. Leovardiæ ex Muſæo noſtro 7. Kal. Martii an. 1609.

V. A.

*Obſervantiſsimus Cliens*

BERNARDUS FURMERIUS

*Leovardienſis Friſius.*

IN

*Cl. viri*

# BERNARDI FURMERII

*legitimi & ordinarii Friſiæ*

# HISTORICI

*primam* ANNALIUM *partem.*

ANNALES FRISIÆ *primaque ab origine gentis,*
ARCHEGOS *populique duces, & regna bicorni*
*Proxima ( depulſis vi Suevis ) condita* RHENO,
*Atque armis extenſa novi Pomœria Regni,*
*Bellaque cum Danis pro libertate Tyrannis,*
*Donec Caucigenis conjuncti fœdere Francis*
*Mutua cum Carulo contra hoſtes junximus arma,*
*Omnia quod calamo nobis vivace retexis*
FURMERI VENERANDE SENEX, *pro talibus auſis,*
*Proque tuis meritis quas ſolvet* PATRIA *grates ?*
*Quid ſat erit? Non ſi* STATUAM *ex meliore metallo*
*Conſecret & crines quernâ tibi fronde coronet*
*Ob tot* SERVATOS CIVES, *quos eripis altis*
*E tenebris, diaſque refers in luminis oras.*
*Perge precor, nec te tantis abſiſtere ceptis*
*Cogat livor edax, ſtolidique ingratia vulgi.*
*Crede mihi invidiam conſtans, & vivida virtus*
*Vincit, & è tumulo major tibi gloria ſurget,*
*Et quæ non præſens ingrata rependerit ætas*
*Præmia, poſteritas olim tibi grata rependet.*

SIBRANDUS SICCAMA I.V.D.

# PROPOSITIO

## Totius Operis.

CVm plurimæ ſint & diverſæ (benigne lector) rerum tradendarum formæ; multis ſane nominibus illa ſemper maxime diligentiſsimis Hiſtoriographis placuit, quæ annalium nomine celebratur: Vt cumque enim ſcribentis inſtituto convenerit, ita illa vel copiæ, vel brevitati ſervit. Nam & ad collationem Hiſtoriarum domeſticarum & externarum faciendam accommodatiſsima eſt, dum ejuſdem ætatis acta, quamvis longiſsima locorum intercapedine diſjuncta, tempore conjungit: Et ad prudentiam confert plurimum, cum exempla virtutum & vitiorum multiplicia ſuppeditat: inventioniſque rerum & memoriæ ſupra modum conducit, dum certis ſpaciis ea-

*Hiſtoria optime traditur annalib.*

*Res Pruſſiorum cũ vicinis cõferendæ.*

rum terminos circumſcribit & aberrare lectorem cognoſcendi avidum non patitur: unde & narrandi certitudine præſtat, dum momenta temporum omnia admittit. Cupientibus igitur nobis, majorũ noſtrorum res geſtas poſteritati commendare, non aliâ melius, quam annalium ratione id poſſe fieri viſum fuit. Nam cum res noſtræ ſcriptorum penuriâ pœne jam obliteratæ ſint, neceſſaria nobis eſt exterarum & præcipue vicinarum Hiſtoriarum collatio, non modo propter mutua commercia ipſarum gentium, ſed etiam, quod acta multa, quæ noſtratium propria, exteris tribuantur, quæ vindicari rectius non poſſunt, quam ratione temporum. Deinde cum Francorum & reliquorum Germanorum omnium Hiſtoriæ ad Carolum Magnum uſq; ferè ſint incertæ, æræ phriſonicæ certitudo æræ Græcanicæ & Romanæ collatione declaranda eſt; quod fieri expeditius non poteſt, quam, ſi temporũ intervalla æqualibus annorum ſpaciis utrimque ex pendantur. Annalium igitur libris res à Phriſiis geſtas, ab ipſo inde Friſiorum primo adventu, uſq; ad inteſtinos Belgii motus, qui ſub Philippo ſecundo Hiſpaniarum rege contigerunt, deſcribemus. Hoc interſtitium annos mille octingentos & ſeptuaginta novem continet: ejuſque intervalla notabili reipubl. mutatione apud Friſios diſtincta ſunt. Friſii enim ad Carolum magnum uſque ſub Monarchia egerunt:

*Hiſtoria Phryſiorũ annis concluditur.*

egerunt: qua durante præfuerunt illis ab initio viciſsim ſeptem principes: deinde totidem duces; & poſtremo novem reges. His enim dignitatum gradibus nos in præſentia ad inſtitutum noſtrum diſtinguendi gratia utemur; quandoquidem rerum ſeriem talem fuiſſe exiſtimamus, etiamſi earum nomina in uſu non fuerint. Horum autem continua ſucceſsio annorum mille & octuaginta octo exactã chronologiam ſubminiſtrat. Sublata verò Friſiorũ Monarchiâ, Carolus magnus Friſiam fecit provinciam Francorum, quam per ſuos præfectos adminiſtravit: quos tamen niſi duos illic habuit, qui ſimul expleverunt annos triginta, quorum ultimus in annum Chriſti octingenteſimum octavum incidit. Eo enim anno Friſii libertate ſua primum frui cæperũt, ſed vix eo vertente a Gotrico Danorum rege tribus præliis victi in ſervitutem teterrimam reciderunt: à qua tandem anno octingenteſimo decimo quinto liberati & à Ludovico pio Caroli filio in integrum reſtituti ſunt. Hoc demum tempore Friſii ariſtocratiam elegerunt, uno tamen conſtituto velut Dictatore, quem ipſi Poteſtatem appellarunt; cui belli tempore, ut militiæ duci parebant & magiſtratum, licet annalis eſſet, non raro ob juſtas cauſas in plures annos prorogabãt. Hac reipub. forma uſi ſunt Friſii annis continuis ſexcentis nonaginta & octo, hoc eſt uſque ad Albertum Saxoniæ

*Friſia Francorũ provincia a Carolo Magno.*

*Phriſii in integram libertatem reſtituti a Ludovico Pio.*

ducem: qui Friſiam rurſus in provinciam redegit anno Chriſti 1498. & abolitis legibus Friſonicis per Saxonicas gubernavit. Ante hujus tamen ducis adventum, Friſia centum ferme annorum ſpacio, factionibus inteſtinis ita eſt tumultuata, ut legibus oppreſsis interim mera illic Anarchia eſſet. Ab anno autem Chriſti 1498, quo gubernatores hæreditarii in Friſia poteſtatibus ſucceſſerunt annalibus; ad annum uſque Chriſti 1566. quo bellum inteſtinum in Belgio cœpit, effluxerunt anni ſexaginta & octo. Annales itaq; noſtros ad hæc uſque tempora, ſi vita ſuppetet, extendemus: in quibus & rerum ipſarum & eorum, qui his præfuerunt, accurata chronologia non modo indigenis certam facilemque cognitionem: verum etiam extraneis expeditam collationem actorum memorabilium exhibebit. Quod quidem quo majori cum cõmodo ſuo lector conſequatur, in primis operam dabimus, ut ad publicam epocham Græci ac Romani imperii, uti diximus, epocham noſtram ubique accommodemus. Deinde etiam advigilabimus, ut gentium vicinarum principes, quantum quidem in nobis erit, noſtris conjungamus, ut eorum collatio temporibus certitudinem, actis vero majorem fidem conciliet. Toto autem opere id nobis propoſitum erit, ut veritati ex officio incumbamus, auctoribus utamur fide dignis, acta ubique ſincere referamus,

*Annales noſtri uſq; in annum 1566. extendẽtur.*

nullius

nullius gratiam, nullius indignationem curemus, ex affectu noſtro nihil affirmemus aut reſutemus, & ſi (quod humanum eſt) alicubi a vero aberraverimus, libenter auſcultaturi ſumus veriora docentibus. De quo ſemel hic in univerſum proteſtamur. Stilo autem in his utemur ita modificato, ut ab omnibus poſsit intelligi, ne, ſi aliter fiat, ipſi interpretes alio interprete egeamus. Neque enim probamus quorundam antiquariorum morem, qui dum acute conantur dicere, Lectori tenebras offundunt, & quem allicere elegantiâ ſermonis debebãt, obſcuritate quæſitâ abigunt ac deterrent. Vt autem ſpecimem aliquod futuri operis (benigne lector) habeas, exhibemus hic annalium libellos tres, quorum primus de Principibus, ſecundus de Ducibus; tertius de Regib. inſcribitur; qui ſimul annos mille & octuaginta octo complectuntur: his fruere & conatus noſtros tua benevolentia juva ac vale.

*Stilus annalium qualis.*

# Argumentum libri primi.

*Libro primo annalium Principes recitavimus, qui apud Friſios imperaſſe commemorantur. Vocamus autem principes ex more Germanorum, qui apud Tacitum deſcribitur, eos qui in civitate aliqua primum locum obtinent & à reliquis obſervantur ad commodum ſuum: qui è re populi imperant, & quaſi patres reipublicæ primis fuere temporibus. Tales apud Friſios fuiſſe perhibentur ſeptem ordine ſibi viciſsim ſuccedentes hoc modo.*

1. *Phreſo primus phreſiorum princeps atque conditor natione Perſa, tribu Germanienſis, gubernationem ſuſcepit ante natum Chriſtum anno 313. eamque tenuit continuis annis 68, vita defunctus ante Chriſtum natum 245.*

2. *Adel ſecundus Friſiorũ princeps, eodem anno ſuccedens præfuit annis 94. & mortuus eſt anno ante Chriſtum 151.*

3. *Ubbo tertius Friſiorum princeps, eodem anno ſuccedẽs, præfuit reipubl. annis 80. & mortuus eſt ante natum Chriſtum 71.*

4. *Aſinga Aſcon quartus Friſiorum princeps eodem anno illi ſuccedens præfuit annis 82. & mortuus eſt poſt Chriſtum natum anno undecimo.*

5. *Diacorus Segon quintus Friſiorum princeps eodem anno illi ſuffectus præfuit annis 35. defunctus anno Chriſti 46.*

6. *Dibbaldus Segon ſextus Friſiorum princeps illi mox ſuccedens præfuit annis 39, mortuus anno Chriſti 85.*

7. *Tabbo Friſiorum princeps ſeptimus illi anno eodem ſubſtitutus, præfuit annis 45. mortuus anno Chriſti 130.*

Hi ſeptem principes ſimul expleverunt 443. annos.

# Annalium Friſicorum

## LIBER PRIMVS

## *Qui de Principibus inſcribitur,*

### CAP. I.

*De Phreſone Friſiorum archego.*

QVI de rebus Friſiorum hactenus citra invidiam ſcripſerunt, illi omnes unanimi cōſenſu à quodam Freſone vel Friſone viro principe, cum regionis, tum populi nomen deduxerunt: quandoquidem ipſa nominis conjugatio id molliſsime admittat. Friſonem vero ipſum alii natione eſſe Indum voluerunt, alii Phrygem, alii neſcio quem ex Iudæis, omnes ſane ex Aſia oriundum. Ego autem ſalvo aliorum judicio ipſum natione Aſiaticum, gente Perſam, tribu Germanienſem exiſtimo: idque adductus rationibus in ſpeciem quidem valde ſimplicibus nec longe petitis: verumtamen meâ ſententiâ veris. Nam etſi in antiquitatibus pleriſque tanta ſit obſcuritas, ut etiam populi elegantes & docti, de earum difficultate conquerantur, ideoque nec eſſet mirum ſi Phriſii Germanorum ad occidentem ultimi, de initiis rerum ſuarum dubii, eandem querimoniam inſtituerent; tamen origines Phriſiorum quamvis valde antiquæ, meliore loco ſunt, quam ut de earum obſcuritate valde conqueri debeamus. Athenienſes totius Græciæ ut armis, ita literis ſemper fuerunt habiti principes: iidem de Theſeo gentis conditore deque ſua urbe, tam incerta prodiderunt, ut Plutarchus

*Phriſo cujas ſit.*

tarchus

tarchus Chæronæus neſcire ſe dicat, quid in iis potiſsimum ſit credendum. idem de Roma, inquit, non liquere a quo urbi ſit impoſitum nomen & quam ob cauſam. Si de Phriſiis idem ego dicerem, haberem fortaſſe & ipſe cauſam, cur ita dicerem. Sed cum iſti populi diverſos ſcriptores ſint nacti, quorum quiſque pro ingenii ſui facultate conatus eſt hiſtoriam contexere, non tam ad normam veritatis, quam ad gentis & populi laudem atque gloriam; conſequenter evenit, ut eorum origines in diveria ſint diſtractæ: Phriſiis vero aliter obtigit, dum longe ab orbe Græco & Romano ſepoſiti, ipſorum fabulamentis occaſionem dare nequiverunt. Quocirca & ſimplex eſt apud Phriſios de ipſorum origine narratio & tantum explicatione verborum ſimplici indigens. Omnes enim illorum hiſtorici uno ore ſcribunt Phriſios cum Saxonibus ex Aſia poſt mortem Alexandri magni in haſce ſuas ſedes deveniſſe: & Saxones quidem a Saxone ipſorum duce, Phriſios vero a Phriſone nomina fuiſſe ſortitos. Illud autem ſolummodo quæritur, quinam fuerint illi populi in Aſia, qui Saxones & qui Phriſones ſint vocati. Quod cum hactenus latuerit, operæ precium me facturum arbitror, ſi breviter elucidavero. Noſtrates Monachi in India nugantur eſſe inſulam, cui nomen ſit benedicta Phreſia: ex qua poſt prædicationem divi Thomæ ejecti ſint tres fratres, cum propinquis & clientibus ſuis Phriſo, Saxo & Bruno, qui Gentibus hiſce Germanicis nomina attulerint. Saxones vero de Phriſone & Brunone tacent: ac ſuam gentem ex Aſia tantum & non ex India deducunt: addunt tamen notam ſingularem, quæ diligenter inſpecta facem Hiſtoricæ veritati prælucet illuſtrem. Cum enim ſpeculum Saxonicum, quo nullum extat ſcriptum de hac re antiquius, lib. 3. artic. 44. dixiſſet: Majores Saxonum poſt obitum Alexandri magni Aſiâ ceſſiſſe ob metum populorum, quos Alexandro imperante

unà oppreſſerant: addit gloſſa eos ex Cilicia oriundos, in qua habitaverit Petrocolus, hoc eſt, ut ipſa interpretatur, turris lapidea; Nam etſi eadem gloſſa pluribus verbis rem eandem involvat & quaſi ænigma conſtruat: hoc tamen in effectu vult dicere, Saxones à Saxis & ſilicibus habere nomen & quidem ab ea regione, in qua ſit famoſa illa turris lapidea, quam ipſa Petrocolum appellat. Gloſſa quidem prima fronte videtur nugari & ambiguitate vocabulorum lectori imponere, dum inter Cilicem per C. literam & Silicem per S nullum diſcrimen facit. Sed ſi rem, quam notat, diligenter inſpicias, indicem habet veritatis jucundiſsimum. Significat enim Saxones eſse petrocolos, id eſt ejus regionis cultores, ubi Petra ſit & turris lapidea: quæ nuſquam alibi terrarum in tota Aſia reperitur, quàm apud Sacas gẽtem Scythicam, ſed Perſarum Iuriſdictioni ſubditam, ut præter Ptolomæum & Marcellinum etiam Herodotus eſt auctor antiquiſsimus. Ptolomæus libro Geographiæ ſexto cap. 13. Sacarum regionem particulatim deſcribens, eam ait ab occaſu Sogdianos, à Septentrionibus & oriente Scythia, à meridie autem monte Imao terminari: in ea eſse turrim lapideam, quæ habeat gradus 135—0.4—30. Incolas eſse Nomades, civitates non habere; nemora & ſpeluncas incolere. Marcellinus autem libr. 23. ait in deſcriptione Perſidis: his contigui ſunt Sacæ, natio fera, ſqualentia incolens loca, ſolo pecore fructuoſa; ideo nec civitatibus culta: cui Aſcaminia mons imminet & Comedus: præter quorum radices & vicum quem Lithinon pyrgon appellant, iter longiſsimũ patet mercatoribus pervium ad Seras ſubinde commeantibus. Hactenus Marcellinus. Hic videmus turrim lapideam à Marcellino Pyrgon Lithinon Græco vocabulo dici eodem ſenſu. Dicit igitur hęc gloſſa de Saxonibus idem; quod Philippus Melanthon, Caſpar Peucerus, Remerus Reineccius & alii viri docti hactenus de

*Saxones à Sacis gente Scythica oriũdi.*

Pomp: Mela 3.5 ōes Scythas Sacas [illegible]

*Apud Sacas turris lapidea, quæ gloſſæ ſpeculi Sacxonũ petrocolus*

de illorum origine ſunt ſuſpicati, eos nempe populũ eſſe Aſiaticum à Sacis ortum, quod hactenus ante me nemo animadvertit. Quamobrem & ejus auctoritas tanto gratior nobis erit, quanto cum Doctorum judiciis ea magis conſentit. Certum porro eſt Sacas, qui nunc Saxones dicuntur, eo tempore cùm in has terras devenerunt, non fuiſſe populum ſui juris, ſed Perſis ſubditum, illoq; Perſas uſos in omnibꝰ expeditionibus, tam maritimis, quàm terreſtribus propter robur & virtutem ipſius. Negari autem nequit in claſsibus apparandis requiri non ſolùm ſocios navales atque remiges: ſed eſſe etiam ibi præpoſitos, qui claſſem, qui militem, qui commeatum inſtruant, regant & contineant: Illos item non ex plebe ſed ex Nobilitate plerumque deſumi ſolitos, tam eſt notum, ut tãtùm indicare ſufficiat. Ejus rei exemplũ apud Herodotũ
" extat in expeditione Xerxis contra Græciam: In omnibus
" (inquit) navibus Epibatæ erant Perſæ & Medi & Sacæ,
" quarum velociſsimas præbuere Phænices, optimas Sido-
" nii. Deinde ſubjungit, Bactriis & Sacis præerat Hiſtaſpes
" Darii filius & Atoſſæ Cyri filia. Deſcribit deinde Sacas ab
" ipſorum armatura atque habitu: Sacæ (inquit) qui Scy-
" thæ ſunt, criſtatas in capitibus caſsides geſtabant in acu-
" tum erectas & compactiles, induti femoralibus, nec non
" arcus gentiles atque pugiones, ad hoc dolabras ac bipen-
" nes. Hos cùm ſint Scythæ Amurgii, Sacas appellabant,
" quod cunctos Scythas Perſæ Sacas appellent, Quæ Hero-
doti de Sacis expreſſa armatura, cum etiam nunc Saxonibus, optimè congruat, acquieſcamus gloſſæ & Doctorũ virorum judiciis, qui Saxones à Sacis deducunt, credamuſque Saxones non alios, quàm Sacas Aſiæ populum. Audeamus etiam dicere Phriſios eorum ſocios vel potius ductores à Perſis originem trahere, eò quod Herodotus & Marcellinus dicant Perſas Sacarum fuiſſe Dominos, idque primis atque ultimis temporibus ex ætate

*Sacæ Perſis ſubjecti.*

hiſtori-

hiſtoricorum illorum computandis. Neque enim de intermedio dubitare poſsumus, ſi extrema conveniant. Cùm igitur Herodotus ſit auctor, Epibatas navium Perſicarum fuiſſe Perſas, Medos & Sacas, & Marcellinus ex profeſſo ſcribat tempore Iuliani Cæſaris, Sacas etiam Perſis ſubjectos, & eorum militiam ſecutos fuiſſe, quid ni dicamus & in hac Claſſe, quæ tempore Alexandri magni Perſarum fuit, præcipuos fuiſſe Perſas & quidem ex tribu Germanorum, quæ item apud Herodotum inter Perſas connumeratur? Perſas autem eſſe Phriſios multa eſſent indicia, ſi pace calumniæ loqui liceret. Nam ut ſuperiora non repetam, de militiæ præfectura Perſis debita: ita tacere nequeo Phriſios apud antiquos ſcriptores præcipuè Germanicos, & Saxonem Grammaticum Danorum Hiſtoricum, Phreſos dici & Germanicè Freſen, & levi literarum tranſpoſitione ex Perſa fieri Preſa & aſpiratione adjecta Phreſa, quemadmodum vulgo apud ſnos appellatur. Quæ mutatio cùm exemplis non careat, rejici profectò temere non debet. Sic enim antiquum vocabulum ferd, mutavimus in fred, hors in ros, Bron in born, vorſt in vroſt, literas tranſponendo, cùm pacem, equum, fontem, frigus ſignificare volumus. Sic Perſæ Garm dixerunt, quod nos Gram & Garf pro Graf, iram & foſſam ſignificantes. Obſervaſse quoque mihi videor Germaniæ ſignificatum, ut & Aſiæ atque Africæ eſse duplicem. Nam ut Aſia in genere ſumpta tertiam orbis partem denotat, quod & Africa facit: ita in ſpecie poſita partem partis deſignat quæ Aſia minor & Africa propriè appellatur. Idem & de Germania uſu venit, ut & generatim ſumatur pro tota regione, quę Rhenum, Danubium, Viſtulam & Oceanum ſeptentrionalem interjacet, & pro parte ejus, quę Rheno & Albi concluditur oceano proxima. Hinc Cornelius Tacitus ait Germanos olim Gambrivios, Marſos, Suevos, Vandalos, Tuiſconem

*Phriſii ſunt Perſæ & quidem tribu Germani.*

Deum terra editum & filium Mamium originem gentis conditoreſq; vera & antiqua nomina audiviſſe: Cęterum Germanię vocabulum eſse recens & nuper additum vel auditum. Neque enim anteà Romanis innotuit, quàm C. Iulius Cęſar Gallias ſortitus, cum illis bellandi neceſsitatem habuit: cùm prius vel Celtæ vel communi nomine Galli appellarentur. Germanos autem illos ex Perſia ortos nomen ſuum huic orbis parti contuliſſe, plerique docti & ex lingua & ex moribus utriq; nationi communibus acutè cōjiciunt. Nam Fader, Mader, Bruder, Tuchter, band & plura ſimilia vocabula in lingua Perſica etiam hodie inveniri, pro patre, matre, filia, vinculo, indicat multarum linguarum peritia inſignis Ioſephus Scaliger: & Iuſtus Lipſius acer ille hiſtoriæ cenſor fatetur ſe ſtudioſe notaſſe, Perſas in pleraque omni vitæ ratione & lingua conſentire cum Germanis. Nam ut Perſæ Diis ſuis nec templa, nec aras, nec ſtatuas erigebant, quod hic mundus omnis eorum templum eſſet ac Domus, ut Cicero teſtatur: Sic Tacitus ſcribit Germanos nec cohibere parietib⁹ Deos, neque in ullam oris ſpeciem aſsimulare, idq́ue arbitrari ex magnitudine cœleſtium eſſe: Lucos ac nemora conſecrare, Deorumq́ue nominibus appellare ſecretum, illud, quod ſolâ reverentiâ videant. Perſæ terram colebant, eiq́ue ſacrificabant: eandem & Germani pro dea habebant Hertæ nomine ut Tacitus prodit, Perſæ etiam flumina venerabantur: Germani Rhenum quoque conjugalis lecti jam olim faciebant vindicem, dum infantem recens natum clypeo impoſitum, ſi nataret pro legittimo, ſi mergeretur pro ſpurio habebant: Perſæ adulterium & furtum ſeveriſsimè puniebant: Idem faciebant & Germani; Perſæ accincti gladiis epulabantur: Idem Germanis mos erat. Utraque natio capillum alebat profuſum. Diem noctemq́ue continuare potando nulli item apud Germanos probro fuit, teſte Tacito: auctore Xeno-

*Perſæ & Germani & lingua & morib. congrui.*

phonte

phonte idem apud Perſas obtinuit. Et quemadmodum Germani ſolebant in conviviis & compotationibus deliberare & agitare res maximas, & eaſdem recoquere ac retractare ſobrii: ita & apud Perſas factum fuiſſe ſcribit Strabo Geographus lib. 18. Invitabant ſe poculis Perſæ ſingulis adbibendo: idem & apud Germanos uſitatum. Excipiebant ſe occurrentes Perſæ mutuis oſculis: Idem apud Germanos olim hodieque apud Phriſios præcipuè in uſu. Sexcenta ſunt talia inter Perſas & Germanos in lingua & moribus communia, ſi quis bene conſideret, quę eandem gentem demonſtrent. Nec id mirum, cùm Seneca poeta tragicus in Medæa ſcribat:

*Qualibet altum cymba pererrat,*
*Terminus omnis notus, & urbes*
*Muros terræ poſuere novos:*
*Nil qua fuerat, ſede reliquit*
*Pervius orbis; Indus gelidum*
*Potat Araxem: Albim Perſæ*
*Rhenumque bibunt.*

Hinc rectè etiam Veritus & Maloriges Phriſiorum legati cùm tempore Neronis Romæ in Theatrum Pompæi educti viderent externarum gentium legatos inter patres conſidere & intelligerent hoc honoris ipſorum fidei datum, exclamarunt: Nullos mortalium fide ante Germanos eſſe & locum quoque cum illis in orcheſtra ceperunt, diſertim ſe Germanos appellantes, quamvis phriſii eſſent. Ex eodem fonte oritur, quòd antiqui rerum noſtratium ſcriptores, phriſios ajunt ex Semo patriarcha oriundos. Fuerunt enim apud Hebræos Perſæ dicti Elamitæ, ab Elamo filio zemi, ut Ioſephus Iudæorum hiſtoricus & ipſe Moſes teſtantur: Qui autem longius deſcendunt & ad Ragavum Phriſios referre conantur, illi in errorem incidunt; dum non animadvertunt duplicem Semi à Moſe inſtitui genealogiam, quarum altera Chrono-

logica, eos patres recenſet, per quos mundi tempora diſpenſantur: Altera Geographica in qua continentur illi, qui orbem terræ inter ſe diviſerunt. In hac Ragavus ne litera quidem indicatur: in Chronologica autem locum ſuũ habet expreſſum & ex eo nulla alia gens, quàm Abrahamica deducitur. Vnde apparet Phriſios ex Ragavo deduci non poſſe, quandoquidem ad Abrahamum genus ſuum referre nequeant, cùm Elamitæ ante Abrahamum fuerint. Fuit igitur Phriſo natione Perſa, tribu Germanus ex tranſpoſitione literarum Phreſa, quaſi terror dictus, ob gravitatem morum Perſis familiarem, qua ſubditis reverentiam injiciebat. Qui à nomine ſuo porro regionem quam occupavit, Phreſiam & populum Phreſos nominavit, qui poſteà molliori ſono dicti ſunt Phriſii: quemadmodum tractu temporis Sacæ Phriſiorum commilitones modica literarum commutatione facta in Saxones abierunt. Hæ igitur duæ nationes & plæræque aliæ cum illis, claſſe trecentarum navium inſtructa ſolverunt ex Cilicia, Aſiæ minoris provincia littorali, & in itinere naufragium paſsæ, cum quinquaginta tantùm navibus in littus ſeptentrionale Germaniæ evaſerunt: quarũ octodecim in Pruſsiam, duodecim in Rugiam, viginti quatuor in has noſtras terras delatæ perhibentur. Ingreſsi autem ſunt Phriſii per tertium Rheni brachium, quod Flevus appellatur: idq; ut noſtrates affirmant, Olympiadis centeſimæ decimæ ſextæ anno ſecundo, urbis verò conditæ quadringenteſimo trigeſimo octavo, L. Papirio Curſore quartum & Q. Publilio Philone ſimiliter quartum Coſs. anno ante natum Chriſtum trecenteſimo decimo tertio. Phriſiorum duxerat, ut diximus, Perſa, ſed per tranſpoſitionem literarum Phreſa dictus. Hic uxorem duxiſse Hillam regis neſcio cujus filiam, & ex ea ſuſtuliſse fertur filios ſeptem & filiam unicam, Filiorum nomnia perhibentur Adel, Vito vel Iuto, Galo, Hajo, Hatto,

*Perſa per tranſpoſitionem literarum Phreſa dictus.*

*Adventus Phriſiorũ ante Chriſti natales anno 313.*

Hatto, Scolto & AEſgo: pro quorum numero ditionem ſuam Phreſo in ſeptem regiones, quas ob maris propinquitatem Zelandias vocant, diſtribuerit. Filia autem Phreſonis dicta fuit Wemoeda, ex eo quod mater ejus ex partu obiiſſet & ipſum dolore non parvo affeciſſet. Solebant enim veteres Hebræi, Græci & Germani ex eventu aliquo ſingulari vel omine liberis ſuis ad perpetuam rei memoriam nomina imponere. Sic Heber filium ſuum vocavit Phaleph, eo quod ſub ejus nativitate, facta eſſet diviſio orbis terrarum inter filios patriarchæ Noachi. Et Paris filius Priami Regis, Troianorum filiam ſuam primogenitum appellavit μεγαπένθην id eſt dolorem magnum ob dolores multiplices, quos occaſione raptæ matris ejus Helenæ pertulerat. Eodem modo & Phreſo filiam ſuam vocavit Wemoedt, hoc eſt, animũ perculſum, ob matrem in partu amiſſam, ut recordaretur periculorum & anxietatum quibus in relinquẽda patria & quærendis novis ſedibus fuerat exercitus. Ex hac Phriſonis filia terra Bremenſis, cum ibi obiiſſet, dicta fuit Wemodia, quam alii Wigmodiam non recte appellant, ut noſtrates volunt. Atq; hæc quidem de Phriſonis uxore & liberis ejus à quibuſdam referuntur: quæ nos nec affirmare nec refutare conſtituimus. Quia autem tota Phriſiorum regio jam olim & ab initio in ſeptem partes diſtributa fuit, ego puto earundem partium gubernatores etiam fuiſſe ſeptem, qui ex eo, quòd collegæ eſſent & ejuſdem officii, fratres ſint appellati, ab amicitia qua ſe mutuo contingerent & obſervarent: idq; ad imitationem regni Perſici, quod etiam à Septemviris adminiſtratum fuit: ut Herodotus teſtatur. Navibus autem egreſsi Phriſii, cum nullos terræ cultores offenderent, terram eſſe vacuam rati, locum occupaverunt illum, quem ſibi ad præſens quodvis periculum quam maximè tutum exiſtimabant, & præſidio firmando idoneũ. Is autem fuit intra Flevum fluvium qui tunc terra nunc

*Prima Phriſiorũ habitatio.*

ra, nunc verò mare, ſalvo priſtino nomine etiam hodieq; Creda nuncupatur. Loco huic ipſorum princeps Phriſo nomen dedit Staden, quòd illic ſcilicet poſt emenſam peregrinationem ſtaret, idiomate quidem non latino, ſed ſuo, quod Perſicum erat Germanizans. Nam etſi Perſæ in duodecim tribus eſsent diſtincti, à quibus alii omnes dependebant, quæ nominatim Arteatæ, Perſæ, Paſargadæ, Meraphii, Maſii, Panthelæi, Deruſiæi, Germani, Dai, Mardi, Dropici & Sagartii Herodoto auctore dicerentur; omnes tamen unà & eadem lingua Perſica utebantur, quæ cum Germanica ut plurimum conveniebat, ut doctiſsimi viri Ioſephus Scaliger, Bonaventura Vulcanius & Iuſtus Lipſius exemplo demonſtrarunt, quæ brevitatis cauſa hic omiſimus, ſed in noſtra Phriſia latius deducemus. Ad ejus rei memoriam Phriſo etiam aſylum illic erexit, ut & alii tutum haberent confugium ac ibi conſiſterent, qui longa peregrinatione aut alia de cauſa afflicti, requiem laborum ſuorum quærerent. Eo aſylo mox probè communito, paulo inferius, orientem verſus deſcendit, & locum urbi conſtituendæ idoneum nactus, ejus fundamenta jecit eâ materiâ, quam præſens rerum copia pro ſoli cælique natura ſuppeditabat; eiq; nomen à ſummo Deo ſuo Stavone indidit, ut Stavora diceretur, quam Romani Stauriam & cives ejus Sturios appellarunt, Au, diphtongo in u longum converſa. Deum autem vocabulo Stavonis adumbravit Phriſo, quòd Deus quaſi ſcipio quiſpiam hominibus eſſet, cui inniti deberent & confidere: metaphorà non abſurdâ. Stavo enim à vocabulo ſtaff Germanico, quod baculum peregrinantis ſignificat, deductum videtur. Atque hæc quidem adventus ſui anno primo, id eſt, ante natum Chriſtum 313. Phriſo egit, ut in literas eſt relatum.

*Deus Phriſorū Stavo: à quo Stavora Phriſiæ metropolis*

*Ante N.C. 312. Phriſii Suevos repellunt.*

Anno autem ſequenti, quum primum poſt aquarum dilapſum, terrâ ſiccatâ, incolæ, qui tunc Suevi erant, uti perhi-

perhibent & Alanos ejecerant, loca non ita dudum propter hyemem relicta repeterent, eaque à novis advenis occupata deprehenderent, ad arma conclamarunt, contractiſq; copiis magno conatu Phriſios invaſerunt. Phriſii autem cùm & numero non pauci eſsent & ſe præſidio muniviſsent, ducemque haberent armorum peritia inſignem, eos irruentes ſine ordine facilè repreſserunt, & ad ſuperiorem regionem, ubi hibernare ſolebant, reverti coëgerunt. Erat enim tum ipſius terræ facies longè alia, quàm nunc eſt, cùm alibi per alluvionem aucta: alibi per eluvionē imminuta ſit. Ad ſeptētrionalē plagā, quæ oceano Britannico alluitur, ubique humilis ac depreſsa, multis paludibus invia, multis lacubus ac ſtagnis interciſa, frequentibus arundinetis paſsim deformis, nullis aggeribus, nullis emiſsariis adverſus impetū maris munita erat: ita ut maxima anni parte ſub aquis latitaret & uſum cultoribus nullū præſtaret. Sub autumnū enim cùm frequentiores pluviæ, & maris æſtus altiores ingruerent, quia nihil erat, quo ſe protegerent, cultores ad auſtralem plagam ſe proripiebant: quæ ut altior & proinde ab aquis tutior, ita etiam arbuſtis & ſilvis horrida erat: Itaque & hic toto pæne autumno, hieme tota, & maxima parte veris agebant, ſeptentrionali parte relictâ vacuâ: quam non antè repetebant, quàm terra probè ſiccata pecudibus tuta paſcua præberet. Phreſo igitur cùm antè Chriſti natalem 313 circa menſem octobrem unà cum ſociis à Septētrionali plaga in hanc terram appuliſſet: eo anno ob terræ ſitum aquis obnoxium ea depelli non poterat: Sequenti anno cùm ſe firmaſſet, multo minus.

*Saxones a Phriſiis diſcedunt*

Quum autem Phriſii atque Saxones aliquandiu circa Stavoram unà conſtitiſſent & progreſsu temporis ex pecudum paſtione interdum contētiones ac lites in populo orirentur confuſo, placuit tandem ducibus pacis cauſa, ut Saxones inde abirent, & novas ſedes in proximo quæ-

rerent: quod & ita eſt factum. Solventes igitur è Phriſia Saxones flumen Albim petiverunt & ad dextram egreſſi occuparunt ea loca, tum adhuc vacantia, quæ nunc Holſati, Stormarſi & Tiedmarſi tenent & uno nomine Nordalbingia temporis ſucceſsu eſt dicta: ſed à Sacis ſive Saxonibus Saxonia. Hoc factum eſſe anno antè Chriſti natalem trecenteſimo noſtrates affirmant: ex quo etiam omnes Saxonum hiſtoriæ originem & principium ducunt. Nam de Saxonum ad Hadeleriam appulſu, quod quidam commemorant: id de eorum ex Britannia reditu eſt intelligendum, quum à Francorum Rege Childerico in ſocietatem belli aſſumpti, Thuringiæ partem occuparunt, ut ſuo loco dicemus.

*Ante Ch. 300.*

Phriſo diſceſſu Saxonum liberam ditionem nactus in ſumma tranquillitate populum ſuum gubernavit: Nam cùm Suevi ejus in bello gerendo prudentiam fortitudinemque ſemel experti fuiſſent, maluerunt ipſi terram illam aquilentam, oceano piratiſque obnoxiam, quam occupaverat, liberam demittere, quam pro ea recuperanda magnos labores atque inutiles exhaurire, præſertim cùm viderent ejus ſubditos armis probe inſtructos noctes atq; dies præſidere finibus ad hoſtium incurſiones prohibendum. Cùm autem pro ingenio ſuo Suevi ſedes mutare ſoliti, ad altiora Germaniæ loca relictis humilium horum locorum paludibus, ſtagnis & arundinetis recederent: Phriſo nihil prius habuit, quam ut terram à ſe occupatam ſuis uſibus idoneã redderet; proindè & aggeres tum pro tempore conſtituit & rivos more Perſico duxit eoſdemque clauſtis ad excludendum & retinendum aquas, ſi ita opus eſset, munivit: iiſque curandis præfecit filium ſuum Gailonẽ, qui etiam de reficiẽdis aggeribus, cõſcripſiſse librum perhibetur. Præcipuè verò populum docuit terram aggerere & in aggeſta caſas, ac tuguria collocare, quo ab æſtu maris quotidie interfluentis, ſi quando aggeres

*Phriſo ditionem ſuam munit & exornat.*

res tempeſtatum violentia rumperentur, tuti habitarent.

Ne autem ſubditi exoticis moribus inficerentur, aut patriam defenſore vacuam relinquerēt, legem Phriſo tulit: Ne quis auſtrum verſus extra fines longius procederet, quàm undè ante ſolis occaſum reverti poſset: utque qui navigarent in ſeptentrionem, cum ſalacia exeuntes cum venilia redirent: omnes autem, ut quinque armorum genera haberent, gladium ſcilicet, clypeum, ligonem, bidentem & haſtam acutam: quibus terra marique territorium defenderent ac cuſtodirent. Ne quoque militię operantes impenſis ſuccumberent aut paupertate premerentur, perſicum Cyri Regis aut Alexandri Magni potius inſtitutum æmulatus conſtituit, ut bellicis ártibus aut virtute præſtantes viri intrà limites quædam prædia hæreditaria acciperent, ex quorum fructibus alerentur ea conditione, ut ad defenſionem finium pro juſſu principis in armis ſemper eſsent & ſi ea in re ſe minus probe gererent, ut ea prædia ad principem reverterentur. Quæ res, ut erat hactenus hiſce in regionibus incognita, ita magnam admirationē ac reverentiam Phriſoni apud vicinos peperit: Quamobrem & ipſum cùm poſteris ſuis in membrū ſuæ nationis receperūt, aſsignatis ei terris quas jam tum occupaverat, aut eas optimo jure in perpetuū poſsideret, utq; à tributis immunis eſset: ſanxerūtque ęterna lege ne quis eum aut poſteros ejus belli aut alterius rei cauſa extra ditionis limites evocare vellet aut poſset. His rectè conſtitutis Phriſo omnem ſuam ditionem et vallo adverſus oceanum et præſidio contra piratas prædoneſque firmavit, diverſiſque ſubindè caſtris, munitionibus, vicis atque pagis exornavit. Suis autem auctor fuit, ne regem inter ſe crearent, neve externis principibus ſe ſubijcerent: quod æquabilitatem in libero populo cum perpetua benevolentia æternare vellet. Ne tamen ſua libertate ſubditi ad licentiam abuterentur, et leges eis dedit & magiſtratus

*Phriſo leges dat.*

*Magiſtratus Phriſiorum varii.*

cōſtituit: quibus ab injuria defenderētur et pacificè inter ſe viverent. Civilium quidem cauſarum AEſgonem filium ſuum judicem dedit: criminalium verò Scheltonem: quorum nomina tunc propria, poſt in appellativa ſunt converſa, hodieque pro prætorum nominibus in Germania uſurpantur: quamvis eadem etiam noſtro tempore, ut virorum propria citrà officii deſignationem vulgò ſint in uſu. Sacris autem præfecit Phriſo Hajonem filium item ſuum, ut pontifex Druidum eſset, quos Phriſii ob rerum civilium imperitiam ſuo idiomate Druiten id eſt homines craſſos appellabant. Cum enim Druides ſeorſim à vulgo degerent, de diis immortalibus commentarentur, eorumque cæremoniis intenti eſſent, rem privatam, (velut etiam deinde Monachi fecerunt,) minus curabant, ideóque vulgo deridebantur, quamvis publicè apud ordines in precio & honore eſſent. Hajo autem pontifex duos filios reliquiſſe dicitur: Gailonem cujus filius Grimus & ex eo Phriſo Iunior nepos: & Mannum, à quo familia nobilis Hermana & Portus Manarmanis originem trahunt, ut aliqui tradunt. Hettonem filium qui & Heſsus Phriſo in Cattos miſit, qui ibi contracto matrimonio tam ob virtutes factus eſt celebris, ut & Catti mutato nomine ab eo Heſsi voluerint appellari: & ipſe pro Deo ſit habitus, cui humanis hoſtiis facerent: unde à Lucano dicitur *Teutates, Horrenſq; feris altaribus Heſus.*

*A.C.N. 308.*

Vito autem qui et Iutho, anno ante natum Chriſtum trecenteſimo octavo Cumeram Bocchi Cimbrorum regis filiam duxit uxorem, cum qua in dotem accepit partem Cimbricæ Cherſoneſi illam, quam nunc Sleſvicenſis ditio occupat, genuitque ex ea filium Vbbonem et Adelam filiam. Nec contentus eâ parte Iuto adſcitis in auxilium Saxonibus vicinos ſuos anno ſequenti invadit qui à Rege Sueonum, cui parere erant ſoliti, tum defecerant. Saxones eo tempore piraticam exercebant et

Iuthoni

Iuthoni operam ſuam denegare, ob ſocietatem non poterant. Vicini autem conatus & conſilia Iuthonis odorati in gratiã cum Rege ſuo Humblo ſuppliciter reverſi, ab ipſo contra Iuthonem atque Saxones ſtrenuè defenſi ſunt: Humblus enim precibus ſubditorum flexus miſit illis auxilio Danum atque Angulum filios ſuos: qui contracto valido exercitu, Phriſios atque Saxones Cherſoneſo rurſus expulerunt. Ab hoc autem Dano, vicini illi poſtea dicti ſunt Dani & provincia ipſa Dania; quemadmodum & ab Angulo Anglia, ut Saxo Grammaticus Danorum hiſtoricus eſt auctor. Duo autem Dano perhibentur fuiſſe filii quorum major natu Humblus avo ſuo cognominis: minor vero Lotherus ſit nominatus.

Anno ante Natalem Chriſti 287. mortuo Dano rege primo Danorum ſuccedit Hũblus major natu filius, qui eodem anno uxorem ducit Adelam Iuthonis Phriſii filiam ex qua filium unicum ſuſtulit Danum avo ſuo cognominem. A.C.N. 287.

Anno ſequenti Lotherus Dani filius natu minor fratrem Humblũ regno expellit & pro eo regnat annos ſex, filiumque ejus infantem clam è medio tollendum curat, ne quando paternæ injuriæ vindex exiſteret. Iutho his graviter offenſus cum Lotherus Sueones bello fatigaret, quod quinquennio poſt accidit, contractis Cimbrorum, Saxonum & Phriſiorum copiis, Lotherum gnaviter invadit, eo propoſito, ut generum Humblum in regnum reduceret & mortem ſui nepotis ulciſceretur, ſatis certus ſe Danos non admodum adverſos habiturum, quos Lotheri jam dudum ob tyrannidem tæderet. Lotherus autem ea re cognita Sueones ſibi reconciliat, eorumque ope fultus in Daniam ſubito revolat. Fit prælium ingens: in eo Humblus occumbit: ſed Iutho victor Lohterum captum ſuis ſubditis tradit, qui ipſum ob ſcelera capite truncant: Skioldum filium ejus ex conſenſu Danicorum

Procerum Iutho ſecum abducit, omniqueeum cum Civili tum militari diſciplina adeò excolit, ut talem ſe poſtea patriæ præſtiterit cujus ob excellentiam omnes deinde Danorum Reges Skioldingi voluerunt appellari. Ab hoc Iuthone Phriſio, qui primævo nomine Wit & & progreſſu temporis ab exteris Vitto & Vitho & ad extremum Iutho dictus fuit, pars Cimbricæ Cherſoneſi nomen accepit, ut ipſa Iuthia vel Iuthonia & Incolæ ejus Iuthæ & apud venerabilem Bedam Vitæ per tranſpoſitionem literarum dicerentur. Habuit autem hic Iutho filium nomine Vbbonem, qui ex Grytha Geroldi Saxonis filia filios duos progenuit Vithonem ſcilicet & Henricum: de quibus ſuo loco memorabimus.

*Iuthia unde nomen habeat.*

Poſtquam vero Phriſo ſubditos ſuos annos ſexaginta octo prudenter in ſumma pace gubernaſſet, eoſque contra hoſtes terra marique fortiter, ut bonum principem decet, eſſet tutatus, leges & magiſtratus ordinaſſet, ditionem vallis & præſidiis muniviſſet; ipſe tandem tot periculis & laboribus exantlatis valde ſenex anno ante Chriſti nativitatem ducenteſimo quadrageſimo quinto eſt mortuus & Stavoræ more Perſico terræ commendatus; Vbi præcipuum gentis numen Stavo colebatur & principes duces ac reges Phriſiorum ſedes Imperii ſui poſtea collocaſſe manifeſtum eſt.

*Phreſo moritur et Stavoræ ſepelitur.*

Dicitur autem ſcripſiſſe Phriſo itinerarium vitæ ſuæ; Deinde & fœdus cum vicinis principibus initum, & diſtributionem Phriſię pro numero ſuorum liberorum, denique teſtamentum ſuum lingua Phriſica ſed characteribus Græcis ut tum pleræque nationes ſcribere ſolebant. Quæ ſcripta ſi adhuc extarent, magnam hiſtoriæ noſtrati infundere lucem poſſent: quam nunc conjecturis ex veterum monumentis aucupari cogimur. Nos hactenus nomen Phriſonis per ph & non per f ſcripſimus, ut originationem ejus facilius deduceremus: poſthac autem per f

*Scripta Phreſonis,*

&

i illud ſcribemus quia ſcimus id ita feciſſe antiquos, qui ne Græca miſcerent latinis f pro ph & i longum pro ei diphtongo, ut u tenue pro y poſuerunt: quod lectorem monemus, ne caſu id factum putet.

## Caput Secundum.

### *De Adele Friſiorum principe ſecundo.*

FRiſoni mortuo ſtatim ſucceſsit Adel filiorum ejus natu maximus. Hic patris ſui veſtigiis inſiſtens, leges ab ipſo latas non cõfirmavit ſolum, verum etiam novis auxit, eaſque in ſcripturam redegit. Erat enim ab utroque parente, ut, & fratres ejus, bonis literis eruditus & in bonorum morum diſciplina ſevere & graviter habitus. Populum itaque ſuum alioqui ferum & militiæ aſſuetum ad humaniorẽ vitam traduxit, dum ei ludendi & convivandi rationes præſcripſit & leges dedit. Voluit enim convivas inter ſe Perſarum more adbibere & porrecta dextera oſculari, quemadmodum adhuc hodieque apud Friſios eſt moris: & ex convivis aliquem ſorte eligi, qui inter ipſos honoratior & modum bibendi & decorum obſervaret, ne potu diſſoluti hilaritatis fines excederent. Hunc Græci veteres convivii regem, Siculi Mnamonem, Friſii vero Sedevvardum ſive per contractionem Siverdum & quidem omnes eodem ſenſu appellabant. Erat enim ejus officium, ut daret operam, ne quid inhoneſti aut quod offendere quenquam poſſet in convivio diceretur aut fieret. Vnde hoc conſequebatur, ut cives libenter inter ſe converſarentur & ſe mutuo internoſcerent, utque cui functioni quiſpiam aptus eſſet facile expiſcari poſſet. Quemadmodum enim in vino veritas eſſe perhibetur, ita illud cujuſque mores liberalius ſumptum manifeſto indicat.

*Adel Freſonis leges auget additis convivalib.*

Quo autem ditionem ſuam Adel ſecuriorem a vicinis redderet, cum Suevorum gente tum potentiſsima

*Suobina Adelis uxor Suevica.*

veterem

veterē amicitiam prudenter renovavit ducta Suobina eorum regis filia in uxorem: Ex qua filium genuit Vbbonem, qui ipſi mortuo in principatu ſucceſsit.

Fuit autem hic princeps ob juſtitiam adeo vicinis ſuis atque ſubditis charus, ut omnes qui juſtè imperarent, tanquam ab eo progeniti Adelingi & van Adel vulgo dicerentur: quo nomine nunc viri Nobiles deſignantur. Neque id immerito: Nam cum juſtitia omnium virtutum ſit mater, utpote quæ unicuique tribuat, quod ſuum eſt, ideoque etiam Nobiliſsima: Nomen Adel autem juſtitiam ſignificet apud Perſas, à quibus iſtud haud dubie ad Friſios dimanavit, recte dicimus eos qui juſte imperant etiam Adelis nomine eſſe dignos & Adelingos appellari. Nobiles enim ab obeundis magiſtratibus primum accepiſſe ſuam dignitatem, ex eo fit manifeſtum, quod apud quemvis populum nulli magis appareant & in ore ejus ſint, quam qui gubernaculo reipub. præſunt. Vnde quo ſæpius id uſurpant, eo fiunt clariores: Quocirca & apud Romanos ii dicuntur nobiles, quorum majores ſæpius Magiſtratu Curuli ſunt functi, cum ii qui primi eum capiunt novi homines dicantur & ad Nobilitatem proximo gradu conſiſtant. Hinc etiam apud Friſios primi Nobiles fuerũt Heerſcippē, hoc eſt imperātes nominati, qui nunc morem patrium faſtidiētes Iunckheri, id eſt juvenes Domini, velut ducum ac comitum filii libentius audiunt, quoniam pleriq; apud exteras nationes didicerunt quemlibet patremfamilias, etiam coriarium, á ſuis dici Heerſchip, rectius facturi ſi patriæ conſuetudinē retinerent & ex cognomine ſe reipub. gerendæ natos meminiſſent. Nam & Heerſchip ab imperando nomen invenit & pro eo ſumitur, qui juſte & fortiter imperando in notitiam populi venit, & ea ratione ſibi nobilitatem acquiſivit. Temporis autem decurſu nomen Adel in edel eſt converſum, idem tamen ſignificans: Vnde Edel-

*Adel lingua Perſica Iuſtitiam ſignificat. Auctore Carolo Cluſio ex D. Garcia ab horto pro-regis Indiæ medico. lib. 2. cap. 28 De Aromatis & ſimplicib. quibuſdã Indiæ.*

*Sic Friſii loquũtur: cum alii dicunt Heerſcappen.*

mannum

mannum nunc Nobilem appellamus, quaſi virum juſtũ & juſticiæ operantem. De rebus ab Adele geſtis nihil à noſtratibus peculiariter ſcriptum extat: hoc unum ad nos fama pertulit, ipſum videlicet anno principatus ſui viceſimo quinto, hoc eſt ante natum Chriſtum ducenteſimo viceſimo, miſiſſe coloniam in Septentrionalem Britanniç partem, cui Schottum Scholtonis fratris ſui filium præfecerit: à quo ille populus Schottorum nomen ſit ſortitus & ipſa regio Schotia nominata, de quo quendam tractatum ſcripſit Suffridus Petri, ſed nondum typis evulgatum. *Ab Adele miſſa colonia in Britanniã quæ Schotia dicta.*

Sub Adele etiam Vbbo poſt mortem Iuthonis patris ſui; ut Iuthiam adverſus Danorum aſſultus tueretur cõmunicato conſilio cum ſocero Geroldo Saxone majorem ſuum natu filium, Vithonem ditioni Eidoranæ præfecit, quæ poſteà minor Friſia eſt nominata. Henricum natu minorem præfecit Iuthiæ: cui ut potentiam augeret, Signem Simbli Phinnorum regis filiam dedit uxorem: Qua re cõperta, Gramus Rex Daniæ quintus, quum facilè intelligeret, quid per hoc matrimonium ſtrueretur, ipſo nuptiarum die perſonatus in Phinnia inter medias epulas Henricum nihil minus expectantem, unà cum, multis ejus amicis interfecit, ſponſámque vi abductam ſibi copulavit. Gramũ autem Biennio poſt, hoc eſt ante natum Chriſtum anno 232. Norvvegiæ Rex Suibdagerus auxilio Saxonum, Friſiorum & Phinnorum neci dedit. *Gramus Rex Daniæ occidit Henricum Vbbonis filium.*

Anno autem ante Chriſti natalẽ 201. Vitho Vbbonis filius, ob fratrem Henricum à Dano occiſum, jam diu piraticâ Daniam infeſtaverat, cùm Rex Daniæ Froto primus annum octavum regno potiretur. Hic Froto erat Hadingi filius & vulgo Giſmilde, id eſt liberalis, audiebat, populóſq; ad orientem ſubjugaverat, & jam occidenti imminebat qui claſſe comparata Vithonem navali prælio vicit, & victoriam ſuam perſequens, totam Friſiam

littoralem primus Danorum ſpoliavit ac oppreſsit, ingreſſuſque medium Rheni oſtium extrema Germaniæ carpſit & inde in Britanniam tranſmiſit. Poſt hanc cladem à Frotone Danorum Rege ſeptimo acceptam, Adel Friſiorum Princeps vixit in pace annos quadraginta novem, & damnum, ex improviſo alienā ob culpam, patriæ illatum patienter tulit, donec illud temporis longinquitate reſarciret, mortuus tandem eſt anno ante Chriſti ortum in mundo 151. cùm patriæ regimen laudabiliter tenuiſſet annos 94.

*Froto Rex Daniæ Friſiam vaſtat.*

*Adel moritur.*

## Caput Tertium.

### *De Vbbone tertio Friſiorum Principe.*

ADele defuncto filius ejus Vbbo, à populo ad Patriæ gubernationem eſt vocatus, inter principes tertium locum occupans. Fuit hic princeps non minus literis eruditus, quàm manu ſtrenuus. Scripſit enim & Patris & avi ſui vitas, nec non abſolutam de Friſiorum rebus geſtis hiſtoriam. Ut verò ditionis ſuæ limites propagaret latiùs, eámq; à finitimis tutiorem redderet, conſilio matris ſuæ & Suobiniæ ad avum, qui Suevorum rex erat, iter in Germaniam ſuſcepit, ut eum ſalutaret & cum populo ejus amicitiæ antiqua fœdera redintegraret. Cùm autem comitatum è ſubditis & aliunde collectum duceret ſecum non exiguum, & Suevi jam tum altiora loca appeterent, ubi habitarent laxius, imò multa loca circa ſe haberent à cultoribus vacua, ad oſtentandam imperii ſui magnitudinem; Ubbo fretus amicitia avi ſui & aliorum ſubditorum ejus, ut erat valde prudens, occaſione utendum ratus, itineris ſui comites apud Rhenum, ubi nunc è regione Colonia Agrippina viſitur, conſenſu regis & procerū ejus depoſuit, & Vbios à ſe nominavit, non tam ut patriam ſuam multitudine laborantem exoneraret, quàm ut nominis ſui gloriam extenderet, & ea ratione in

*Vbbo coloniam Vbiorum conſtituit.*

poſte-

poſterum ſecurior ab inimicis eſſet, cùm etiam apud exteros haberet, qui ipſius neceſsitatibus in tempore poſſent auxiliari. Factum hoc eſſe ajunt ante nativitatem Chriſti anno centeſimo trigeſimo primo, principatus ſui viceſimo octavo. Ubiorum hæc colonia poſteà Iulii Cæſaris ætate plurimum inclaruit & in Rheni ripam occidentalem deinde tranſlata fuit, quum Suevi prioris amicitiæ atque cognationis immemores, mutata ſententia loca repeterent, quorum nomine Vbii ipſis etiam erant vectigales.

*Origo Batavorum.*

Anno ante natum Chriſtum 127. Bato Cattorum regis filius novercam fugiens ad Menapium Magi filium Tongrorum Regem ſocerum ſuum venit, multa nobilium & popularium ſuorum manu comitatus, locum quærens ubi rerum ſuarum domicilium collocaret. Qui à Menapio humaniter exceptus in Magum arcem Moſæ flumini adjacentem, ab eo deductus eſt, ibidemque cum ſuis aliquandiu liberaliter & magnificè habitus. Secundò autem menſe adventus ſui cauſam ſocero Bato aperit precaturq; quoniã innocens ſit & inſidiis novercæ appetitus, fugæ ſe mandaverit, ut ſocer generũ in fidem recipere & exilio voluntario locum tutum & ſecurũ dare velit. Erat autem Bato princeps ſtatura atque forma corporis cum morum facilitate & ſingulari prudentia inſignis, ob eaſque dotes non tantùm ſubditis ſuis, verùm etiam aliis, ad quos veniebat, jucundiſsimus. Quamobrem nec Menapius diu cunctatus, quin ei rectum conſilium daret, juberetque ex certa animi benevolentia, ut ſiniſtram oræ Gallicę partem, quà à Rheni divertigio erat ingreſſus, jam cultore vacuam, uſque ad Wahalis & Moſæ fluminum confluentes occuparet, occupatámque caſtellis atque arcibus contra vicinos communiret conveniſque frequentem redderet. Ea re communi procerum conſilio comprobata, Bato ſtatim poſt ſoceri abitum arcem non pro-

cul à Mago ſitam ædificare cæpit, quam à ſuo nomine Batoburgum dixit & in hodiernum uſque diem ſuperſtitem cernimus. Eodem tempore & populus ejus memoriam ſui retinere cupiens atque poſteris tradere, alteram arcem aliquot inde diſtantem milliaribus condidit, quem Catuicum appellavit, quaſi dicas Cattorum perfugium. Cùm autem non ita multo poſt ea pars occupatæ terræ, quæ Moſavvalia dicitur, convenarum multitudini non ſufficeret, cæpit deinde Bato & alteram partem quæ Wahali Rhenóque & Oceano clauditur coloniis occupare, & ne facilis in eam à vicinis eſſet introitus, ad Oceanum altero Catuico, ad initium verò inſulæ arce Lepeca communire totamq́ue provinciam uno nomine à ſe Bataviam dicere. Et jam Bato multos vicos, arces, munitiones in hac ſua nova provincia condiderat, ſuiſq́ue ſubditis ob æquitatem, humanitatem atque clementiam mirum in modum erat acceptus, cùm animum ejus ſubiit cupiditas ædificandæ domus, ubi & ipſe cum uxore & liberis commodè habitaret, & ex qua omnem ditionem rectè & brevi manu gubernare poſſet. Igitur cùm totam regionem eo fine perluſtraſſet, invenit tandem ad Wahalis ſiniſtram modice aſſurgentem clivum à dextris collium, vallium, ſylvarum, fontiumq́ue amœnitate; à ſiniſtris agri bonitate excellentem, ex quo in omnen partem totius provinciæ jucundiſsimus proſpectus & ſaluberrimus ſe offerebat. In eo itaque clivo palatium ſuum Bato tum conſtruxit & ſocerum æmulatus Neomagum quaſi novam domum appellavit, ut à Mago veteri ad Mosam fluvium condita diſcerneretur. Antiqua enim Germanorũ lingua Magus domum ſignificat, quòd omnia in ſe concludat atque conſervet ad vitam degendam neceſſaria, quemadmodum in homine ventriculus, quem eodem nomine vulgò dicimus. Circà hoc autem palatium cum & Bato & filius ejus Heſus multa à convenis domicilia

con-

conjungi paſsi eſſent, ſucceſſu temporis evenit ut locus iſte in magnam urbem coaleſceret, totiuſque Bataviæ caput atque Metropolis haberetur, quemadmodum primis temporibus conditoris ſui arx ſumma atque regia fuerat; Atque hoc Batavorum fertur initium.

Suſtulit autem Ubbo ex uxore ſua cujus nomen hactenus ignoramus, binos liberos, quorum alter Aſinga Aſcon nomine, poſt mortem patris in principatu ſucceſſit, altera Frouvva, quaſi domina latinè dicta, Friſoni Iuniori in matrimonium collocata fuit, anno antè natum Chiſtum centeſimo viceſimo; Friſo autem Iunior qui & Friſus eſt dictus patrem habuit Grunnum, Grunebergæ conditorem, & avum Gailonē, & proavum Haionem, & abavum Friſonem gentis Friſonicæ archegum. Hic acceptis à patre & ſocero copiis, eodem anno occidentem verſus in inſulam vacuam cis Flevum colonias duxit, eamque à nomine ſuo Friſiam novam dixit, quam olim etiam minorem Friſiam appellabant, nunc autem Weſt-Friſiam & Noordthollandiam vulgo dicimus. In ea ſedem ſibi delegit loco opportuno mille ferme paſſus ab eo diſtantem, in quo poſteà Alcmaria condita fuit, ad alveum fluenti illius, quod è Rheno productum Caninefatum terga claudebat, & Crabbedāmum præterlabens in mare britannicum decurrebat, illic etiam fundamenta jecit futuræ civitatis, quam de nomine uxoris Frouvvegaſt appellavit: quæ temporum progreſſu mutata nonnihil & pronunciandi & ſcribendi uſu Vrougeſt, & Vroulegeſt vocata fuit & tandem in celeberrimum emporium excrevit. Eam Romani poſtea, quam Bataviam & Friſiam iſtam invaſiſſent, ob nominis vicinitatem, quam cum Italiæ civitate Verona habebat, etiam Veronam appellarunt, ut ex Sanctorum vitis probari poteſt. Patruū habuit Friſo Iunior Mannum familiæ Hermanæ & portus Mannemanis auctorem, ut aliqui dicunt & nos quoq; ſuprà retulimus.

*Friſo Iunior VVeſt-friſiam condit.*

*Vera etymologica Veronæ videtur eſſe quod fuerit dicta frona geeſt, id eſt terra vel locus publicus, ut alibi offendimus.*

Anno ante natum Chriſtum 113 aut circiter, Cimbri ſeptentrionalis Oceani accolæ, domo egreſsi, longinquam peregrinationem ſuſceperunt: quò locum aliquem, patria ſua meliorem, nacti, res ſuas cum uxoribus & liberis in tuto collocarent. Dicuntur enim ab hoſtibus pulſi, ſed ob inundationes Oceani neceſſariò ſolum vertiſſe, quum ipſorum ſedes in terra humili poſitæ, maris quotidianis eſſent obnoxiæ æſtibus, qui nonnunquam vi tempeſtatum ita inſurgebant, ut omnia propinqua fluctibus operirent atque demergerent. Habitaſſe enim perhibentur tum temporis inter Amaſum & Albim Germaniæ fluvios, in ipſo Oceani littore. Proinde etiam auctores ſunt qui eos fuiſſe Friſios exiſtiment & à pugnandi ſtudio Cimbros appellatos. Utcumque hoc ſit, certum eſt eos fuiſſe Friſiorum vicinos, Friſioſque unà cum ipſis permiſtos eandem militiam exercuiſſe, quandoquidem in illis locis & nuſquam alibi ejuſcemodi maris exundationes fieri ſolent, quàm apud Friſios, ut anno 1570 Kal. Novembris re ipſa ſumus experti: ut immeritò à Poſsidonio Ephorus & Clitarchus hiſtorici irrideantur, qui iſtas apud Cimbros factas ſcriptis ſuis prodiderunt. Idem verò Poſsidonius apud Strabonem Geographum auctor eſt, Cimbros cum vicinis Teutonibus agmine facto primum invaſiſſe Bojos quos nunc Bohemos appellamus, ſed à Boiis rejectos ad Iſtrum & Scordiſcos, gentem Gallicam, deſcendiſſe, inde ad Teuriſtas & Tauriſcos, & hos nationis gallicæ populos adiiſſe, tandem etiam ad Helvetios deveniſſe, viros quidem plurimo locupletes auro, ſed vitam in pace tranquillam agentes. Ex his Tigurinos & Tuginos, cùm viderent Cimbrorum opes latrociniis partas ſuis eſſe majores, ad prædas adjeciſſe animos, & Cimbris Italiam petentibus ſocios ſe adjunxiſſe. Cimbris autem cùm eſſent

*Expeditio Cimbrica.*

Cimbri a ſtudio pugnandi

*Cimbri per Bohemiam iter inſtituunt.*

&

& magna corpora & vultus terribiles, eorum ferociam & audaciam ſuſtinere poterat nemo neque quiſquam eorum impetum valebat inhibere.

Cùm autem præter Teutones & Tigurinos, etiam Ambrones gentem gallicam ſibi adjunxiſſent, ſupra trecenta hominum armatorum & bellicoſorum millia erant, præter mulierum & liberorum numerum, qui longè amplior eos comitabatur. Ad quos veniebant in itinere, eorum bona agebant, ferebantque. Prima autem Cimbrorum adverſum Romanos expeditio in Illirico fuit, ubi Cn. Papirium Carbonem conſulem exercitu fuſo, caſtris exuerunt anno ante Chriſti natalem 112. Inde in Galliam Celticam reverſi, M. Iunium Silanum ſimiliter conſulem, vicerunt, & anno ſequenti M. Aurelium Schaurum. Tum & ſoli Tigurini, cùm Cimbri atque Teutones per Galliam Hiſpaniamque longè lateque vagarentur, recta qua in italiam iter eſt, copias duxerunt Caſsiumq; conſulem in Allobrogum finibus, cum ſuis prælio interfecerunt. Deinde Cn. Manlius, conſul & Qu. Cæpio proconſul cum Cimbris prælio certantes victi, octuaginta Romanorum millia amiſerunt. Marcus Aurelius Schaurus, ſuperioribus annis deletis Romanorum copiis in manus Teutonum vivus pervenit, in conſilium à victoribus admiſſus cùm eos deterrere conaretur, ne ſuperatis Alpium jugis in Itaam ſeſe demitterent, quòd vinci Romanos non poſſe diceret, à Balo Rege feroci Iuvene eveſtigio trucidatus eſt.

*Cimbrorum ſocij Teutones, Tigurini & Ambrones.*

*Cimbrorum in Romanos victoria.*

His rebus feliciter patratis Cimbri legatos ad Senatum miſerunt, petentes, ut populus Romanus aliquid ſibi terræ daret, longinquæ militiæ quaſi ſtipendium, cæterum ut vellet manibus atque armis ſuis uteretur: repulſam paſsi, quod precibus impetrare nequiverant armis petere conſtituunt. Priuſquam verò

cum

*Aduatici à Cimbris in Belgio cōditi.*

Cimbri atque Teutones in Italiam tranſirent, impedimenta quæ ſecum agere ac portare non poterant, citra flumen Rhenum depoſuerunt, ac cuſtodiæ eorum præſidióque ſex millia hominum ex ſuis unà reliquerunt, qui poſt eorum interitum multos annos à finitimis exagitati, cùm alias bellum inferrent, alias illatum defenderent, tandem conſenſu finitimorum inter Schaldim & Sabim flumina ſibi locum domicilii delegerunt & tempore Iulii Cæſaris ibidem commorantes Aduatici fuerunt nominati. His rebus prudenter conſtitutis, cùm jam decem continenter annos hæc infelix hominum bellicoſorum manus in Galliis ſumma crudelitate ſæviiſſet, fatis eam ad internecionem urgentibus, cœpit ſe pauliſper diſjungere, ne ſimul omnibus copiis itineri incumbens, ſibi ipſi eſſet impedimento atque oneri. Quocircà Cimbri relictis Ambronibus atque Teutonis à tergo, per Vindelicos itinere inſtituto, circa Atheſium flumen Italiam ingreſsi, ſocios ibidem expectaverunt. Teutones atque Ambrones interea dum circa Maſsiliam hærent, & C. Marium conſulem caſtris ſe continentem ad pugnam elicere nequeunt, eo contempto Cimbros ſequuntur: ſed à Mario apud Aquas. Sextias per inſidias debellantur & conciduntur duobus ipſorum regibus captis. Qua victoria lætus Marius & jam quintum Conſul deſignatus, Romam contendit, nec prius, rerum geſtarum ratione reddita, triumphare voluit, quàm ſuperiori victoriæ Cimbrorum cædem atque necem adjecisset: qui Catulo proconſule ab Atheſi fluvio ejuſque munitionibus fugato, in Tranſpadana Italia fratres ſuos Teutones præſtolari dicebantur. Marius itaque rebus Romæ confectis ſuos ex Gallia milites accivit & confeſtim Padum tranſgreſſus & Catulum confirmavit, & hoſtes ab interiori Italia arcuit. Rogatus ibi à Cimbris, ut ipſis atque fratribus ſuis regionem & urbes, quantum eorum habitationi ſatis eſſet, concederet,

*Socii disjuncti à Romanis vincuntur.*

deret factururum negavit, oſtenditque Teutones, ſi fratres eorum ſint, jam terram habere, ubi æternum ſint moraturi, in conſpectum legatorum productis Teutonum regibus, quos cæde peracta Sequani in Alpibus fugientes ceperant. Quod ubi relatum fuit, Cimbri, poſtulato ad pugnandum die atq; loco à Marioque in triduum condicto, vigeſimo nono Iul i, inſtructa acie in Campum Caudinum propè Vercellas latè patentem alacriter deſcendunt: Sed à Mario atque Catulo æſtu, ſole ac pulvere Romanis juvantibus victi ac profligati ſunt. A Romanis. Catulus viginti millia trecentos milites habebat. Marius millia triginta duo, quos ita diſtribuerat in utrumque cornu, ut mediam aciem Catulus teneret. At Cimbrorum peditatus ex caſtris progreſſus, quadrato agmine incedebat, triginta in longum latumque ſtadia complectens: Equites autem quindecim millia numero ſplendidis in armis conſpicui, galeas ferebant terribilium ferarum rictibus roſtriſque rari aſpectus aſsimulatas, quas alatis criſtis in altum attollentes eò majores videbantur. Thoraces ipſis erant ferrei, alba & coruſcantia ſcuta: telum ſingulis bidens, cominus magnis gravibuſque pugnabant gladiis. Ceciderunt in acie Cimbrorum centum & viginti millia & ſexaginta millia capti, inter quos Claudius & Cætorix ipſorum duo reges fuerunt. Mulieres Cimbrorum viris profligatis, tanta rabie in Romanos, ex carris in modum valli contractis, pugnarunt, ut ad extremum victoriâ deſperatâ, liberis interemptis, ſeipſas partim ferro, partim ſuſpendio interfecerint. Hunc exitum habuit Cimbrorum duodecennis expeditio quæ caveri potuiſſet, ſi domi manere in paupertate, quàm vicinorum opes appetere maluiſſent. Verumenimverò quemadmodum ipſi nationes multas atque diverſas & vita & bonis ſuis injuſtè & crudeliter ſpoliaverant, ita ipſi viciſsim decurſo fortunæ

*Cimbrorum in Italia cædes.*

ſtadio, & fortunis undique corraſis, & vita à Romanis exuti, injuriarum, quas gentibus innocuis intulerant, bene meritas dederunt pœnas. Sic flagellum cum auctore conſumptum, anno ante Chriſti natalem centeſimo. Tigurini qui ex longinquo Cimbros ſequebantur, audita eorum ſtrage, iter ſuum retrò verterunt & quadrageſimo demum poſt anno à C. Iulio Cæſare prælio ſuperati fuerunt, ut ex hiſtoriis eſt notum.

Ubbo autem exactis in principatu octoginta annis, ante Chriſti nativitatem anno ſeptuageſimo primo fatis conceſsit, Aſinga Aſcone filio & Frouvva filia ſuperſtitibus.

## CAPUT QUARTUM

### *De Aſinga Aſcone, 4. Friſiorum principe.*

ASinga Aſcon Ubbonis filius, Friſiorum princeps quartus, anno ante natalem Chriſti diem ſeptuageſimo primo, patri in principatum ſucceſsit: Vir fuit animo irrequieto & valde ambitioſo, primuſque qui ditionis ſuæ terminos in vicinos populos extendere eſt aggreſſus. Bella geſsit cum Tungris atque Batavis, ſed parum feliciter, ut annales commemorant. Sub hoc enim principe in vivis fuit Godofridus rex Tungrorum, cognomento Carlus, quemadmodum ex Petro Taboreo & Ioanne Mario collegit Chriſtianus Maſſæus libro Chronicorum tertio decimo. Hic filium genuit Carolum cognomento Imachum: qui, cùm filiam cujuſdam honeſti civis per vim ſtupraſſet, à patre in exiliū pulſus, abiit ad Romanos, & bello Mithridatico ſtrenuam iis navavit operam, ſed rapuit tum temporis filiam L. Iulii Cæſaris proconſulis Achaiæ, nomine Germanam, cumq; ea fugiens venit tandem Bruxellas. Ubi aliquandiu commoratus, quum domum redire cum rapta conjuge non auderet, commodum pater obit, & de morte patris ſui confeſtim certior factus

*Bellat [?] Tungris [?] Batavis* (handwritten margin note)

*Origo Ducum Brabantiæ antiqua, circa annum ante Chriſti natalem 51.*

factus Tungros recipit & in regnum paternum ſuccedit. Hic Carolus Imachus ex uxore ſua Germana, quam mutato nomine Suanam dici voluit, genuit filium Octavium & filiam Suanam uxori ſuæ cognominem: qui ambo ad ſummos honores poſteà ſunt evecti. Suana enim cùm adoleſceret, potenti viro Salvio Braboni apud Lovanienſes in templo Martis & Plutonis nupſit, idque anno ante Chriſtum natum quinquageſimo primo, in præſentia C. Iulii Cæſaris, qui tum in Belgio exercitum ducebat, & Salvium Brabonem ſummopere diligebat. Fama enim tenet Iulium Cæſarem amico ſuo Salvio Braboni contuliſſe omnem terram à mari Norvvegio, Tornacum atque Schaldim uſque, cum Hannonia & Sylva Carbonaria titulo ducatus Brabantiæ, & Octavio fratri Suanæ dediſſe, regnum in Ubios, qui poſteà in Coloniam Agrippinam tranſlati fuerunt, mutaſſeque eorum nomina, ut pro Octavio Germanus, & pro Suana Germana priſtinis dicerentur vocabulis. Ob quæ beneficia in ſe & ſuos collata Salvius Brabo Iulium Cæſarem perpetuò ſit comitatus, & unà cum ipſo à conjuratis Romæ occiſus, anno ante Chriſtum natum quadrageſimo tertio, cùm regnaſſet annos octo. Dicitur verò reliquiſſe filium Carolum Brabonem, qui annos ſeptem natus ei ſucceſſit & regnavit annos octoginta, uſque ad annum Chriſti trigeſimum nonum. Ab anno igitur ante nativitatem Chriſti quinquageſimo primo Brabantiæ Ducatus in Salvio Brabone primo duce initium ſuum habuit, quod cum anno Aſingæ Aſconis viceſimo concurrit. Quid ante ea tempora egerit aut geſſerit Aſinga, memoriæ proditum non eſt: quietum non fuiſſe ab ingenio, quod turbulentum ipſi fuit, facilè cognoſcitur.

*Car: imachus Rex Tungrorum* · *Suana filia nupsit Salvio Braboni Dux I Brabant.* · *Car: filius Rex Ubiorum*

Ejus anno duodecimo & ante Chriſtum quinquageſimo nono, venerunt ex India, quidam mercatores, qui vi tempeſtatũ ex Indicis æquoribus abrepti, per plagam

*Indi per mare ſeptentrionale in Germaniam veniunt ante Chriſtum anno 59.*

a. N.D. 59 Inde . . . [handwritten marginal note] ſeptentrionalem maria emenſi, tandem in Germaniæ littora exſcenderunt & à Suevis retenti ſunt. Nam aliquot eorum Rex Suevorum Arioviſtus (ni fallor) Q. Metello Celeri Galliæ tum proconſuli dono dedit, ut auctor eſt apud Plinium & Melam Cornelius nepos. Hi Indi an noſtris Friſiis originem dederint, equidem ignoro: cauſam narrationibus dediſſe noſtris hominibus ingenuè fateor me ſuſpicari. Sanè apud noſtrates in annales relatum eſt, Indos Saxonum & Friſiorum conditores per mare Cronium ad haſce terras Germaniæ navigiis deveniſſe. Quin & hic Aſinga primus dicitur fuiſſe Stauri-enſium princeps atque conditor. Nam & Stauriam mœnibus cinxiſſe & eam à Stavone Deo ſuo, quem pro Iove Friſii colebant, nominaſſe perhibetur. Erat enim Deaſter ille Stavo informis quidem ſtipes aut truncus, qui vulgo *een ſtaff* appellatur, & à Germanis quoque ſub quercus ſpecie cultus olim fuit, ut Maximus Tyrius philoſophus Patonicus in ſuis ſermonibus ſcripto prodidit Sic mater Deorum, quæ Peſsinunte in Phrygia colebatur & Romam delata fuit, nihil aliud quàm ingens Saxum fuit. Ex utroque ut diſcamus Deos gentium nihil aliud eſſe, quàm lapides & lignum, quos à Diabolo faſcinati & à Deo vero cæcitate percuſsi venerabantur, quãvis aliter de iis ſentirent. Germani enim nec cohiberi parietibus Deos, neque in ullam humani oris ſpeciem aſsimulari ex magnitudine cœleſtium arbitrabantur. Lucos & nemora conſecrabant Deorumque appellabant nominibus ſecretum illud, quod ſola reverentia videbant, ut ait Tacitus. Neque enim majores noſtri ſimulacra rerum formis dedolata colere conſueverunt prius, quàm Romani ad eos venerunt & unà cum imperio ſtatuas ſuas adduxerunt & trophæa.

*Aſinga primus Staveræ princeps.*

*Nero Claudius Druſus Germanicus Friſios in amicitiam recipit.*

Anno autem hujus noſtri principis, ſexageſimo primo, id eſt ante natalem Chriſti decimo, Romani primum

ſunt

ſunt ingreſsi Friſiam, duce Nerone Claudio Druſo qui ob victoriam à Germanis reportatam dictus fuit Germanicus. Hic enim Auguſti Cæſaris privignus cùm Batavos pop. Romani amicos adiiſſet, & ex eorum inſula Vſipetas, Teuctoros & Sicambros multis adfeciſſet cladibus, ſecundò Rheno in Oceanum devectus, Friſios quoque ſibi adjunxit, iiſque modicum tributum impoſuit, ut pro anguſtia rerum in uſus caſtrorum coria boum certo numero quotannis penderent, magnitudinis eorum forma atque modo non adjectis. Druſus autem cùm per paludes Friſiorum in Cauchos proficiſceretur, in periculo fuit, navibus propter defluxum maris in ſicco deſtitutis, ſed Friſiorum opera, qui pedeſtri militia ei ſe junxerant, diſcrimen ſuperavit. Quocirca inde digreſſus Hyeme appetente incolumis Romam rediit & confeſtim Prætor Urbanus eſt creatus. Et hæc quidem eſt prima Romanorum in Friſios expeditio, cui Uſipetum, Teucterorum & Sicambrorum vicinia cauſam dedit. Hi enim populi cùm annis ſuperioribus in Gallias Romanorum jam provincias excurſiones longè & latè feciſſent, prædas egiſſent, imò locum etiam in iis domicilio à Romanis petivisent nec obtinuiſent, & in priſtinas ſedes ultra Rhenum compulſi quieſcere nequirent, Druſo Germanico, qui tum cùm Imperio Galliç prçerat, ſua immodeſtia & pertinacia occaſionem obtulerunt & Rhenū tranſeundi contra ipſos, & vicinos eorum ſibi adjungēdi vel caſtigandi, ne illis opem & auxiliū ferre vellent. Quod à Friſiis eò facilius tum impetravit quòd à fronte Oceanum & à tergo populos illos haberent, à quibus viciſsim, utpote victis & afflictis nullum ſubſidium ſperare poterant. Et ſanè erat tum temporis Friſiorum, ſi Tacito credimus, non amplis ſedibus habitatio, ut qui medio Rheni alveo & Amaſo fluminibus coercerentur & Cauchos populum Tranſamaſanū à nominis ſui cōmunione excluderent. Nam Tacitus libro de

Rom. prima in Fr. vidi

moribus Germanorum expreſsè dicit, Majoribus Minoribuſque Friſiis vocabulum eſse ex modo virium: utraſque nationes uſque ad Oceanum Rheno prætexi, ambireque immenſos inſuper Lacus, & Romanis claſsibus navigatos. Eoſdem populos ad occidentem Germaniç eſse ultimos: Unde in Septentrionem ingenti flexu ea redeat: in eo flexu primo ſtatim Cauchorum gentem à Friſiis incipere & partem littoris obtinere, & omnium, quas expoſuit, gentium lateribus obtendi, donec in Cattos uſque ſinuetur. Quibus Taciti verbis, Friſii à Cauchis tanquam diverſi populi ſeparantur. Sed dicendum eſt, quamvis alio nomine à Friſiis Cauchi appellentur, eos nihilominus tamē fuiſse Friſios aut ſaltem Friſiorum juriſdictioni ſubjectos, quum totus ille tractus littoralis in quo Cauchi degebāt, à medio Rheni alveo in Eidorum Cimbricæ Cherſoneſi fluvium uſque eo tempore Friſiis pareret, ut patrii annales tradunt, quibus hac in re magis credendum, quàm exteris exiſtimo, præſertim cùm ipſi exteri in deſcriptione Cauchorum, ut apud Tacitum & Plinium videre eſt, quamplurimum inter ſe differant, ut alibi oſtendimus.

*Friſiorum ditio hoc tēpore exigua.*

Hoc anno ante natum Chriſtum decimo aut circiter, puto Druſum, cùm quinquaginta in Rhenum caſtella feciſset, etiam urbis Antoniæ auctorem extitiſse, quæ nunc Vltrajectum eſt, idque in honorem uxoris ſuæ Antoniæ minoris.

*Druſus Antoniæ conditor, quæ poſtea Vltrajectum. a. C. 10*

Anno autem hujus noſtri principis 71. Ieſus Chriſtus veri & æterni Dei verus & æternus filius ex Maria virgine carnem aſsumpſit, & homo natus eſt, ut homines à peccato, morte & Diabolo liberatos vitæ æternæ aſsereret. Quo autem anno id mundi factum ſit, in ambiguo apud multos eſt, propter ejus initii obſcuritatem.

*Chriſti nativitas*

Ioſephus Schaliger ejus verum initium ponit anno mundi 3947 circa initium menſis Octobris v.c. 751. Olym. 194. anno 2. Vulgo autem ab illis annis receditur biennio

nio poniturque principium anno mundi 3950, Kalendis Ianuarii, Cyclo ſolis 10, Lunę 2. Litera dominicali B. Indictione 4. anno urbis conditæ 753. Olympiadis 194. anno 4. Quam epocham ſequi licet, ut inde ſurſum ac deorſum intervalla temporum computemus, donec aliquid de mundi initio à doctis conſtituatur certius.

Anno autem Chriſti primo Aſinga Aſcon ab externis bellis quieviſſe perhibetur, ob Auguſti Cæſaris reverentiam, qui clauſo tum temporis Iani templo, toto terrarum orbe pacem conſtituerat.

Anno verò nativitatis Chriſti ſecundo, Aſinga Aſcon cùm videret, Friſios minores vicinos & cognatos ſuos ope & auxilio Batavorum ſubactos, præſidiis ac caſtellis contineri, quæ Druſus Germanicus quinquaginta Rheni ripæ impoſuerat, Batavos autem ſuis uti legibus ac libertate, ut eos ulciſceretur collecto ex ſuis exercitu valido in Batavos duxit, eóſque bello adortus magnis cladibus affecit, ſed victoria Cadmæa. Nam ipſe ſagitta graviter vulneratus, receptui canere eſt coactus, & à ſuis ipſi opem ferẽtibus, re infectâ in Friſiã relatus, in caſtrum, quod dimidio fere miliari auſtrum verſus Stavora aberat, deportatus eſt, ibique diu admodum lecto ob ægritudinem affixus in magno vitæ diſcrimine decubuit. Eo autem paululum convaleſcente, Friſii vindictæ cupidi citra ejus mandatum Batavos rurſum bello aggreſsi, tanto cum furore iis incubuerunt, ut ultra quingentos ex iis interfecerint, amiſsis interim non minus trecentis ex ſuis, victoria tamen obtenta ſpoliis onuſti in Friſiam reverſi ſunt. Princeps autem re cognita primùm graviter offenſus, tandem verò non leviter delectatus fuiſſe dicitur, majori voluptate ex hoſtium oppreſsione, quàm dolore ex ſuorum inobedientia affectus. Deinde Batavi cum Friſiis in tres annos pacem compoſuerunt, quæ utrimque firmiter obſervata fuiſſe perhibetur.

*Aſinga in Batavos ducit, & ab illis vulneratur.*

Anno

*A. Ch. 4. Diacorus Segon.* Anno Chriſti quarto Diacorus Segon cognatus & poſteà ſucceſſor Aſingæ, poſtquam Carolo Braboni Brabantiæ Duci ſedecim annis continuis militaſſet, ejúſque aulam ſecutus eſſet, in Friſiam revocatus rediit, equeſtri dignitate ob egregiam virtutem à Duce inſigniter ornatus.

*Flamma è terra emicat.* Eodem anno æſtate adulta non longe à Stauria circa rubrum clivum ad paſſus decem auſtrozephyrum verſus è terra emicuit flamma tres continenter dies: quarto aũt die ingens Draco ex eodem loco in ſublime evolavit & multis per ſemihoram terrorem incuſsit, & tandem deſcendens eodem ſe recõdidit, nec poſteà viſus eſt amplius.

*A. Ch. 5. Aſinga in Danos movet.* Anno Chriſti quinto Aſinga Alcon Friſiorum princeps expeditionem ſuſcepit adverſus Danos, exercitus ſui duce conſtituto cognato Diacoro: ſed Danis ſe illi fortiter opponentibus, retrocedere coactus fuit. Nec multum aberat, quin à Danis jam circumventus fuiſſet interceptus, niſi Diacorus ſubitò ipſi tuliſſet opem, cẽtum quinquaginta plus minus ex ſuorum numero amiſsis.

*Aſinga in Tungros ducens ab illis capitur.* Hac expeditione minus fœliciter ſuccedente, Aſinga aliam ſuſcepit auſtrum verſus multaque per cognatum ſuum Diacorum præclaræ fortitudinis documenta edidit. In Tungros eo movente, Diacorus Segon, cùm expeditionem diſſuadere non poſsit, miſsionem petivit, eáque impetratâ relicto principe cum ſuis in patriam reverſus eſt. Aſinga autem Tungros adortus multis ac diverſis cladibus affecit. Quibus auditis Carolus Brabon ſupradictus Brabantiæ dux, non mediocriter commotus fuit, quandoquidem Tungri tum temporis in ipſius ditione erant: attamen in gratiam fideliſsimi quondam ſui miniſtri Diacori Segonis humanitate potius quàm aliqua violentia ſubmovendum Aſingam ratus, per legatos eum monuit ut ſubditos ſuos nihil minus vel commeritos vel exſpectantes affligere deſineret: ſin minus, ſe ex officio ſubditis ſuis non defuturum.

Quibus

Quibus cùm Aſinga nihil moveretur, ſed in propoſito ſuo nihilominus perſeveraret, Brabon conſcripto celeriter exercitu, mox vim vi repulſurus supervenit.

Aſinga Brabonis adventu cognito, interjectis aliquot diebus, duobus aſſumptis Comitibus, ejus caſtra tempore antelucano exploraturus, intrat, ſed deprehenſus ab excubitoribus, invaditur, & quamvis fortiter ſe defenderet, acceptis aliquot vulneribus in terram collapſus capitur & in caſtra ad Brabonem perducitur.

Friſii hunc ſui principis caſum conſpicati caſtra ſolverunt & in patriam reverſi ſunt.

Aſinga autem ſibi reſtitutus, fortunam ſuam graviter lamentatus eſt, & cùm ipſum dux Brabo ſummæ temeritatis objurgaret, nihil aliud ei reſpondit, quàm ſe eſſe in manu ipſius, uteretur jure belli quod ſibi in ipſum competere arbitraretur: ſibi jam dudum nihil morte gratius poſſe contingere. Dux autem illi reſpondens, etſi, inquit, & nobis affectus ſubjicit, ut libenter id faciamus, tamen in præſenti, quicquid adverſus nos, tum etiam adverſus ſubditos noſtros deliquiſti, id univerſum tibi remittimus, in gratiam fideliſsimi gratiſsimique noſtri quondam miniſtri Diacori cognati tui, quamquam ejus quidem erga nos meritis nunquam ſatis dignas, nedum haſce gratias idoneas fore, exiſtimemus. Quibus ita actis, poſtquam paululum cura medicorum eſſet Aſinga refectus, Dux Carolus eum in Friſiam ad Diacorum amicum ſuum ſine precio liberum remiſit. Qui quidem ut ad ſuos reverſus & tandem etiam priſtinæ ſanitati reſtitutus eſt, Diacorum cognatum ſuum ad Ducem legat, ut & gratias ſuo nomine duci ageret, pro exhibita erga ſe humanitate, & porrò diuturnam inter duos principes pacem conciliaret. Quod cùm non difficulter Diacorus impetraſſet, exinde manſit inter Friſios ac Brabantos ſumma pax & tranquillitas.

Anno Chriſti ſexto Tiberius cæſar ab Auguſto imperatore in inferiorem Germaniam, contra Caninefates eſt miſſus: qui inter Rhenum medium & Flevum in Oceani Britannici littore habitantes, auxilio Batavorum abeo facilè ſunt in poteſtatem redacti. Sed cùm iterum Sicambri, Catti, Bructeri & Cheruſci tumultuarentur, non diu apud Caninefates cæſar commoratus eſt, ſed ſtatim adverſus ſeditioſos exercitum duxit, eoſque ſuperavit. Quamvis autem Romani primum uſque ad Viſurgim, deinde ad Albim eo tempore ſint progreſsi, nihil tamen magnoperè memorandum in iis locis ab illis eſt geſtum, etiamſi de Germanis ſuperatis Imperatoris nomen non Auguſtus modò, ſed Tyberius etiam invenerit, honoreſque triumphales C. Sentius Germaniæ præfectus eo nomine acceperit, ut auctor eſt Dio Caſsius lib. quinquageſimo quinto.

*A. Ch. 6. Tiberius Cæſar Caninefates vincit.*

Cùm autem eo tempore res Dalmaticæ & Pannonicæ majoribus eſſent concitatæ motibus, celeriſque correctionis indigerent, Tiberius ad eas componendas profectus, Caninefatibus cæteriſque in propinquo Germanis non difficulter pacem conceſsit, etiamſi fidem datam aliquoties violaſſent. Quocirca & noſter princeps Aſinga rebus cum Batavis & Duce Brabantiæ compoſitis, domi pacem coluit: nec parum eſt lætatus, cùm anno Chriſti decimo Quintilium Varum Ducem Roman. cum tribus Legionibus totidemq; alis, & ſex cohortibus, ab Arminio Cheruſcorum Duce, in ſaltu Teutoburgico inter Amaſiam & Luppiam fluvios eſſe cæſum audiret. Haud dubiam animo ſpem concipiens eam Germanorum victoriam ſibi ſuiſque ſubditis aliquando futuram exemplo atq; commodo. Nam etſi Romani tunc diverſa Germaniæ loca præſidiis tenerent, in quibus eorum milites hibernabant, colonias condebant, conventus pacatos agebant, Germani quoque paulatim eorum congreſsibus miteſcerent,

*A. C. 10 Quintilius Varus ab Arminio cæditur.* apud Duisburg

ſent. Attamen hoc Romani ſuis artibus atque humaniori diſciplina efficere non potuerunt, ut Germani priſtinæ libertatis obliti, in omnes ſui ulciſcendi occaſiones non eſſent intenti, ut in hoc exemplo inprimis & poſteà apud Friſios apparuit.

Interim Aſinga Aſcon pace aliquandiu fruitus anno Chriſti undecimo vita defunctus eſt, certa fiducia fixa in Deum ſuum Stavonem, quòd ex hac vita ipſum eſſet traducturus in vitam longe feliciorem. Præfuit aũt annis 82. *Aſinga moritur A. Ch.* 11.

Fuit hic princeps ambitioſus & ſuæ ditionis dilatandæ cupidus, minus conſultus tamen, ut qui interdum eventu ipſo comperiret, viribus non reſpondere conſilium. In ſuos tamen ſubditos benevolus ac liberalis, unde & ab his amabatur plurimum.

Liberos nullos reliquit, quare ſubditi eo mortuo cognatum ejus Diacorum in principem ſibi elegerunt.

## Caput Quintum.

### *De Diacoro Segone quinto Friſiorum Principe.*

ASinga Aſcone defuncto ſufficitur ejus cognatus Diacorus Segon in principatum Friſiæ, anno Chriſti undecimo. Ex quo tempore jam porro ſuis annis principũ ſucceſsio ſatis diſcreta habetur in hiſtoriis Friſiorum antiquis, ut infrà patebit.

Fuit autem hic Diacorus Segon princeps inſignis, non minus domi, quàm belli ob egregiam fortitudinem & prudentiam ſuſpiciendus.

Fortitudine bellica quantum præſtiterit, non modò apud Carolum Brabonem, ſed & apud cognatum ſuum Friſiæ principem ſupradictũ, rebus ipſis declaravit, ut ex iis patet, quæ ſuprà relata ſunt.

Civili prudentia quantum valuerit, ſua principatus adminiſtratione oſtendit, quam inter vicinorum tumultus in ſumma pace & tranquillitate tranſegit.

Quamvis enim Tiberius Cæſar ac Germanicus Druſi filius ab Octaviano Auguſto hujus noſtri principis anno primo in Germaniam miſsi ſint, ut damnum atque dedecus ob legiones deletas ab Arminio & ſociis ejus acceptũ, eluerent, in Friſiam tamen non deſcenderunt, quamvis in propinquo eſſent, nec à Rheno latius abierunt quàm ut viciniores populos carpendo popularentur.

Tanta enim apud Auguſtum ob amiſsum exercitum conſternatio erat, ut veſtem laceraret, excubias per urbem indiceret, utque per continuos menſes barba capilloque ſubmiſſo, caput interdum foribus illideret, vociferans: Quintili Vare redde legiones, diemque cladis quotannis mœſtum habuerit atque lugubrem; quin Batavos à corporis ſui cuſtodia amoverit, ut Suetonius ſcribit.

Proinde & Cęſares à Rheno diſcedere non auſi fuerũt, veriti ne rurſus cladem aliquam acciperent, ſed adulto demum autumno, nullo prælio facto Romam ſunt reverſi.

*Octavianus Auguſtus moritur anno Chriſti 15.*

Anno autem Chriſti quinto decimo Octavianus Auguſtus Romanorum Imperator ſecundus ætatis 76. Imperii 56. Die 19 Auguſti menſis Nolæ diem obiit extremũ.

Ei ſtatim quidem, ſed cunctabundus ſuccedit Tiberius tertius Rom. Imperator & imperat annos 22. menſes 6. dies 26.

Sub initium hujus imperii anno Chriſti quo ſupra Panonicę & Dalmaticæ legiones in ſeditionem verſæ à Druſo Tyberii filio ſedantur.

*Legiones tumultuantur.*

Cùm autem & legiones, quæ Rheno apud Ubios pręſidebant, tumultuarẽtur & quæ apud Vetera erant, ob ſtipendiorum diuturnitatem, occiſis centurionibus augmentum & miſsionem poſtularent, à Germanico Cæſare partim pecunia, partim miſsione pacatę ſunt, & in hoſtem ductæ, ut ſcelus in commilitones commiſſum hoſtili ſanguine expiarent.

Eodem tẽpore & in Cauchis Friſiis cæptavere ſeditionem

nem, prȩſidium agitantes diſcordium legionum vexillarii, ſed præſenti duorum militum ſupplicio paulum repreſſi ſunt. Iuſſerat id Mennius caſtrorum præfectus, bono magis exemplo, quàm conceſſo jure, qui deinde in tumeſcente motu profugus, repertuſque poſtquam intutæ latebræ præſidium ab audacia mutuatur: Non Præfectum ab iis, ſed Germanicum ducem, ſed Tiberium imperatorem violari, ſimul exterritis, qui obſtiterant, captum vexillum ad ripam vertit, & ſi quis agmine diſceſſiſſet pro deſertore fore clamitans, reduxit in Hyberna turbidos & nihil auſos. Erant autem vexillarii milites veterani, qui ſena dena ſtipendia meriti ab omni militiæ labore immunes erant, præterquam à pugnando in hoſtem, ſi is ingrueret: ſic dicti quòd ſub uno vexillo retinerentur apud legiones, donec vicena ſtipendia abſolviſſent, & emeritorũ præmia caperent. Hiberna autem tum temporis videntur fuiſſe apud Vetera, quæ erant caſtra antiquitus ibi poſita in Rheni ripa citeriori, ubi nunc ſupra urbem Xanxtenſem jacet vicus Birten nomine, plus minus miliari à Weſalia & Buderico Cliviæ oppidis diſtans. Ibi enim duæ legiones ſub A. Cæcina diſcordes hybernabant: quibus vexillarii conjuncti ea porro geſſerunt quæ apud Tacitum lib. 1. commemorantur de Marſis per noctem occiſis & eorum templo celeberrimo, quod Tancfane appellabant, everſo.

*Vexillarii qui.*

*Caſtra vetera,* apud Santen.

Intereà dum hæc in vicinia apud Rhenum aguntur, noſter princeps Diacorus Segon violentiȩ majori cedens ac in futurum proſpiciens, ſe ſuoſque ſubditos domi in pace continebat. Ne tamen iidem ſubditi longo otio torpeſcerent & belli deſuetudine rei militaris uſum prorſus amitterent, conſueta majoribus ſuis gymnaſia paſſim reſtituit, eaque plura in diverſis locis opportunis per totam Friſiam, potiſsimùm verò in Metropoli Stavora & Doccomio, ut in iis literas & uſum armorum diſceret ju-

*Gymnaſia Friſiorum publica,* Stavorae et Doccomii

ventus quæ ibi ter in hebdomada ad pedeſtre & equeſtre certamen excolebatur, ſeriò & cum magna diligentia. Ea res poſteà toti Friſiæ magnas utilitates attulit, ut deinceps audiemus.

*A.Ch. 16* Anno ſexto decimo Chriſti, cùm Cæſar Germanicus primo vere improviſus in Cattos irrupiſſet, eoſque magnis affeciſſet cladibus, Segeſtem quoque popularium obſidione liberaſſet, ejuſque filiam ex Arminio Cheruſcorũ Duce gravidã cepiſſet, repente ad Rhenum vertit, audito Arminium cum Inguiomero patruo gentibuſq; conterminis in Romanos conſpirare. Ne autem tota belli moles, ſimul incumberet, Cæcinam legatum ſuum cum quadraginta cohortibus Romanis per Bructeros ad Amaſiam flumen præmitit, qui hoſtilem exercitũ diſtrahat. Albinonanus Pedo præfectus equitum finibus Friſiorum turmas ducit, ipſe Germanicus impoſitas navibus quatuor legiones per Lacus vehit: ſimúlq; pedes, eques, Claſsis apud amnem prædictum convenêre. Cauchi cùm auxilia pollicerentur in commilitium aſſumpti ſunt. Bructeros ſua urentes expedita cum manu L. Stertinus miſſu Germanici fudit, interque cædem & prædam reperit undeviceſimæ legionis aquilam cum Varo amiſſam. Ductum inde agmen ad ultimos Bructerorum, quantúmque Amaſiam & Luppiam amnes inter vaſtatum, haud procul Teutoburgenſi ſaltu, in quo reliquiæ Quintilii Vari legionúmq; inſepultæ dicebantur. Eo cùm veniſſet exercitus ſextum poſt cladis annum, trium Legionum oſſa, nullo noſcente alienas reliquias, an ſuorũ humo tegeret, omnes ut conjunctos, ut conſanguineos, aucta in hoſtem ira, mœſti ſimul & infenſi condebant. Primum extruendo tumulo ceſpitem Germanicus poſuit, gratiſsimo munere in defunctos & præſentibus doloris ſocius. Deinde cedentem in devia Arminium nactus, cum eo pugnam conſeruit: ſed æquis manibus utrimque diſceſsum. Germani-

*Germanici per Friſios in Arminium expeditio.*

*Reliquiæ Quintilij Vari à Germanico ſepeliuntur.*

manicus mox reducto ad Amaſiam exercitu, legiones claſſe, ut advexerat, reportare deſtinat, pars equitum littore oceani petere Rhenum juſsa, Cæcina cum ſuis per pontes longos reditum ad Vetera dum parat, ab Arminio ferè oppreſſus, famam circumvenri exercitus dedit, & infeſto Germanorũ agmine Gallias petit: ac ni Agrippina uxor Germanici impoſitum Rheno pontem ſolvi prohibuiſſet, erant, qui id flagitium formidine auderent. At Germanicus legionum, quas navibus vexerat, ſecundam & quartam decimam itinere terreſtri P. Vitellio ducendas tradit, quæ propter littoris humilitatem & æſtum maris impulſu Aquilonis & ſidere æquinoctii intumeſcentem, in ſummo vitæ diſcrimine fuerunt, ne cuncta Oceani pari violentia involverentur; Penetravère tamen ad amnem, quo Cæſar claſſe contenderat, ibique impoſitas navibus, vagante fama ſubmerſas, non prius ſalvas crediderunt, quàm Cæſarem exercitúmq; reducem viderunt. Sed dicat fortaſſe aliquis, quid hæc ad Friſios? multum profectò, intelligimus enim ex hoc loco, eos tunc fuiſſe in fide Romanorum, quandoquidem finibus eorum exercitus ductus ſine ullius aut prælii, aut principis adverſantis mentione, quos tamen hiſtoria Romana ſedulò commemorat, quoties ab iis devictis gloriolam aucupatur. Proinde meritò laudandus noſter quoque Diacorus, qui prudenter tempori ceſsit, & Romanis, tum fortioribus ſe non oppoſuit. Hinc & hoc colligimus, Littus Friſicum eodem tempore ab aggeribus ob tempeſtates fuiſse nudum, & omnino planum, quotidianis Oceani ferventis inundationibus obnoxium. Quia verò primus Romani agminis motus à caſtris veteribus prope urbem Sanctorum fuit: ita & ejuſdem reditum eòdem fuiſse exiſtimamus, cùm ibi pons eſset, apud quem excepit Agrippina reduces, & non apud Ubios aut Treviros, ut hariolatur in ſuo ad hunc Taciti locum, commentario vir ille magnus

*Friſii in fide Romanorum*

gnus Iuſtus Lipſius. Annus certè eſt vertens ab eo tempore, quo Agrippina ad Treviros ivit, & interim reverti ad caſtra potuit.

Probat inſuper Friſiorum cum populo Romano amicitiam & altera Germanici Cæſaris in Cheruſcos & Arminium eorum principem expeditio: qua ille fabricatâ mille navium claſse, anno Chriſti ſeptimo decimo, è Bataviæ partibus ſolvit, & foſsam Druſianam ingreſsus, lacus inde & Oceanum uſque ad Amiſiam flumen ſecunda navigatione eſt pervectus, quod niſi per fines Friſiorum effice-re non potuit. Ubi & conſiderandum, inter copias Romanorum auxiliares etiam Rhetos, Vindelicos, Batavos atque Cauchos recenſeri: Batavos quidem cum duce ſuo Cariovalda cæſos, Arminium autem à Cauchis emiſsum ac conſervatũ. Sic miſerè Germania ſuis tunc ipſa viribus oppugnata, ut & hodie. Sed & Cæſar ſuæ temeritatis pœnas dedit in reditu, navium hominumque maxima parte in Oceano amiſsa, vi tempeſtatis & imperitia ejus maris. Triumphavit tamen bello non patrato. Et in orientem miſsus, veneficio Cn. Piſonis cecidit. Digreſsis autem Romanis, Germani inter ſe diſcordare, de principatu contendere, Semnones & Longobardi Suevorum maximæ nationes à Marobodno Marcomanno ad Arminium deficere, Ingniomerus cum manu clientum ad Maroboldum tranſire, ne patruus ſenex fratris filo juveni parere cogeretur. Inde bellum conflatum, quo Marobodnus Arminio ceſsit, qui poſteà à Catualda Gothone fugatus in Italia Ravennæ, permiſsu Tiberii, octodecim annos exulat. Sed & Catualda à popularibus ſuis ejectus, Druſi artibus, diſcordiam ſerentis, Forum Iulium miſsus. Quin & victor Arminius regnum affectans, libertatem popularium adverſam habet, petitúſque armis cùm varia fortuna certaret, dolo propinquorum cadit, liberator haud dubiè Germaniæ & qui non primordia populi Roma.

*A. C. 17. Altera Germanici expeditio in Cheruſcos.*

*Germani ab hoſte liberati inter ſe diſcordant.*

ma: ſicut alii reges duceſque, florentiſsimũ imperiũ laceſſierit. Præliis ambiguus, bello non victus. Septem & triginta annos vitæ, duodecim potentiæ explevit, caniturq; adhuc Germanicas apud gentes, Græcis annalib. ignotus, qui ſua tantũ mirantur: Romanis haud perinde celebris, dũ vetera extollunt, recentiũ incurioſi ut inquit Tacitus.

His apud Rhenum & in Germania actis, Romani in Africa bello & domi exercenda majeſtatis lege occupabantur, princeps Friſiorum Diacorus pacem quoq; cum ſuis agitabat, quæ quo minus eſſet diuturna calamitas & injuria viciniæ effecit. Druſus enim Octaviani Cæſaris Auguſti priviguus, Tiberii frater, anno ante natalẽ Chriſti decimo Rheno deſcendens, ut ſupra diximus, Friſios minores in ſocietatem receperat, eiſq; modicum tributum corii impoſuerat magnitudine ejus ac forma non adjectis. Cui exigendo temporis ſucceſſu propoſitus quidã ex primipilaribus nomine Olennius, quamvis & ipſe Friſius audiret, cum quævis coria in cenſum accipere poſſet, avaritiam Romanorũ imitatus, ad formam urorum ea pendi voluit aut eorum nomine grande precium inferri. Quæ res cùm Friſiis eſset valdè incommoda, quod Domi tunc illis modica armenta eſsent nec pecunia abundarent, tolerata tamen aliquamdiu fuit. Sed cum primum Boves ipſos, mox agros, poſtremo corpora conjugum aut Liberorum in ſolutum dediſsent: tandem anno 29. rei indignitate exaſperati, cùm ipſorum quærelas nemo præfectorum reciperet, patientiá in furorem verſá, remedium ex bello quæſiverunt, raptis, qui tributo aderant, militibus & patibulo affixis. Cauſa ſeditionis Olennius fugam capeſseus manus iratorum evaſit, caſtello, cui nomen Fleuum, receptus, ubi non contemnenda civium Romanorum ſociorumque multitudo apud Oceanum excubabat. Friſii caſtellum obſidentes. L. Apronium inferioris Germaniæ proprætorem ea re

*Friſiorũ in Romanos defenſio ob tributi iniqtatem.* olennio

*A C. 29*

moverunt, ut ſuperioris provinciæ vexillarios peditũ atque equitum fortiſsimum quemque accerſeret ſimulque utraſq; copias Rheno deportatas in Friſios duceret, ſoluta jam caſtelli obſidione & ad rerum ſuarum defenſionem Friſiis reverſis. Quos ut porro ulciſceretur Apronius, proxima æſtuaria pontibus longis & aggeribus occupat, ut iis exercitum traducat. Repertiſq; vadis equitum Caninefatum alam & quòd peditum Germanorum inter Romanos ſtipendia faciebat, circumire Friſios jubet, eoſque à tergo aggredi. Friſii Romanorum turmas ſociales equiteſque Legionarios ſubſidio miſsos inſtructa jam acie facile proturbant: cumque deinde tres leves cohortes, mox duæ & tandem majore niſu equites immitterentur, nihil effecere amplius, quàm ut per intervalla incurrentes promptius occiderentur, ſatis alioqui contra Friſios validi, ſi ſimul atque uno impetu incubuiſsent. Nec melior Cethego Labeoni Legato quintæ legionis conditio obvenit: qui acceptis ab Apronio auxiliorum reliquiis hæſitans ac periculi metuens robur Legionum implorabat: Ex quibus tandem prorumpentes quintani præ ceteris acri prælio Friſios pelluntur, alaſque ac cohortes vulneribus ſaucias ad ſe recipiunt. Multi tribunorũ præfectorumq; & inſignes centuriones ea pugna ſunt interfecti & ſine ſepultura feris in eſcam relicti, duce Romanorum haut curante mortuos. Mox relatum à transfugis nongentos Romanorum apud Lucum ſive Lacum Badohenne protracto in alterum diem certamine concidiſſe, & aliam quadringentorũ manũ in Cruptoricis quondã ſtipẽdiarii villa mutuis confectã cædibus ne proderentur, metuentẽ. Friſii eo patrato facinore apud Germanos inclareſcere: Tiberius Imperator damna diſsimulare, ne cui bellum committeret: Nec Senatus Romanus curare, ſi extrema Imperii dehoneſtarentur. Audire enim idem à Friſiis verebantur, quòd Dalmatarum

princeps

princeps Bato Tiberio fertur reſpondiſſe quærenti cur rebellaſſet: Romanos (inquiens) ejus rei cauſam eſſe, qui ad ſuos greges cuſtodiendos non canes neq; paſtores, ſed lupos mitterent. Diacorus autem Stavoræ princeps nomen quoque victoris ab hoc prælio videtur adeptus, ut Segon diceretur. Eſt enim antiquo Germanorum idiomate, ſegen, idem quod vincere & de hoſtibus triumphare ut vulgo notum apud eruditos & in lingua germanica, exercitatos. Neque enim ſine duce tantam rem adverſus Romanos Friſii aggredi, nedum perficere potuerunt quamvis ejus nomen Romani præ invidia non exprimant. Magnæ enim tum erant Romanorum illæ copiæ ac prævalidæ, utpotè Veteranorum ſub vexillis merentium & Legionariorum dilecti, qui Friſios inpetebant, Nec aliter vinci aut ſubmoueri à Friſiis poterant, quam inſigni ducis prudentia ac robore pugnantium. Locus autem cœptæ rebellionis in Friſia minore, quàm nunc Weſtfriſiam appellamus, ob viciniam Rheni fuit: cujus medio oſtio exercitum ab Apronio devectum ſcribit Tacitus. Sanè & ipſe Druſus eodem alveo navigavit, cum primum Friſios ſibi amicitia devinxit. Altero enim poſt anno ex Rheno in Iſulam foſſam illam duxit, quàm ex ejus nomine Druſianam nominant. Eodem tempore & Hollandiæ nomen eſt natum, etiamſi vulgi ſermonib. non ſemper fuerit uſurpatum. Olenius enim ille qui tributo præfectus à Tyberio Cæſare fuerat proprio nomine à Friſiis, Holle, id eſt caput ſive capito dicebatur: qui cum Friſiorum impetum effugiſſet caſtello flevo receptus, tantiſper illic ſe tutatus eſt, donec furore populi compreſso, in interiorem Bataviam perfugeret, ut præſidio Romanorum tutus ibi eſſet. Quòd Friſii animadvertentes, Bataviam iſtam percontemptum atque convitium Hollelant & per syncopẽ Hollant hoc eſt Hollonis terram nuncuparunt: quaſi hæc terra receptaculum eſſet

*Diacorus Friſiorũ princeps Segon dictus.*

*Hollandia nomen ab Olennio natum.*

eorum, qui Friſiis libertatem eripere & jugum ſervitutis imponere conati eſſent. De Luco Baduhenne ubi nongenti Romanorum fuere cæſi, docti inter ſe diſſentiunt. Alii enim in Weſtfriſia eum collocant, voluntque eſſe lacum circa Medenblicum & Bennebroeck vocari: Alii in ulterioris Friſiæ ſilvis eum eſſe Backeveen conſtituũt: Vterque locus ad nomen Baduhenne ſatis alludit: ſed vetuſtas judicium incertum facit: Ego poſterius nomen eligo: quia à flevo caſtello remotius & proinde ab eodẽ difficilius ſubſidium. Cruptoricis quoque villa non longe ab illa ſita fuit, ſi doctiſsimo viro D. Hieronimo Verrucio credimus, qui eam Crupſvvoldam nunc appellari & unico milliari ab urbe Groeninga diſtare exiſtimat ut in ſuo theſauro Geographico teſtatur Abrahamus Ortelus, Lector judicio utatur ſuo, ut lubet, nobis indicaſse ſufficit opiniones diverſas.

Baduhenne an Backeveen

Cruptorici villa an Crupswolde

Anno mundi 3978. Dominus & redemtor humani generis Ieſus Chriſtus à Divo Iohanne Baptiſta in Iordane, ut eccleſia vult Romana, die 6. Ianuarii Baptiſatur ut autem recentiores arbitrantur die decimo menſis ſeptimi anno 3977. in feſto expiationis, qui fuit dies 18. Septembris, feria ſeptima: quæ differentia ex nativitatis anno dirimi poteſt, qui ab Evangeliſta trigeſimus pronunciatur. à quo tempore Chriſtus populum Iudæ quatuor annos integros docuit, & quinque paſcata Hyeroſolymis confecit, ut ratio temporis intermedii demonſtrat. Anno enim mundi 3982. feria quinta die 2. aprilis Chriſtus comedit cum diſcipulis agnum paſcalem & ſequenti die 3. aprilis in cruce ſe ipſum pro nobis obtulit agnum immaculatum. Erat is dies feria ſexta ſive ut vulgo loquimur dies veneris: Deinde mortuus ac ſepultus, quinta die aprilis reſurrexit, diſcipuliſque ſuis viuum ſe exhibuit & coram illis 14. May aſcendit ad cœlos: unde ſecũdum promiſsa veceſima quarta ejuſdem menſis ſpiritum

*Baptiſmus domini noſtri Ieſu Chriſti*

*Ejuſdem mors*

Sanctum

Sanctum effudit in ſuos, quos ad prædicandum Evangelium in univerſum terræ orbem jam antea exire juſſerat. In cujus rei memoriam Feſtum pentecoſtes Chriſtiana quotannis eccleſia celebrat: quæ ſi dies illas, ut alias, in calendario fixas retinuiſset, quòd rectè jure merito finitis & abolitis per Chriſti mortem cæremoniis potuiſſet, minor fuiſset in annis turbatio & ambiguitas. Eſt autem hic annus à vero Chriſti natali trigeſimus quintus, computo verò Dyoniſiano, quem cum vulgo ſequimur, trigeſimus tertius.

*Tiberius Cæſar moritur.*

Anno Chriſti 37. Tiberius cæſar ætatis ſuæ 78. die 16. Martii horrendis cædibus & fœdiſſimis libidinibus infamis infælicem animam Miteni in Villa Luculliana efflavit. Ei in Imperium ſucceſsit Caius Caligula Germanici filius, qui Imperavit annos 3. menſes 9. dies 28. Vixit circa hæc tempora Vitho Druidam pontifex in aula Dei Stavonis apud Leonardiã ſecundus Haionis ex longo intervallo ſucceſſor.

*A. Chr. 41. Cai Cæſaris expeditio in Batavos ac Germanos.*

Anno Chriſti 41. Caius Imperator prodigioſæ libidinis, ſævitiæ, prodigalitatis atque omnis nequitiæ teterrimum monſtrum, admonitus, ut numerum ſuppleret Batavorum, quos corporis cuſtodes ſecum habebat, repente ad expeditionem in Germaniam ſe convertit, ſed tanta cum ſtoliditate, ut omnia ejus acta, geſta, vanitatis trucelentiæ fuerint pleniſsima. Ad caſtra enim cùm veniſſet, Legatos, qui ſerius auxilia adduxerant, ſine cauſæ cognitione cum ignominia dimiſit. Veteranos duces loco movit, ut militiæ præmia interciperet. Recepto in deditionem tranfuga, Britannorum regis filio, cum paucis Comitibus, Laureatas Romam literas miſit, quaſi totam inſulam ſubjugaſset. Mox deficiente belli materia cum tamen triumphare cuperet paucos Germanos de corporis cuſtodia & quoſdam obſides ex ludo literario abductos, velut ex hoſtico trans Rhenum captos ad

triumphum cuſtodiri mandat, poſtremo quaſi bello ſupremam manum admoturus, inſtructa acie in litore Oceani omne Bellicū inſtrumentū collocat: cunctis cum ſtupore tanti moliminis exitum præſtolantibus repentè edicit, ut conchas legant: galeas & ſinus replcant ſpolia Oceani vocans Capitolio & Palatio debita, Quibus rebus effectis ne quid ſtultitiæ deeſſet, quaſi parta victoria ad medium Rheni oſtium altiſsimam turrim erigit, ex qua, ut ex Pharo, ad commodū navigantium noctè ignis accenderetur: quæ poſtea à D. ſenero in armamētarium converſa fuit, ut ruinæ teſtantur. Erat tum temporis Caninæfatibus dux inſignis, qui multa in Romanos hoſtilia auſus, Caianarum expeditionum ludibria impunè ſpernebat, Nec minore cum gloria Diacorus Segon noſter princeps annum ſui Imperii trigeſimum agēs in pace Friſios continebat itiamſi exercitus Romanus in propinquo eſſet. Caius autem ab expeditione Romam reverſus pro Deo coli voluit ſuamque ſtatuam Hyeroſolimas in templo collocandam atque adorandam miſit, Itaque ob libidinem, ſuperbiam, crudelitatem omnium petitus odiis, tandem à conjuratis in ſuo palatio vulneribus triginta confoditur anno Chriſti 42. die Ianuarii 24. annos natus 29. optimi patris ſceleratiſsimus filius: fex humani generis appellatus. Huic in Imperio ſtatim à militibus ſuffectus eſt Tib. Claudius Cæſar Druſi Germanici filius, Cay patruus, qui Imperavit annos 13. menſes 8. dies viginti.

*Cai Caligula occiditur à ſuis. A. Ch. 42.*

ſub eo Diacorus pacē domi & cum populo Romano amicitiam conſervavit. Referunt enim annales patriæ ipſius filium Dibbaldum Claudio Imperatori militaſſe & ob ſtrenuam navatam operam muneribus affectum eo bello (ut opinor) quòd is anno Chriſti 44. in Brytannia geſsit. Nam per id tempus Germani id eſt Batavi Caninifates atque Friſii Romanorum ſocii erant: qui ſub A.

Dibbaldo, 'altera' lector: ſequutis

Plantio

Plautio exercitus duce armati fluvios tranabant quos alii pontibus tranſibant & Britannos ad Tameſiam fluvium uſque profligarunt.

Cùm autem id bellum in Britannia longius duceretur & Friſia cum toto terrarum orbe miſerabilem in modum fame laboraret, Diacorus filium Dibbaldum hærentem ibidem de patriæ neceſsitate admonuit, ut domũ reverſus una ſecum circumſpiceret, quomodo plebis inopiæ ſuccurri poſſet. Sed prius quàm is domum reverteretur, Diacorus in fata conceſsit anno Chriſti 46. cùm Friſiæ annis 35. laudabiliter & pacificè præfuiſſet annos natus novem & ſeptuaginta.

*Fames in Friſia & in toto orbe terrarũ*

*A. C. 46 Diacorus Friſiorũ princeps moritur.*

Subditi ex liberis Diacori, quos ille complures reliquerat, Dibbaldum Segonem natu maximũ defuncto patri communi ſuffragio, ut moris tum erat, ſurrogaſse perhibentur.

*et ex toto ordine succedit filio*

## CAPUT SEXTUM.

### *De Dibbaldo Segone ſexto Friſiorum Principe.*

ANno igitur Chriſti 46. Dibbaldus Segon patri in Friſiæ principatum ſucceſsit, ſed non pari moderatione præfuit ac pater, Ergà ſubditos quidem ſemper benevolus ac humanus fuit, ſed ad belligerandum, animo ſemper propenſior. Itaque quaſi Uliſſes quidam duplex & nomine & re ipſa fuit, ubique martis aleam experiens, quamvis infortunatus.

In principio principatus eius ingens annone caritas Friſiam & vicinas circumquaque provincias magnopere affligebat, ut & ſuprà commemoravimus: cui levandæ naves in diverſas mundi plagas & præcipuè in Brytanniã pecuniis inſtructas emiſit, quæ frumentum adportarunt: quò liberaliter in ſubditos diſtributo omnium eorum animos mirùm in modùm ſibi devinxit.

*Dibbald. Segon Friſiorũ. Famem frumento importato ſublevat*

Cùm autem eſset bellandi percupidus, conſtituto Friſiæ topercha quodam Richoldo, ad Claudii Auguſti Cæſaris exercitum in Britanniam reverſus, in multis ibidem præliis fidem diligentiam que ſuam A. Plautio II, Veſpaſiano & Oſtorio ſcapula ducibus Romanis, egregie probavit: Eodem tempore vixit in Friſia eques quidam valdè animoſus atque fortis nomine Ietzardus Ietzo cognomento Sterckamannus, ſic dictus, quod robore corporis omnes vulgo antè celleret. Statura enim ipſi erat octo pedum: cui reliqua mēbra erant conſentanea: fertur duos cados cermſiæ ſimul portaſſe ſumptis ſub ala caſeis ut à corpore diſjungerentur per ducentos viginti paſſus: tuliſſe in brachiis ſuis duos viros per dimidium miliare: equum ferocientem impacto in frontē pugno dediſſe neci. Erat autem tanta iracundiæ, ut nemo ſe irato temere obviam tuliſſet. Hic militia in Germania defunctus, ad Claudium quoque Imperatorem ſe contulit: ubi cum multa egregia facinora patraſſet, invidorium evitare morſus non potuit: Ab illis enim veneno ſublatus eſt. Huic ætate æqualis tum quoque Boiocalus Iuco fuit, qui anno 50. Domum reverſus apud omnes in honore & precio erat, non tàm ob corporis fortitudinem, qua multis longe præſtabat: quam ob animi prudentiam & candorem, virtuteſque reliquas, quas peregrinando comparæverat: Vtinam noſtra nobititas ejuſcemodi viros imitaretur hodie, ut ab exteris nationibus rediret fortior ac prudentior: melius ſuis conſuleret Hærediis. Sed aliud ſeculum ſuadet

*Gannaſcus Canineſas dux Cauchorũ*

Anno autē Chriſti 48. abſente Dibbaldo quidam ex Cauchis Duce Gannaſco Caninefate levibus navigiis inferiorem Germaniam incurſare & Gallorum maximè oram carpere cæperunt, gnari eos eſſe divites & propter opulentiam imbelles. Nam & Gannaſcus diu Romanis militaverat & res populi perſpectas habebat, & ſanquinius

nius Maximus belgicæ præfectus morte ſua provinciam deſtituerat, ita ut facilis in ipſam appulſus eſſet. Quo perſpecto & alacriores effecti Cauchi & Gannaſcus à C. Caligula emeritæ militiæ ſtipendiis fraudatus, jure ſuo repetitum ibant, quod ipſis immerentibus fraudulenter erat ereptum.

Sanquinio autem in præfectura Cn. Domitius Corbulo vir acer atque prudens ſucceſsit. Is provinciam ingreſſus magna cum cura triremes Rheni alveo, cæteras navium ut quæq; habiles per æſtuaria & foſſas adegit, lintribuſque Cauchorum depreſsis, Gannaſcum facilè extur bavit. Mox Friſios ſeditionis ſub L. Apronio cæptæ reos & Romanis infenſos ex inproviſo aggreſſus terruit, eorumque aliquem numerum acceptis obſidibus apud agros à ſe deſcriptos conſidere juſsit: quibus ſenatum, Magiſtratus, leges impoſuit, & ne juſſa exuerent, præſidio firmavit. Cùm autem Gannaſcum Romanis artibus dolo malo, ut transfugam ſuſtuliſſet & Cauchos majores ad deditionem ſollicitaret, deinde antiquam rei militaris diſciplinam adeo ſeverè exerceret, ut Legiones operũ & laborum ignaræ ſtationes, vigilias, diurna, nocturnaq; munia in armis exercere cogerentur: Cauchi indigna Gannaſci cæde commoti bellum ſpectare, & Corbulo ſiniſtra fama appeti, quòd rebellionis ſemina jaceret & Claudius Imperator inſuetam viri, prudentia & gravitate clari, diſciplinam ſuſpectam habere, nec ideo diu cunctari, quin adeo novam in Germanias vim prohiberet & referri præſidia cis Rhenum juberet, Corbulo verò acceptis literis re ſubita turbatus, nihil aliud prolocutus, quàm fortunatos quondam Duces, quibus licuerit eſſe fortibus ſine periculo, ſignum receptui dedit & munitionem caſtrorum, quæ apud Cauchos moliebatur, omiſit. Ne tamen miles, ſi pax eſset, otio exiliret & obedientiam neglecta diſciplina exueret, inter Rhenum, Moſamque quod agri jacebat,

*Cn. Domitius Corbulo belgicæ præfectus Gannaſcum dolo tollit.*

*Friſios componit.*

*Corbulo à Claudio Cæſare revocatur.*

*Corbulo foßam inter Rhenum & Moſam ducit quæ nunc Lecca dicitur.*

ad Lekka
Colonia Fris.

id perfodi juſsit, in eoque trium & viginti millium ſpacio foſſam depreſsit, quo incerta Oceani vetarentur & fluviorum reſtagnatio, illo æſtuante coerceretur: quæ foſſa Corbulonis appellata hodiéque Lecca dicitur. Apud hunc agrum ſic à Corbulone diſignatum, puto illos Friſios conſediſſe, quos alio tranſlatos ab eo Cornelius Tacitus refert, quandoquidem & mediæ ætatis ſcriptores, ibidem Friſios habitaſſe, etiam ante Carulorum tempora, commemorant, ut alibi oſtendimus.

Anno Chriſti 50 P. Oſtorius proprætor duas in Britannia gentes ſubegit. Icenos ſcilicet & Cangos.

*Nobiles à Canga.*

Ex Cangis familiam nobilem in Friſia, quæ de Canga & nunc Camminga dicitur, oriundam exiſtimo, quòd ejus auctor atque princeps ex Britannia cum Dibbaldo Friſiorum principe tunc primum advenerit. Princeps enim Friſiorum Dibbaldus Segon cùm triennium fere integrum Claudii Cęſaris militiam Britannicam eſſet ſecutus, ab eo multis magniſque beneficiis affectus, anno demum quinquageſimo primo, in Friſiam ad ſuos eſt reverſus. A quibus ob revocatum Carbulonem (quod ipſius opera factum interpretabantur) ſumma cum gratulatione eſt receptus.

*Vbii Friſiorum coloni Agrippinenſes facti.*

Eodem tempore & Ubii Friſiorum veteres coloni, ab Agrippina Auguſta Claudii uxore, nova colonia ſunt aucti. Illi enim ſub Octaviano Auguſto cùm Rhenum tranſiſſent à M. Vipſanio Agrippa conſervati oppidum in ripa Rheni ad occidentem condiderant: ibi nata Agrippina ex Germanico Druſi Germanici filio, cùm filium ſuum Domitium Imperatori, privignum vitrico adoptandum procuraſſet, quo ille in familiam Claudiam & nomen Neronis tranſierat, ipſa quoque cognomento Auguſtæ creverat, non contenta tantis honoribus, ut vim ſuam ſociis quoque nationibus oſtentaret, in illud Ubiorum oppidum, ubi genita erat, veteranos, coloniamque deduci

duci fecit: cui nomen inditum ex vocabulo ipſius, ut Agrippinenſis in poſterum appellaretur.

Ex eo tempore Dibbaldus princeps aliquot annis in Friſia ſe tranquillè continuit: verùm comperto Claudium Imperatorem anno Chriſti 55 ab uxore Agrippina veneno ſublatum, & ei privignum Neronem ſubſtitutum (qui deinceps imperavit annos 13. menſes novem) idque excluſo Britannico Claudii naturali & legitimo filio, ipſe quoque anno quinquageſimo octavo ſe commovit ocium pertæſus & in populos orientales expeditionem inſtituit, quos ferro flammiſque perſecutus, miſerè vaſtavit & afflixit, ut annales referunt. *Dibbaldi expeditio in populum orientalem.*

Eadem tempeſtate Paulinus Pompejus & L. Vetus Romano exercitui inferioris Germaniæ præerant. Itaque ne quieta ad id tempus Germania, ſegnitia miles difflueret, Paulinus inchoatam ante tres & ſexaginta annos à Druſo Germanico Auguſti privigno aggerem ſupra Iſulam coercendo Rheno abſolvit: Vetus Moſellam atque Ararim fluvios facta inter utrumque foſſa connectere parabat: ſed à belgicæ legato territus omiſit. agger ad Isalam absolutus

At duo Friſiorum viri nobiliſsimi Verritus & Malorigés Friſiis regendis à Dibbaldo Segone præpoſiti, cùm percrebuiſſet legatis Rom. jus ducendi in hoſtem à Nerone ademptum, Friſicam Iuventutem ſaltibus aut paludibus, imbellem verò ætatem per lacus Rheni admovere ripæ, agroſq; vacuos & militum uſui ſepoſitos, quos olim Chamavi, mox Tubantes & poſtea Uſipii occupaverant, inſidere. Sed cùm jam domos fixiſſent, arvis ſemina intuliſſent, agroſq; tanquam patrios exercerent, Didius Avitus Paulino in provincia ſuccedens, cùm nollet illic Friſios inveteraſcere, illos in veteres locos abſcedere jubet, aut ut novas ſedes à Cæſare Nerone impetrēt. contumacibus vim Ro. intentat. Verùm Friſii, ut agris jam perculſis diſcederēt perſuaderi non potuerunt: Ne tamē bello novo occaſionē *Verritus & Malorigés Friſiorum legati Romam miſſi ad Neronem Imp. A.C. 59.* verritus an est nn: Verryt v. Errijt

darent, Verritus & Maloriges ſe Romam ituros promittunt, ut imperatoris beneficio, quod occupaverant, retinere queant. Illuc cùm anno 59. veniſſent, dum aliis curis intentum Neronem operiuntur, urbémq; perluſtrant in Pompeii Magni Theatrum introducti ſunt, ut populi Rom. magnitudinem contemplarentur. ac dum per otium conſeſſum caveæ, diſcrimina ordinum, quis eques, quis Senatus percunctantur, advertere quoſdam cultu externo in ſedibus Senatorum & quinam forent rogitantes, poſtquam audiverant earum gentium Legatis id honoris datum, quæ virtute & amicitia in Romanos præcellerent. Nullos mortalium armis aut fide ante Germanos eſſe, exclamant, degreſsíque inter patres conſidunt. Quod comiter à viſentibus acceptum quaſi impetus antiqui & bona æmulatio. Nero civitate Rom. ambos donavit: Friſios decedere agris juſsit. Atque illis aſpernantibus auxiliaris eques repente immiſſus neceſsitatem attulit, captis cæſiſque qui pervicacius reſtiterant.

*S. AEgiſtus in Friſiam venit.*

Cappidus Staurienſis auctor eſt Verritum ex familia Harmana, Malorigem verò ex Canga, quæ & Cammingana oriundos fuiſſe, Romæ à D. Petro ad fidem Chriſti converſos, & AEgiſtum unum ex ſeptuaginta duobus diſcipulis domini ſecum in Friſiam deportaſſe; quem D. Petrus in Friſiam & Saxoniam miſerit ad prædicandum verbum Dei. Refert quoque de S. AEgiſto Varnerus Rolevinck eum in his regionibus ſine ullo fermè fructu verſatum, tandémque Martyrio coronatum, & reliquias ejus ad ſuam uſq; ætatem, hoc eſt ad annum uſq; Chriſti 1506. Bardenici in Saxonia cum ſumma devotione fuiſſe conſervatas. AEgiſti adverſarius hoc tempore fuit Serapio Vithonis filius pontifex Druidum in aula Dei apud Leovardiam tertius. Cum hiſce Friſiorum legatis plures iviſſe Romam teſtis eſt in Umbria Interamniæ reperta inſcriptio, qua dicitur Hilarius Neronis Cæſaris corporis

cu-

cuſtos natione Friſo vix. an. xxx. 11. quam nimis ambitioſo ad ſuos Weſtfriſios detorquet Hadrianus Iunius vir alioqui modeſtiſsimus, cùm potius ad noſtrates pertineat.

Hilary Tredy σωματοφύλαξ Neronis
Hyle Hylke

*Romanorum & Britannorum mutuæ clades.*

Anno Chriſti 61. Romani in Britannia, quòd rapinis atque injuriis ſubditos irritaverant, magna clade ſunt affecti. Patientia enim diuturna in furorem converſa Septuaginta Romanorum millia in tumultu cecidiſſe in hiſtoriis relatum eſt. Sed & Suetonius Paulinus inſulæ procurator, recollectis & è Germania accitis novis copiis ſuæ parti non defuit, verùm ſumma induſtria victoriam conſecutus, ultra octoginta millia Britannorum occidit. Qua re intellecta, cùm vires Romanorum apud Rhenum imminutæ viderentur, & alioqui cum eis pacem coleret Dibbaldus Friſiæ princeps nunquam non in bellum propenſus, arma ſua in Germanos ſuperiores convertit. Verùm illis excitatis & ad vindictam promptè procurrentibus præſentaneum mortis periculum vix effugit, ſuorúmque pluſquam octingentis amiſsis, nulla re laudabili confecta, domum rediit. Interim ipſe multis temerè bello laceſsitis in morbum diuturnum incidit, eaque re ſuis hoſtibus cauſam & occaſionem præbuit in ſubditos ejus ſe commovendi.

*Dibbaldus bellũ in Germanos movet, ſed infeliciter*

*Dani Friſiam vaſtant totum ſexenniũ.* 2

Anno enim 62. provinciæ ad ortum Friſiæ ſitæ cùm detrimenta à Dibbaldo principe accepta diutiùs concoquere nequirent, Danos jam anteà Friſiorum hoſtes, pro miſsis induxerunt, ut Friſiorum agros invaderent: Quod Dani coactis maximis copiis non ingratis fecerunt, ac ferro flammiſq́ue omnia populati, opima onuſti præda, domum ſine periculo reverſi ſunt, nec contenti una vice id feciſſe, totum ſexennium continenter urendo & ſpoliando conſumpſerunt, cum gravi totius Friſiæ damno atque dedecore, Dibbaldo interim ob morbum ad reſiſtendum invalido.

Dum hæc in Friſia geruntur, Romæ Nero imperator matrem ſuam Agrippinã & uxorem Octaviam de medio tollit, Pythagoræ cuidam, ut ſcortum publicè nubit & nuptias cum illo celebrat, Romam novem diebus incendio vaſtat, cauſam in Chriſtianos conjicit, quos beſtiis lacerat, flammis exurit & crucibus affigit. Calpurnium Piſonem, Lucanum poetam, Plautum Lateranum & Senecam pręceptorem ſuum multoſque alios quòd conjuraſſent in ipſum, interficit. Traſæam pætum, Barcam Soranum pariterque alios innocentiſsimos juxta ac pręſtantiſſimos viros ad mortem adigit ac quantum in ipſo eſt, virtutem ipſam exſcindere conatur. Poſtea in Græciam tranſit ibi cytharedũ, aurigam, hiſtrionem agit: Corbulonem optime de ſe meritum propinquum ſuum, qui Friſios abſente Dibbaldo compoſuerat officii prætextu evocatum, mori cogit. His rebus turpiter & indignè patratis, cùm in omnium odia ſuo merito incidiſſet, primus omnium C. Iulius vindex proprætor Galliæ adverſus eum ſeditionem movet. Ad eum opprimendum accerſitur, Paulus AEmilius Rufus, qui pro conſulari imperio Germaniã obtinebat, ſed privato colloquio perſuaſus à Vindice, arma ſociat, Ejus rei ignari milites quoſdam ex Vindicis exercitu circa Veſontionem trucidant. Unde Vindex ſe proditum putans ſeipſum jugulat. Rufus ab exercitu Cæſar & Auguſtus appellatus, Imperium recuſat illudque Senatui populoque Romano reddit. At milites in Hiſpania ad Ser. Sulpitium Galbam nobilem conſularem ac ſenem jam ſeptuaginta trium annorum imperium deferunt. Quibus cognitis Nero ab Senatu Ro. hoſtis judicatus & ab omnibus deſtitutus, ſeipſum interficit anno Chriſti 68. die Iunii menſis decima. Ei ſuccedit Galba menſibus ſeptem, diebus decem, qui audita Germaniarum ſeditione ad urbem properat, Hordeonẽ Flaccum ſuperiori; Aulum Vitellium inferiori Germaniæ præficit.

*Neronis crudelitas & vita ſcelerata.*

*Nero deſtitutus ab omnibus, ſe ipſe interficit cui Galba ſuccedit.*

Sacra-

Sacramentum Calend. Ianuarii novo imperatori dicere Hordeonei miles abnuit, Senatui populoq; Romano dicit. At Flavius Valens & Alienus Cæcina tribuni Vitellium quamvis renitentem ſalutant non legatum ſed imperatorem, quorum authoritatem & alii ſequuntur. Galba ob ſenium et orbitatem ſe contemni videns L. Calpurnium Piſonem adoptat Cæſarem. id M. Salvium Othonem offendit, qui ſpe ſua lapſus animum ad utriuſque cędem appulit, et conciliatis ſibi Donatino prætorianis perfecit. Hinc Galba & Piſo ob avaritiā militibus inviſi, trucidantur an. Chriſti 69, die 15. Ianuarii cùm imperaſſet Galba menſes 7. dies decem. Othoni in Imperii ſede collocato, ſtatim æmulus & hoſtis exoritur Aulus Vitellius. Qui ab exercitu Germanico Imperator ſalutatus, copias Fabio Valente & Alieno Cæcina ducibus in Italiā deportat, ipſe in Galliam ad delectum habendum abit. Otho item copias duceſq; parat & claſſem inſtruit, quam in Galliam Narbonenſem contra Vitellium mittit: Denique & ipſe in eum proficiſcitur. Titus Veſpaſianus Romam à patre miſſus ad gratulādum Galbę, cæde ejus audita ad patrem revertitur: qui belli conſilia agitat, ſed bellum ipſum in occaſionem differt. Othonis duces cum claſſe atque copiis in Galliam irrumpere conati à Vitellianis repelluntur, & datis acceptiſque ultro citroque damnis, pactis quaſi induciis, utrimque diſcedunt. Cæcina Italiam intrat. Placentiam oppugnat, ſed cum infamia & ſtrage repellitur. Inſidias paulo poſt Othonianis locat, ſed & ipſæ in ipſum verſæ. Valens Ticinum venit & ſeditione compoſita, rapido agmine Cæcinæ conjungitur. Otho eo nuntio accepto de ſumma belli deliberat, trahi id melius, an fortunam experiri præſtaret: Sed peſsimo conſilio pugnatum haud procul à Bedriaco. Victi Othoniani, non tamen fracti. Verùm Otho averſus à conſiliis belli, mortem elegit, quam 19. aprilis fortiter exequitur,

*Otho imp. Galba & Piſone ſublatis.*

*Aul. Vitellius in Othonem.*

*Otho mortem ſibi infert.*

cùm

cùm imperaſſet menſes tres & dies quinque. Vitelliani victoria elati in Italia diſperſi per municipia & colonias, ſpoliare, rapere, vi & ſtupris polluere, in omne fas nefáſque avidi aut venales, non ſacro non profano abſtinere, apud Vitellium ipſum, qui tum Lugduni agebat, omnia indiſpoſita, temulenta, pervigiliis ac Bacchanalibus quàm diſciplinæ & caſtris propriora eſſe. Fortiſsimi Othonianorum centuriones interficiuntur. Suetonius Paulinus & Licinius Proculus proditionis in Othonem ex propria confeſsione rei conſervantur. Quarta decima legio, quæ pro victa haberi nolebat, ob ferociam in Britanniam remittitur. Cohortes Batavorum, ne quid truculentius audeant in Germaniam redeunt, principium ſimul interno externoque bello parantibus fatis. Reddita civitatibus Gallorum auxilia. Vix credibile memoratu eſt quantum ſuperbiæ, ſocordiæque Vitellio adoleverit, poſtquam ſpeculatores Syria Iudæaq; adactum in verba ejus orientem nuntiavere. At Veſpaſianus in Syria cum Licinio Muciano de bello deliberat & ab illo perſuaſus, Imperium ſuſcipit, Legioneſque in nomen ſuum jurare permittit. Hinc Ægyptum occupat. Mæſici & Pannonii exercitus tranſeunt in partes. Tito Iudæa committitur. Vitellius tandem magno agmine Romam ingreditur & de bello conſultat. Veſpaſiani copiæ in Italiam veniunt, duce & inſtructore Anthonio primo legionis ſeptimæ in Pannonia legato. Multis præliis mari terráque Vitelliani funduntur. Caſtra ad Cremonam expugnantur. Cremona excinditur cum magna Vitellianorum ſtrage, in ipſa urbe omne genus cladium. Vitellius in luxu nec ſine ſævitia verſatur. Interim Britannia, Germania, Dacia concutiuntur. Veſpaſiani Duces Romam petunt, Vitellius paciſcitur cum Sabino Veſpaſiani fratre, id pactum Germanici milites rumpunt. Sabinum in Capitolium compellunt, obſident, expugnant, incendunt.

*Veſpaſianus tempus occupandi imperii circumſpicit.*

*Capitolium Romæ incenſum, quod in omen poſteà verſum.*

dunt.

dunt. Tandem omnes Veſpaſiani copiæ per vim & varia prælia Romam ingreſſæ, omnia libidine & cæde fœdant. Vitellius ipſe è latebris tractus obtruncatur, in Gemonias unco trahitur & in Tyberim abjicitur anno eodem 23 Decembris, cùm imperaſſet menſes octo, dies quinque, Ei ſuccedit T. Flavius Veſpaſianus ab exercitu Syriæ dictus Imperator. Interea bellum in Germania gliſcere, quod jam inde à Galbæ dominatu pollulabat. Miles enim donativo fruſtratus à Galba, qui ſe militem legere non emere reſponderat, res novas moliebatur, & poſt mortem ejus in partes Vitellii tranſierat. Deinde à Vitellio victore remiſſus, à Veſpaſiani Ducibus ſollicitabatur. In eam rem Antonius Primus è Pannonia ſcripſerat Claudio Civili, qui apud Batavos regia ſtirpe & potentia & autoritate plurimum poterat, ut Germanos in gratiam Veſpaſiani concitaret, Legioneſque ac cohortes Batavorum Moguntiaci degentes ſpecie ejus tumultus retentaret, ne reſpublica Rom. funditus evertatur, ſi redintegrato bello, tot armatorum millia Italiam irrumperent.

Civilis autem cùm doleret fratrem ſuum Iulium Paulum fortiſsimum Ducem, falſo crimine rebellionis à Fonteio Capitone legato interfectum: ſeipſum in catenis ad Neronem miſſum, à Galba quidem abſolutum, ſed jam anno vertente ad pænam ab exercitu Germanico iterum poſtulari, quamvis à Vitellio conſervatus ei gratiam debere intelligeret: tamen hac data occaſione & Antonii primi literis excitatus, partim ut injurias à Romanis acceptas ulciſceretur, partim ut oppreſſæ patriæ ſubveniret, eamque in libertatem aſſereret, Veſpaſiani jam antea ſibi in vita privata cogniti amicitiam ſuis conatibus conſiderate prætendens, quod juſſus erat ab Anthonio, ſolerter exequitur. Vitellius ſuo diſceſſu exercitus Germanicos viribus exhauſerat, lectiſsimum quemque ſecum abducendo, juſſeratque eos novis delectibus ſuppleri. Cùm

*Claudius Civilis princeps Batavorũ Germanos in Romanos concitat.*

autem ipſi principes atque adeo legati non adeſſent, ſed vel centuriones aut præfecti, homines plerumque avaritia ac libidine maculoſi, dilectus agerent. Civilis hinc eos accuſandi occaſionē nactus, facile Batavis ſuis ad convivium in ſacrum nemus, quod Schalenboſch vulgò dicitur, vocatis, perſuaſit, ut dilectus abnuerent, & ſi arma inferrentur, ſe armis viciſsim defenderent. Itaque cùm deſciſcere à Romanis propoſuiſſet, Caninefates vicinos ſuos quos nuncKennemerlandos vocamus, in ſocietatem belli attrahit, & occultis nuntiis cohortes, Batavorum Moguntiç agentes ad ſe pellicit. Erat tum apud Caninefatos natalium ſplendore inſignis quidam Bruno, cujus pater magno animo ludricas Caii Cæſaris expeditiones contempſerat: is in ſcutum ſublatus à popularibus Dux electus, adjunctis ſibi Friſiorum auxiliis, ſtatim ex improviſo, Romana duarum cohortium hyberna per Oceanum invadit, capit atque diripit, Lixas negotiatoréſque Romanos ſpoliat. Hinc progreſſus, caſtellis, quæ in ripa Rheni contra Germanos fecerat Druſus Germanicus, continenter imminet, ea præfecti cohortiū, quòd defendi nequibant, deſerunt & incendunt. Signa & vexilla in ſuperiorem Batavíæ partem Dux Aquilius Primi pilaris ex proximis Nervorum Germanorúmque pagis ſegnem militem armis magis oneratum quàm ornatum trahens ducit. Cùm autem eos ad ſua caſtella revocaret Civilis ut eos diſsipatos carptim vinceret, nec dolus intentatus procederet, indicioque Germanorum pateſceret, non Brunonem Caninefatem, ſed Civilem Batavum ejus belli authorem atque Ducem eſse. Civilis aperto marte graſſandum ratus, Caninefates, Friſios, Batavos generatim compoſitos citra moram in Romanos ducit, qui à Tungrorum cohorte in acie deſerti atque proditi miſerè trucidantur. Eadem perfidia remigum etiam naves Romanorum capiuntur. Itaque arma & claſsem adeptus Civilis

*Bruno Caninefatū dux eligitur. et Fris*

*Caninefates Friſii ac Batavi à Cl. Civile ducuntur in Romanos.*

vilis, per Germanos Galliaſque libertatis auctor celebratur. Germaniæ ſtatim obtulere auxilia. Gallorum ſocietatem callidè ambiebat donis, ſuaſionibus, promiſsis. Hordeoneus Flaccus, ſuperiori Germaniæ præpoſitus primos Civilis conatus, ut à Veſpaſiano non alienus, per diſsimulationem, aluerat. At ubi expugnata hiberna, deletas cohortes, Romanum nomen Batavia expulſum audiunt: Mumium Lupercum duarum Legionum hybernis præfectum ducere in hoſtem jubet. Eum in aciem progreſſum, prima Batavorum ala à ſiniſtro cornu deſerit, mox Ubiorum, Trevirorumque auxilia turpi fuga deſtituunt: quos dum Germani conſectantur, Legiones in vetera caſtra, quæ ſupra oppidum Sanctorum juxta Rhenum, in loco qui nunc Birten appellatur, ſita erāt ſe recipiunt atque communiunt. Claudius Labeo alæ Bataviæ præfectus, ne æmulatione Civilem impediret, in Friſiam cuſtodiæ mandatur. Cohortes Batavorum iterum à Vitellio Romam evocatæ, ſed literis Civilis in itinere retractæ, contempto Hordeoneo inferiorem Germaniam petivit. Caſtris Bonnenſibus erumpentem Herennium cum tribus millibus Legionariorum, & tumultuariis Belgarum cohortibus, cùm innoxium iter, quod petierant, ipſis negaretur, repellunt, cædunt atque proruunt, nihilque amplius hoſtile auſi, vitata Agrippinenſium Colonia, Civili conjunguntur. Earum adventu Civilis confirmatus, juſti exercitus Ducem agebat, ſed potentiam Romanam ſecum reputans, omnes qui aderant in verba Veſpaſiani adigit. Legiones in Veteribus ad idem ſacramentum invitat. Earum Legati Mumius Lupercus & Numiſius Rufus, cùm reſpondiſſent ſibi Vitellium principem eſſe, quem ad extremum vitæ ſpiritum vellent defendere, ſe proditoris aut hoſtis conſiliis non uti, eveſtigio vallum muroſque caſtrorum contra obſidionem firmant. Civilis reſponſo exaſperatus, Batavos

*Legiones apud Vetera obſeſſæ à Civili.* univerſos cum Bructeris, Tencteris ac Germanis in arma concitos, aſſultante per campos equite, in legiones ducit, ſimul naves adverſo flumine adigit, ut undique terrorem incutiat, ſed ab illis fortiter repulſus, obſidioni ſe parat, ut, quos ferrum non valeat, fames expugnet. interim Dillius Vocula duodevicefimæ Legionis Legatus cum lectis militum ab Hordeoneo mittitur obſeſsis auxilio. Miles in Hordeoneum fremit, ille ſe purgat exemplis literarum exhibitis, quibus per Gallias, Britanniam, Hiſpanias auxilia oraverat. Galli quoque ſtrenuè Romanis ſubſidia ſubmittunt, ſed prævalentibus Germanis, ſpe libertatis & libidine Imperandi ſimul cùm ipſis accēduntur. Vocula militem ſeditioſum fortiter comprimit. Inde rerum ſumma ab Hordeoneo ipſi permittitur. Accedit ei Herennius Gallus in partem curarum legatus. *Gelduba hodie vicus ſupra Ordingam ad Rhenum ignobilis: Geldub.* Nec auſi in hoſtem pergere, loco cui Gelduba ad Rhenū ſupra Ordingam oppidum nomen eſt, caſtra moliuntur. Ibi militem acie ſtruenda, aggerando, muniendo ſæteriſque belli meditationibus inſtruunt atque firmant. Partem exercitus Vocula in Gugernos, quos nunc Iuliacenſes vocamus, prædatum educit: partem apud ſe Gallus retinet: cui, ob fortuitum cum Germanis certamen de nave frumentaria amiſſa, proditionis crimen impingitur & vincula injiciuntur: quibus adventu Voculæ exſolvitur, qui ſeditionis auctores morte punit. At Civilis jam fama apud Germanos inclytus, vaſtare Ubios, Treviroſque trans Moſam, Menapios & Morios extremáque Galliarum concutere, utrobique prædas agere, Ubiis ſubactis ſucceſſu rerum ferocior factus, obſidionem Legionum urgere diſpoſitis excubiis, ne quis de aduentu auxilii certiores faciat. Germani vallum aggrediuntur, ſed inconſultè, dum noctu accenſis ignibus aut iis extinctis in tenebris pugnant, telis hoſtium perpetuò obnoxii. Batavi turrim duplici tabulato ſtructam portæ prætoriæ admovent, ſed

ea

ea aſſeribus & trabibus incuſſa à Romanis perſtringitur, cum ſuperſtantium internecione. Eo comperto ad obſidium redit Civilis nuntiis & pollicitationibus fidem Legionum obtundens. Interea literæ Primi Antonii cum edicto conſulari Alienæ Cæcinæ, & Alpinus Montanus cohortis victæ præfectus pugnam Cremonenſem ejúſq; exitum ſignificant, varioque motu exercitum afficiunt. Auxilia Gallorum, hortatu præfectorum, ſtatim à Vitellio deficiunt. Vetus miles cunctatur, attamen inſtante Hordeoneo, hæſitans in nomen Veſpaſiani tranſit. Montanus deinde civilē admonet, ſi verè pro Veſpaſiano arma ſumpſerit, adveniſſe tempus quo armis depoſitis pacē faciat. Ad ea Civilis primum cautè, mox ut hominis ingenium ferocius animadvertit, quiritari, nulla apud Romanos militiæ præmia, ſe viginti quinque ſtipendiis meruiſſe fratris necem, deinde vincula, denique ut, quamvis innocens, ab exercitu ad ſupplicium poſtuletur, non eſſe mirum ſi atrocibus injuriis affectus, ipſe viciſſim pœnas exigat. Caperent ab ipſo exemplum Treviri, qui præfectus unius cohortis cum Batavis & Caninefatibus exigua ſanè Galliarum portione, vana illa caſtrorum ſpacia exciderit, aut obſeſſa ferro faméque conſumpturus ſit. Treviris aliiſq; Romano imperio ſervientibus nullum aliud toties effuſi ſanguinis precium expectandum, quàm duram militiam, immortalia tributa, virgas, ſecures & Dominorū inſolentias. Audentes aut libertatē ſecuturam, aut eandem fortunam, quę cęteros manet. Sic dimiſſus Montanus ſine Legationis fructu revertitur, cætera diſſimulans, quæ mox erupêre. Civilis parte copiarum retenta Iulium Maximum & Claudiū victorē ſororis ſuę filium adverſus Voculā mittit, qui in itinere Hyberna unius alæ, Aſciburgii, nunc inter Rhenum & Moerſam ſita, ex improviſo rapiunt, atq; in iis ipſum Voculam ferè opprimunt, niſi adventu Vaſconum fuiſſet ſublevatus, qui Batavos à tergo cædunt, &

*Miles Romanus à Vitellio in Veſpaſianum tranſit.*

terrore percellũt. Uterq; dux in culpa: Civilis ob paucitatem copiarum, circumventus, & Vocula morando victoriæ corruptor. Civilis tanquam victor retrocedens, obſeſſos fraude tentat, quam unus ex captivis aperit eveſtigio confeſſus. Mox Vocula cum exercitu advenit, obſeſsis fert ſuppetias. Certatur maximis viribus, primùm ambigua fortuna, mox proſpera, dum obſeſsi omnibus portis erumpunt. Et Civilis equo lapſus magnum ſuis pavorem, hoſtibus alacritatem addidit. Vocula iterum omiſſo victoriæ uſu, caſtra vallo & turribus firmat, tanquam rurſus obſidionem toleraturus. Interim penuria commeatuum laborans, impedimenta Legionum, cum imbelli turba Noveſium mittit, adjunctis cohortibus ad deportandum terreſtri itinere frumentum. Civilis ea re cognita frumentatores revertentes vagos & incompoſitos aggreditur, & conſerto prælio Geldubam compellit. Ad eos eripiẽdos Vocula copias Veteribus lectas inſtruit. Geldubam mittit & inde Noveſium. Civilis Vetera circumſedet. Geldubã capit & haud procul Noveſio equeſtri pugna feliciter præliatur. Romanus ſeditione mota ab Hordeoneo Donatinum nomine Veſpaſiani accipit & tamen ipſum Hordeoneum ut ſuſpectum interficit. Idem auſurus in Voculam, niſi per tenebras evaſiſſet. Hæc anno Chriſti ſexageſimo nono, Duce Claudio Civile à Batavis, Caninefatibus, Friſiis, & Germanis in Clivia circa Oppidum, cui Xanxtena nomen eſt, geſta ſunt, quo tempore Dibbaldus Segon Friſiorum princeps multarum navium claſſe adornata in Daniam erat profectus, ut injurias à Barbaris Friſiæ illatas ulciſceretur, quemadmodum Occo Scharlenſis in annalibus commemorat.

*Dibbaldus Segon hoc tempore in Danos iverat*

Agnita verò Vitellii Imperatoris morte, Claudius Civilis apertè in Romanos ruit. Treviros atque Lingones Galliæ populos in partes trahit, qui Coloniæ Agrippinæ congregati, diſcordiis civilibus diſtrahi Romanum imperium,

rium,

rium, Legiones cæſas, vaſtatam Italiam omnéſq; exercitus ſuis diſtineri bellis, dum audiunt, inſtare finem Romanæ urbi ob Capitolium incenſum arbitrantur. Ad Gallos mittunt, qui ibi bellum concitent, obſequio Dillium Voculam in fraudem inducere conantur: qui reſciſcens inſidias cautè vitat, punire ob imbecillitatẽ non audet. In Coloniam Agrippinenſem abit. Eodem & Claudius Labeo venit, qui deceptis cuſtodibus è Friſia profugerat. Is accepta peditum equitumque modica manu, nihil apud Batavos auſus, quos tamen ad obſequium reducere promiſerat, quoſdam Nerviorum, Bethaſiorumque in bellum adducit, furtiviſque excurſionibus Caninefates Marſacoſque inter ſe vicinos vexat. Vocula deceptus à Gallis in Civilem vadit. Eum Veteribus propinquum Claſsicus Alæ Trevirorum præfectus & Iulius Tutor palam deſtituunt. Ille Noveſium redit plenus irarum. Galli Romanum exercitum in ſua verba traducunt. Vocula juſſu Claſsici occiditur. Herennius & Numiſius Legati vinciuntur. Claſsicus ſumptis Rom. Imperii inſignibus Romanos in verba Gallorum adigit. Tutor Agrippinenſes eodem ſacramento rogat. Mogontiaci Tribuni occiduntur & caſtrornm præfectus expellitur. A Claſsico obſeſsi apud Vetera Legionarii promiſsis ac minis ad deditionem invitantur. Qui tandem extremam paſsi inediam, vitam orantes claudio civili ſe dedunt: Deditos contra fidem Germani in itinere trucidant. Caſtris direptis ac incenſis capillum Civilis quem hactenus ex voto aluerat, deponit. Enimvero nec ipſe nec quiſquam Batavorum Gallis ſacramentum dixit, ſpem in Germanis ponens, apud quos, ſi de imperio certandum eſſet, & fama & dignitate prævalebat. Erat iis diebus ultra Rhenum apud Bructeros quædam virgo fatidica nomine Velleda, in edita turri ad Lupiam amnem habitans. Ei inter Dona mittitur Mumius Lupercus Legionis Legatus, ſed in

*Veteribus captis Civilis capillum votivum deponit.*

Velleda Virgo Fatidica.

itinere

itinere occiditur. Hinc paſsim omnia hiberna Romanorum evertuntur & incendiis conſumuntur, exceptis iis, quæ Vindoniſſæ & Mogontiaci ſita erant. Legio decima tertia, Neveſio egrediens triſte ſpectaculum præbet, cùm ejus ſilens agmen & longæ quaſi exequiæ, Gallorum contra hinc inde vexilla fulgerent. Huic altera Legio ex caſtris Bonnenſibus jungitur. Ambæ antè mœnia Trevirorum ſubſidunt. Sola Picentina ala ludibrium vulgi non ferens Mogontiam petit, & in itinere AEmilium Longinum Voculæ interfectorē telis obruit. Agrippinenſis colonia à Civile, Claſsico, ac Teucteris in excidii periculum vocata, fato conſervatur, dum ſe arbitrio Civilis, & Velledæ permittit, eoſque miſsis legatis ac donis placat. Adjunctis Agrippinenſibus Sunicos occupat Civilis, & proximas quaſque civitates affectat. Ei ſe opponit Claudius Labeo ſed vincitur ejuſque milites Tungri, Bethaſii, atque Nervii in fidem Civilis tranſeunt. Iulius Sabinus magna vanitate Cæſarem ſe ſalutari jubet, quòd Iulius Cæſar olim cum avia ſtupri conſuetudinem habuiſſe diceretur, qui infelicem Lingonum manum in Sequanos ducens, ab iis ſuperatur. Inde profugus novennium latet, creditus incendio & morte voluntaria abſumptus. Hic belli impetus conſtitit, reſipiſcentibus paulatim Galliarum civitatibus, dum fœdera antiqua ſecum reputant.

*Belli converſio à Galliis.*

Princeps Remorum civitas concilium edicit, ut miſsis legatis conſultent: Libertas an pax placeat. Intereà Mucianus, Veſpaſiani imperatoris apud Romanos Legatus, de rerum eventu valdè ſollicitus, victrices Legiones & auxilia ex Hiſpania & Britannia extracta, tranſmittit Alpes. Eorum adventu comperto Galliæ ad mitiora conſilia inclinant Civitates. Tullius Valentinus Trevir rurſus in arma, Iulius auſpex Remenſis ad pacem cohortantur, vicit auſpex, ſcribitur Treviris, ut arma deponant, reſiſtit Valentinus, Dum Treviri Lingoneſque

parum

parum bello intenti, Civiliſque Labeonem perſequitur, Romani undique magnis copiis Vindoniſſa & per Rethiam irrumpunt, Iulio Brigantico duce, qui ſorore Civilis genitus, avunculum peſsimè oderat, ad extremum Romanis fidus. Primi Legionarii, deinde Tribchi, Vangiones & Caracates ad Romanos redeunt. Tutore victo perculſi Treviri, à Valentino & Tutore in arma retrahuntur, Herennio & Numiſio interfectis. Interea Petilius Cerealis miſſu Muciani Moguntiacum venit, feſtinat in hoſtem, Valentinum capit. Trevirorum Coloniam recipit & eidem prudenter parcit: Legionibuſque, quæ nuper ſe dediderant, ignoſcit, fato eveniſſe dictitans, quæ militum Ducumve diſcordia vel fraude hoſtium erant patrata. Valentinus ad Domitianum Veſpaſiani filium miſſus, ab eo interficitur. Cùm autem Civilis atque Claſsicus Imperatorem extinctum accepiſſent fama, idque cereali indicaſſent, oblato ei in Gallias Imperio, nec eis ab illo reſponderetur quicquam, nuntio eorum tantum retento & ad Domitianum miſſo. Cerealiſq; caſtra foſſa valloque firmaret, Civilis ducendum bellum, Claſsicus & Tutor maturandum cenſent, quorum ſententia ſuperat. Itaque conjunctis viribus undique Romanos invadunt, & diſtractos inter tentoria pæne fundunt. Accurrit Cerealis qui mirabili conſtantia milites palantes increpat, & ad ſigna manipuloſque reducit, mox etiam hoſtem fugat prædæ magis quàm prælio intentum, quin & fortunam ſecutus, caſtra hoſtilia eodem die capit & evertit. Hanc fortunæ commutationem conſpicati Agrippinēſes, cum ea vertuntur in perfidiam, ut pacem redimant, uxorem & ſororem Civilis filiamque claſsici relicta ſocietatis pignora, Cereali offerunt, Germanos in domibus diſperſos necant. Hinc inſtigante metu ſuppetias orant. Civilis ſanè in Agrippinates intendebat animum, cum Tolbiaci in finibus eorum ageret, non inva-

*Iulius Briganticus Civili avunculo ſuo infenſus & Romanis fidelis*

*Agrippinenſes cum fortuna mobiles.*

lidus, flagrantiſsima cohortium ſuarum integrâ, quæ Cauchis Friſiiſque conſtabat. Sed avertit hominem de cohorte ab Agrippinenſibus cæſa, triſtis nuntius, qui Germanos epulis & vino ſopitos, clauſis foribus, incendio conſumpſerant. Metuebat etiam Civilis Legionem Britannia evocatam & claſsem, ne Batavos ab Oceano invaderent. Sed Legio in Nervios Tingroſque abiit. Claſſem Caninefates partim depreſſerunt, partim ceperunt, quin & Nervios ſponte bellum pro Romanis captantes acie fuderunt. Claſsicus quoque eodem tempore in equites Noveſium à Cereale miſſos feliciter pugnat. Quæ ſingula quamvis modica damna eſsent conjuncta, tamen victoriam Romanis nuper partam valdè imminuerunt. Civilis reparatis è Germania copiis, apud Vetera conſedit, & loco tutus reputatione ſucceſsuum, quos ibidem habuerat, militem confirmat. Eodem etiam confeſtim advolat Cerealis duplicatis viribus robuſtior. Uterque pugnandi avidus, ſed camporum interjacentium uligine impediebantur, quo minus juſta acie confligerent. Pugnam tumultuariam nox dirimit. Altera die Cerealis equitatum & auxiliarias cohortes à fronte locat, & in ſecunda acie Legiones, ipſe ſibi in omnem eventum dilectos retinet. Civilis verò ſuos per cuneos diſponit. Batavi & Cugerni dextrum: Tranſrhenani ſiniſtrum & Rheno proximum latus obtinent. Varia ducum exhortatione concurrunt acies, turbantur Romani dum eos magnis ſuis corporibus aggrediuntur in aquis Germani, & prælongis haſtis confodiunt. Sed cujuſdam Batavi profugæ ſuggeſtione adjuvantur, qui Cereali in Paludis extremo vadum indicaverat, unde duabus alis à tergo imminentibus, pulſi Germani Rhenum petere ſunt coacti. Nox & imbres victoriã perſequi vetuerunt. Civilis in Bataviam abit, ubi Cauchorum auxiliis firmatur, non tamen audet Batavodurum armis tueri; ſed molem à Druſo

*Cohors Civilis è Cauchis & Friſiis flagrantiſsima.*

*Civilis apud Vetera cum Cereali pugna dubio marte.*

Batavodur[um]

à Druſo Germanico factam diruit, ut Rhenus diſjectis, quæ morabantur, prono alveo in Gallias effunderetur. Galliarum proceres trans Rhenum fugiunt, ut inter gentes periculorum avidas miſeratione atque donis auxilia conciant. Civilis diverſa præſidia invadit. Germani pontem Batavoduri inchoatum irrumpere contendunt; Vadam Civilis. Grunnes Claſsicus oppugnat. Ibi Briganticus, Civilis ſorore natus, alæ præfectus, inter fortiſsimos cadit: quem Romanis fidum & avunculo infenſum ſupra diximus. Cerealis equitatu Germanos in flumen agit. quod Civilis relicto equo tranat: Tutor atque Claſſicus Lintribus periculum evadunt: Cerealis fortuna, quàm ſapientia validior, dum Bonna Noveſioque revertitur, propemodum à Germanis interceptus, naves amittit, è quibus prætoriam triremem Velledæ donant. Hinc navale certamen apud Moſæ & Rheni confluentes inſtitutum, tentato telorum jactu dirimitur. Civilis nil ultra auſus trans Rhenum abit. Cerealis Bataviam hoſtiliter populatur, agris villiſque Civilis intactis, nota Ducum arte: ſed inclinante autumno ab aquis atque hoſtibus fere opprimitur, dum nec claſsis nec commeatus ſuppetit, & caſtra vi fluminis auferuntur. Paucis autem poſt diebus per occultos nuntios Batavis pacem, Civili veniam Cerealis oſtentans, Velledam propinquoſq; monet fortunam belli tot cladibus adverſam, opportuno erga populum Romanum merito, mutare. Cùm verò Trans-Rhenani & Batavorum vulgus ad iſta inclinarent & proceres acerbius in ipſum inveherentur, Civilis commutationem animorum veritus, cum tædio malorum tum ſpe vitæ impulſus, in abrupto Vahalis ponte ad colloquium admiſſus cum Cereale tranſigit & in amicitiam Imperatoris Veſpaſiani redit, ut ex Tacito patet. Hæc anno Chriſti Septuageſimo acta ſunt, quo anno etiam princeps Friſiæ Dibbaldus claſſe ſua violentia ventorum

*Bataviæ facies hie malis.*

*Civilis bello depoſito in gratiam cum Romanis redit, A.C. 70.*

Dibb. pacem facit cu Danis

diſsipata pacem cum Danis in ſexennium fecit. Eſt autẽ hic annus Chriſti ſeptuageſimus in omni hiſtoria Chriſtiana notatu dignilsimus, quo a Tito Veſpaſiano Imperatoris filio, Hieroſolyma obſeſſa, templum Dei crematum & regnum Iudæ ſublatum fuit. Spectabilis & miſerabilis clades qua tot hominum millia in una civitate ceciderunt, quot in multis Europæ Regionibus vix invenias. Convenerunt enim in eam, ut Ioſephus tradit, cùm quartadecima Aprilis in paſcate primùm obſideretur, ad vicies centena hominum millia, quibus, quòd puri eſſent, licebat veſci Paſcate, præter eos, qui vel neceſsitate naturæ vel aliis de cauſis impuri reputabantur. Ex iis obſidionis tempore undecies centena millia feruntur mortui, capti nonaginta ſeptem millia. Innumeri fame, exilio, ærumnis & miſeriis oppreſsi. Templum orbis terræ auguſtiſsimum decima Auguſti incendio deflagravit, cùm ſtetiſſet annis 589. Urbs ipſa 8. Septembris incenſa, feria ſeptima, ut annotavit Dio in Nerone. Exemplo moniti renuntiemus idolis, & Chriſtum pulſantem intromittamus, ne & nos igne conſumamur & pereamus in æternum. Claudio civile cum ſuis in gratiam à Romanis recepto & pace cum Danis in ſexennium, uti diximus, firmata, princeps Friſiorum Dibbaldus ſe domi in ſumma tranquillitate continuit, etiamſi eſſet natura ad bellum inclinatiſsimus. Veſpaſianus quoque imperator Iudæa ſubacta paci admodum ſtuduit. Nam & Capitolium ſuperiore anno à Vitellianis exuſtum inſtaurare cœpit & tributum ad ſolvendum æs alienum bello contractum à populo vel ex lotio exegit. Mox cum Tito filio de Iudæis triumphum agens, Templum Iani ſextũ claudit: Novum pacis Templum inchoat. Terras Iudæorum vendit, fanum ipſorum in Ægypto claudit, & poſtea diruit. Philoſophos, quod publicè diſſerendo in varias ſententias homines diſtraherent, urbe Roma pellit.

A. C. 70.

Hieroſolymæ excidium.

pellit, inde anno Chriſti 74. cum Tito filio cenſuram agit: Invenit homines complures, qui annos centum, centum & decem, centum & viginti, centum & triginta, centum & quadraginta, centum & quinquaginta ætatis exegerant. Quid igitur mirum ſi Friſiorum principes, duces, atque reges longævi fuiſſe perhibeantur? hoc ſanè Taciti publico teſtimonio calumniæ os obſtruitur. *Homines longævi.*

Anno autem Chriſti ſeptuageſimo ſeptimo, quum Romani Iulio Agricola duce Britanniam rurſus ſubigerent, Dibbaldus diutius quieſcere nequiit, ſed inſtigante Tabbone ſupremo militiæ præfecto, expeditionem in Sicambros eſt molitus. Sicambri verò populus & numero ingens & fortitudine inſignis ultra Rhenum, ubi nunc Veſalia & Duiſburgum ſunt oppida, tunc temporis habitabant, etiamſi eorum ab Auguſto Cæſare in alteram ripam traducti quatuor millia Galliæ partem occupaſſent, & ita animati erant, ut non facilè quempiam eos interpellantem timerent. Dibbaldum ſanè ita exceperunt, ut ultra quingentis ſuorum amiſsis, cum ingenti Sicambrorum irriſione ab iis repulſus in Friſiam ſit reverſus: quæ res principem alioqui ambitioſum ita afflixit, ut præ animi mærore in phthiſim inciderit: qua octavo deinceps anno confectus interiit. *Dibbaldus in Sicambros movet ſed repellitur*

Anno Chriſti 79. die 25. Iulii, Veſpaſianus imperator unus principum accepto imperio melior factus, ex profluvio ventris ſtando moritur, quòd imperatorem eum ſtatum maximè decere diceret, cùm annos decem minus ſex diebus pacificè imperaſſet. Ei ſtatim in imperio ſuccedit Titus filius princeps optimus, clementiſsimus, & beneficentiſsimus, ob id amor & delitiæ generis humani vulgo nominatus: ſub quo Iuvenalis, Martialis, Statius poetę: deinde Quintilianus, Ioſephus, Philo, Trogus & Epictetus maxima ingenia florent: Ipſe anno Chriſti 81. die 13. Septēbris à fratre Domitiano potionatus occumbit, cùm *Veſpaſianus moritur.*

præfuiſſet imperio annos duos, menſes duos & dies viginti: Succeſſorem habuit eundem Domitianum fratrem ſuum, hominem natura ſævum, ferocem ac vafrum.

*Dibbaldus moritur. anno Ch. 85.* Dibbaldus aũt Friſiæ princeps phthiſi tandem mortuus ac Stavoram tranſlatus, ibidem ſolenni pompa anno Chriſti octuageſimo quinto ſepelitur, poſtquam Friſiam gubernaſſet annos triginta novem. Liberos (quod quidem ſcitur) nullos ex ſe genitos reliquit: ideoque ſubditi ſuffragiis ſuis Tabbonem, præcipuum ejus inter proceres exercitus ductorem, ipſi dederunt ſucceſſorem.

## Caput Septimum.

### *De Tabbone ſeptimo Friſiorum Principe.*

ANNO igitur octuageſimo quinto Chriſti, ſeptimus Friſiorum princeps inauguratus eſt Tabbo: vir planè natura crudelis ac tyrannicus, quique nihil ſpiraret quàm contentiones, pugnas & bella.

Hic igitur, ut animũ ſuum expleret, ad Domitianũ imperatorem, hoc eſt principẽ ſui ſimillimum, militatũ abiit, conſtituto in Friſia toparcha, qui populo jus diceret. Domitianus autem tum bellum gerebat adverſus Cattos ſive Heſſos, eoque inſaniæ proceſſerat, ut ſe dominum atque Deum appellari juberet.

Adhæſit autem Tabbo militiæ Domitiani in ſeptimum uſque annum, variiſq; præliis & expeditionibus illi ſuam operam, præcipuè verò in Dacia contra Decebalum Regem, probavit.

Circa hæc demum tempora Britannia rurſus à Iulio *Britannia & Orchades inſulæ deprehenſæ.* Agricola ſubacta Romani cognoverũt eam non eſſe continentem, ſed inſulam. Tunc etiam Orchades Inſulæ in Oceano inventæ: Et Appollonius Tyaneus Magus Romam à Domitiano evocatus ac tonſus in carcerem compingitur: ſed cùm Domitiano ſiſtendus eſſet ſubitò evaneſcit & Puteolis improviſus apparet. Iohannes quoque

que Euangeliſta vinctus ab Aſiæ proconſule Romam miſſus & oleo ferventi immerſus, cum nihil inde mali eſſet perpeſſus, in Pathmon inſulam Icarii maris relegatur: ubi quinquennio poſt Apocalypſim ſcribit: quod anno Chriſti nonageſimo eſt factum.

AnnoChriſti nonageſimo quartoNormanni expeditionem moverunt in Friſiam, eamque graviter afflixerunt: quamobrem Tabbo ſuorum querelis aſsiduis ſollicitatus miſsionem à Domitiano flagitavit, eaque non gravatim impetrata in Friſiam rediit. Normanni autem ejus reditu cognito, prædis ditati, ſolum verterunt & ad ſuos reverſi ſunt. Tabbo verò non patiens eos hoc impunè feciſſe, claſſem validam quidem ſtatim inſtruxit: ſed obſtante tempeſtatum impetu retrocedere coactus, pedeſtri itinere atque exercitu Normannos aggredi conſtituit: ſed & hic eum fortuna deſtituit, & conatus ejus irritos fecit, ita, ut non multum laudis aut honoris ex ea expeditione ſit conſecutus. Etſi enim belligerandi peritia ei non deeſſet, felicitas tamen defuit, quæ in belli Duce plurimum momenti ad victoriam habere conſuevit. *Expeditio in Normannos infructuoſa.* Norm: exp: in Fris:

Anno chriſti 96. poſtquam omnes homines ſua crudelitate offendiſſet Domitianus, adeò ut nemini ſuorum fideret, nomina eorum, quos morti deſtinaverat in tabulas retulit. Puer autē quicum ludere ſolebat, ejus, quod ageretur, ignarus, tabulas nactus, eas fortè fortuna ad uxorem Domitiani detulit, uxor tabulis lectis & re cum Nerva Iuriſconſulto & aliis communicata Domitianum præoccupat, eumque per libertos occidi in palatio curat. Eodem momento Appollonius Magus Epheſi in media oratione ſubito quaſi attonitus exclamat: percute tyrannum, & paulo poſt, confidite, tyrannus occiſus eſt. Imperavit autem Domitianus annos 15. dies ſex. *Domitianus Imperator occiditur.*

Ei Coccius Nerva ſtatim ſuffectus, imperavit annum unum, menſes quatuor, & dies novem. Hic porro Eccle- *Coccius Nerva imp.*

ſiæ

ſiæ Chriſtianæ duriter per Domitianum afflictæ pacem reſtituit, omnes impietatis reos abſolvit & exules revocavit: vetuitque edicto, ne liceret quē, iam aut impietatis aut ſectæ Judaicæ inſimulare. Quamobrem & divus Iohannes Euangeliſta ex Pathmo circa finem hujus anni Epheſum rediit, & inibi Euangelium ſuum rogatu Epiſcoporum Aſiæ conſcripſit, annoque demum Chriſti 99. moritur. Nerva cùm virtutem conſangnitati & nobilitati præferendam cenſeret, paulo ante mortem ſuam capitolium Romæ aſcendit, ibique publicitus voce magna M. Ulpium Trajanū natione Hiſpanum, ſuum in Germania Coloniæ Agrippinæ legatum adoptat & in imperio ſucceſſorem deſignat.

Trajanus autem Italicæ apud Hiſpanos in Turditania natus, anno Chriſti nonageſimo octavo, die viceſimo ſeptimo Ianuarii Nervæ imperatori mortuo ſuccedit, tenétque imperium annos 19, menſes ſex & dies quindecim Hic cùm putaret ſe à Iove conſecutum imperium, cultorque idolorum eſſet valdè ſuperſtitioſus, primus Rom. Senatui auctor fuit, ut religionem patriam ſive antiquam conſervaret. Chriſtiani enim cùm multiplicarentur per orbem terrarum, idolorum cultus negligi, & oracula paſsim ceſſare ac obmuteſcere cæperant. Perſecutionem in Chriſtianos quidem directe non juſsit, ſed edicto prohibuit collegia aut ſodalitia ne eſsent, quo etiam Chriſtianorum conventus obliquè vexabantur. Nam cùm Plinius Secundus Trajano imperatori ſcripſiſset, ſibi compertum, hanc eſse ſummam vel culpæ, vel erroris Chriſtianorum, quòd eſsent ſoliti ſtato die ante lucem convenire, carménque Chriſto quaſi Deo dicere ſecum invicem, ſeque ſacramento non in ſcelus aliquod obſtringere, ſed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerēt, ne fidem fallerent, ne depoſitum appellati abnegarent: quibus peractis morem ipſis diſcedendi eſse, rurſuſque coeundi

*Trajanus imp.*

*Eccleſiæ Chriſtianæ ſtatus.*

coeundi ad capiendũ cibum,promiſcuum tamẽ & innoxium, nihilque ſe aliud inveniſſe quàm ſuperſtitionem pravam & immodicam, judicio ſuo, quæ corrigi poſsit. Traianus reſcripſit Chriſtianos quidem conquirendos non eſſe: puniendos tamen ſi deferantur & arguantur: ita tamen,ut qui negaverit ſe Chriſtianum eſſe,idque re ipſa manifeſtũ fecerit, id eſt ſupplicando diis gẽtilibus, quamvis ſuſpectus in præteritum fuerit, veniam ex pænitentia impetret.Hoc modo (inquit Euſebius) fervor perſecutionis quidem reſedit, ſed hoſtibus tamen piorum magna oblata eſt nocendi occaſio.

Sub Trajano Phavorinus Philoſophus floret: Lucianus ille blaſphemus à canibus dilaceratur: Abgarus rex Edeſſę, qui Chriſti temporibus vixiſſe fingitur, imperatori dona mittit: Ignatius antiochenus Epiſcopus Romæ beſtiis objicitur. Oneſimus Pauli diſcipulus lapidibus obruitur: Daci, Aſsyrii, Perſæ, Arabes, & Parthi ſuperãtur: Iudæi circa Cyrenem & in cypro tumultuantes internecione delentur.

Vixit etiam eodem tempore in Friſia Harco Sapiens filius Serapionis, pontifex Druidum in Aula Stavonis Dei apud locum qui nunc Leovardia dicitur, quartus. Harco Sap

Tabbo autem Friſiorum princeps poſt mortem Imperatoris Domitiani quieti & ocio ſe dedit, nec ullum impetiit amplius nec ab ullo impetitus fuit. Cùm autem præfuiſſet Friſiæ annos quadraginta quatuor, anno Chriſti centeſimo viceſimo, ſuæ ætatis ſexageſimo ſeptimo, vitam cum morte commutavit.

Trajanus aũt triennio ante ipſum erat mortuus, apud Selinuntem Ciliciæ oppidũ, cum ex oriente Romam contenderet, anno nimirum 117. die 10. Auguſti, & imperaſſet annos 19. menſes 6. & dies 15. Succeſſorem accipit AElium Hadrianum propinquum ſuum, qui imperavit *Hadrianus imp.*

annos 20. & menſes undecim. Sub hoc anno 125. ædificatum Aquiſgranum à Severo Granio præſide Romano.

Sub Tabbone principe Friſia non admodū ornata fuit acceſsione novorum pagorum, caſtrorum aut aliorum ædificiorum: quandoquidem ipſe ſemper bellis maximè intentus, quæ pacis erant non multum curabat: ſcripſiſse tamen dicitur de Friſonis poſteritate, de Friſiæ principibus deque bellis Friſiorum cum vicinis nationibus.

Liberos autem Tabbo videtur habuiſse complures, quorum natu maximum, ipſi defuncto, ſubditi ſurrogarunt, cæteris oblivione ſepultis.

Atque hæc quidem ſunt, quæ ſub principibus ante & poſt Chriſtum in terris natum in Friſia perhibentur antiquitus geſta: quæ partim ex annalibus domeſticis: partim ex C. Cornelio Tacito aliiſque externis auctoribus hauſimus, expreſsimus. In iis amicus meus Gretanus fortaſſe me reprehendet, quòd ejus monitis atque objurgationibus nihil territus in noſtratium traditionibus antiquis utcumque pertinaciter perſiſtam: Imò levitatis forſan arguet, quòd in iiſdem à Suffrido Petri anteceſſore meo modicè declinem, quem tantopere jam anteà adverſus ipſum defenderim. Ut verum fatear, Suffridum Petri equidem ut præceptorem ex animi ſententia, quoad potui, hactenus ſum tutatus, ejuſque ſcripta, prout debui, ſcriptis item meis conatus ſum tueri; attamen ita, ut veritatem ſemper ante oculos habuerim, eamque pluris quàm ipſius auctoritatem faciendam exiſtimaverim. Friſios ille ex India deducit: Scripſi illud nec dictu, nec factu nefas videri, quandoquidem Plinius Secundus & Pomponius Mela ex Cornelio Nepote recitent Q. Metello Celeri Galliæ proconſuli Indos à rege Suevorum dono datos, qui ex India commercii cauſa navigantes tempeſtatibus in Germaniam eſsent abrepti: Et alioqui ex hiſtoriis

ſtoriis conſtet, Alexandri Magni tempore, ex Aſia, cui India adſcribitur, per mare mediterraneum & Herculis columnas navigari potuiſſe. Addidi periniquum eſſe hominem doctiſsimum patriæque amantem, qui omne ſuum ſtudium, omnem artem atque induſtriam in patria ornanda & illuſtranda conſumpſiſſet tam acerbè à viro item doctiſsimo atque adeò etiam Friſio concidi & flagellari, qui meliores Friſiorum origines nullas adferat: quēadmodum hæc latiùs in peroratione ad Apologiam & ejus Hyperaſpiſte declaravi. Ejus defenſionis me hactenus non pœnitet: Nec ideo levis ſum, quòd ab illo parum diſsentiens, ſcripta veterum aliter interpreter, quàm ipſe intellexit. Annales patriæ affirmant Friſonem, Saxonem & Brunonem fratres ex India in Germaniam veniſſe. Suffridus eos ex Praſia Indiæ regione, & ex ejus urbe Palibotra deducit, putatque fuiſſe fratres conſanguineos. Ego item eos ex India veniſſe non nego, ſed Friſonem ex Perſia & Saxonem ex Sacarū regione Schytica, quæ nunc deſertum Belor audit, educo, eoſq; item fratres dictos affirmo, ſed ob cōmilitium, quod una ſub Alexandro Magno toleraverint. Hanc enim eſse etiam hodie inter milites loquendi conſuetudinem, ſciunt illi qui cùm ipſis quotidie cōverſantur, ſed & olim eandem fuiſſe, ex eo poteſt liquere, quòd plærique doctorum exiſtimant ex conſalutantium more Teutonicæ nationis homines fuiſse dictos Germanos, quòd ſe mutuò in congreſsibus fratres appellarent. Sic Cimbri apud Plutarchum Chæroneum in Italia cum Mario pugnaturi, reſpōdent, ſe fratres ſuos Teutonas expectare, qui jam apud Aquas Sextias occubuerant. Venerunt autem tam Freſo, quàm Saxo, quamvis ex diverſis regionibus, juxta priſcorum ſententiam, non aliunde quàm ex India. Veteres enim, ut libro primo Geographiæ ſuæ ex Ephoro Cu-

mano tradit Strabo, omnes Occidentis populos vocavere Celtas: Orientis Indos: Auſtri Aethiopes: Aquilonis Scythas: quorum loquendi uſum ſi ſequamur, omnes ex Aſia venientes erunt Indi, & rectè concludam meas originationes Friſiorum traditionibus antiquis eſſe conformes: quæ generaliter aſſerunt Freſones, Saxones & Brunonios ex India profectos, in hasce terras advenisse. Suffridus igitur & ego in genere convenimus: In definitione porrò Indiæ diſsidemus. Suffridus ſuos auctores habet, quos eſt ſecutus: ego item habeo meos quos ſuo loco cito. Uter noſtrum acu rem tetigerit, æquus lector judicet. Equidem Suffrido, ut magiſtro, lubens cedam, ſi in errore deprehendar: Nec enim ita mihi ſum Suffenus ut doctorum virorum judicio meas Lucubrationes non ſubjiciam. Aveo audire, qui meliora doceat, quæ pro veritate & gloria patriæ faciant. Neque ægrè fero ſi quis à me diſſentiat: convitia tantùm & contumelias odi, atq; adeò deprecor. Ante bienniũ Martinus Hamconius Friſius omnem hiſtoriam noſtratem cõpendioſe in tabulam redegit, cui titulum fecit, Theatrum Regum, Pontificum ac Principũ Friſiæ, in eo per omnia, quoad originem Friſiorum, Suffridum eſt fœliciter æmulatus, addidit quoque multa quæ ipſe ex variorum auctorum lectione magna diligentia collegit. Idem eandem hiſtoriam carmine complexus, primo quoque tempore, ni fallor, eſt editurus. Opto illi fauſtum exitum. Melius enim ille facit, quàm amicus meus, qui ex Utopia Friſiorum majores excitat, quos nunquam vidit, aut deſcribere voluit. Quemadmodum autem tam fœminæ quàm viri apud Moſem ad tabernaculi divini exſtructionem voluntario munere, non tantùm aurum, argentum, gemmas pretioſas, byſſum atq; purpuram, ſed & caprina vellera & rubro imbutas arietinas pelles ut cuique copia erat, conferebant:

Hamconius

bant: Ita etiam contemnendi non ſunt, qui ad patriæ decus & ornamentum pro ſui modo ingenii aliquid honeſtè & ex animo moliti in publicum emittunt. Scimus enim in domo magna non ſolùm vaſa eſſe, aurea & argentea, ſed & lignea ac fictilia, eorumque artifices diverſos diverſa etiam obtinere præmia, prout quiſque illorum ad uſum ea elaboraverit. Voluntas certè bona ubique ſuam meretur laudem, etiamſi ſcopum ab omni parte non attigerit. Ego ſi primas tenere non potero, obtineam ultimas, modò in eorum ſaltem numero ponar, qui patriæ ex animo bene velint ejuſque laudes in veritate fundatas ambiant. Enimvero non puto quemquam fore tam ab humanitate alienum, qui propterea me ſit reprehenſurus, quòd domeſticos auctores ſequar, atque inprimis in hiſce noſtratium rerum primordiis ſequar Occonem Scharlenſem. Nam cùm omnes alii populi domi ſuæ natis utantur ſcriptoribus, in originibus ipſorum deducendis; & illi ipſi eorum ſcriptores plærumque tales ſint, ut ne nomina quidem ipſorum literis conſignata ſint, iniquus ſanè ſim, ſi quod illuſtribus alioqui gentibus non datur vitio, id in dedecus meæ patriæ velim interpretari : attento nullos alios ab amico meo dari meliores. Nec ad rem facit, quòd noſtri Principes à C. Iulio Cæſare, Suetonio Tranquillo, cornelio Tacito & Dione Caſſio ſimilibuſque Romanæ hiſtoriæ conditoribus non cõmemorentur, cùm ex ſcriptis eorum liquidò conſtet, eos nullos alios ſua cura dignos cenſuiſſe, niſi quos belli alea aperuiſſet. Pacis enim artibus, quamvis ſedulò bellis finitis, ſint uſi Romani, omnem tamen gloriam, cujus erant avidiſsimi, ex bello quærebant, ita ut nullius, niſi bellicoſi, meminerint, & quem viciſſe, erat cum laude conjunctum. Quamobrem etiam in pacificos valde curioſi non erant. Friſii autem ſtatim ab initio in amicitiam

occo Scarl.

recepti nullam de ſe gloriandi cauſam Romanis præbuerunt. Imò cùm oneribus injuſtis preſsi rebellaſſent, Romanis notam imbecillitatis inuſſerunt, ut qui vinci à Friſiis potuerint. Si gentium res præclare geſtæ ideo damnentur, quòd ab exteris celebratæ non ſunt: neceſſe eſt Iudæos hactenus non fuiſse, & omnia vana eſse quæ de eorum moribus & antiquitate produntur, quandoquidem eorum natio apud exteros & longinquos fuerit incognita. Profectò & Iudæi fuerunt etiamſi Iuſtinus ex Trogo, & Cornelius Tacitus de eorum antiquitatibus malas & abſurdas narrationes inſtituerint. Iulius Cæſar de Friſiis nihil ſcripſit, quia eò uſque bellando non deſcendit: cęteri ea repetunt, quæ apud alios invenerunt: ſolus Tacitus eos videre potuit ſi voluiſſet: ſed & is ea ſcribit, quæ ex relatu aliorum cognovit, quæq; ad ſuum inſtitutum pertinere exiſtimavit, de reliquo parum ſollicitus. Nimis delicati ſumus ſi eos contemnimus qui ob ſeculum politioris doctrinæ rudes ſuo more, ſed minus eleganter, res ſuæ patriæ conſcripſerunt.

Quanto rectius Iohannis Aventini judicium, qui libro annalium Boiorum primo prudenter affirmat, ſibi ad iſtud opus ſuum conficiendũ omnia experto, non adeo barbaros fuiſse videri majores noſtros, quin immortali famæ memoriæque rerum ſuo more ſuiſque monumentis conſuluerint: quæ ſi veſtigiis & via, qua debent, accuratiùs ne hac quidem parte aut Græcis aut Romanis (inquit) ceſſerint. At Cornelius Tacitus auctor eſt apud Germanos tam viros quàm fæminas literarum ſecreta ignoraſſe: quod Suffrido objecit magno ſupercilio amicus noſter Ubbo. Si per ſecreta Literarum bonas artes intellexit Tacitus, quales ſunt Grammatica, Rhetorica, Dialectica & omnis philologia, libens fateor majores noſtros earum rerum fuiſſe ignaros, ſed vitium nobis objici

que Germ: Secreta Lit: ignorarent

jici quod cumRom.longo tempore fuerit cōmune. Nam & Cato major eas Literas, ut Græcorum proprias, anno V. C. 605. damnavit, & futurum ominatus eſt ſi ricipiantur, ut omnia corrumpant: & jam ante ipſum Senatus Romanus eas ne publicè docerentur Romæ prohibuerat. Extat enim adhuc vetus Senatuſconſultum anno V.C. 592. editum in hanc ſententiam: *Caio Fannio Strabone, Marco Valerio Meſſalla Coss.* Marcus Pomponius prætor ſenatum conſuluit, quod verba facta ſunt de philoſophis & de rhetoribus, de ea re ita cenſuerunt: ut Marcus Pomponius prætor animadverteret, curaretque, ut ei è republica fidéque ſua videretur, uti Romæ ne eſſent. De iiſdem (inquit Suetonius) interjecto tempore Cnæus Domitius Aenobarbus & Lucius Lucinius Craſſus Cenſores ita edixerunt: Renunciatum eſt nobis eſſe homines, qui novum genus diſciplinæ inſtituerunt, ad quos Iuventus in ludos conveniat, eos ſibi nomen impoſuiſſe Latinos Rhetoras, ibi homines adoleſcentulos totos dies deſidere. Majores noſtri, quæ liberos ſuos diſcere & quos in ludos itare vellent, inſtituerunt. Hæc nova quæ præter conſuetudinem ac morem majorum fiunt, neque placent neque recta videntur. Quapropter & iis qui eos ludos habent, & iis, qui eò venire conſuerūt videtur faciendum, ut oſtendamus eorum ſententiam nobis non placere. Hoc Senatuſconſultum factum eſt anno V.C. 661. id eſt, ante natum chriſtum 62. Quocirca, nihil mirum ſi Germani ab omni cultu humaniore alieni eas artes ignoraverint, quas etiam Romanis dum bellis occupantur, ut inutiles contempſerunt. Sin per ſecreta Literarum Alphabeti cognitionē quis intelligat, is contra rationem latini ſermonis verba Taciti exponet, qui per literas aut ſecreta literarum, non legere tantùm & ſcribere, ſed artes orandi & benedicendi intellexit, quæ li-

terarum

terarum nomine ſignificantur, ut in hyperaſpiſte latiùs declaravimus. Quemadmodum autem Romani, ante perceptas Græcorum diſciplinas, & legere & ſcribere noverunt, etiamſi non tam ornatè ac luculenter atque poſteà, ita & ego arbitror majores noſtros analphabetos non fuiſſe, ſed potuiſse etiam ſenſa mentis ſuæ ſcribere, & poſteritati commendare: idque ideo magis, quòd illi à Perſis & Aſiaticis populis fuerint oriundi: à quibus in Europam Literæ primùm defluxerunt. Igitur ut fabulas conquirere fictiſque narrationibus captare legentium animos non debeo; ita præter officium fecero, ſi vulgatis & publicè receptis à majoribus traditionibus, temerè fidem abrogare voluero. Quod hic ſemel dictum, ad cætera transferendum cenſeo.

*Libri primi finis.*

## Argumentum Libri ſecundi Annalium Friſicorum.

*Libro ſecundo annalium noſtrorum continentur Duces ſeptem, ſic dicti, quòd à populo electi militiæ præerant & ductores ejus eſſent. Phriſii enim cùm contra Romanos inſurrexiſſent primum, deinde pacem eſſent nacti, eam ſibi non fore ratam aut perpetuam videbant, niſi ſe porrò armis defenderent. Itaq; ipſi quoq; ad imitationem Caninefatum & Cauchorum, ſuorum vicinorum, conſtituerunt ſibi ex ſuis duces, qui toti regioni præfecti, tempore neceſſitatis bellum gererent, & in hoſtem ducere poſſent. Dux autem unus tantum erat, qui populi ſuffragiis electus & in ſcutum collocatus fauſta acclamatione tollebatur in altum, & dux Friſiorum publicitus renunciabatur, more apud pleraſq; gentes tum uſitato atque celebri. ut ex Tacito in Brunone Caninefate diſcimus. Fuerunt autem duces apud Phriſios ſeptem hoc ordine.*

1. *Aſcontus primus dux Phriſiorum Tabboni patri ſucceſſit eodem Chriſti anno* 130. *& præfuit annis* 43. *& mortuus anno Chriſti* 173.
2. *Aldeboldus ſecundus dux Phriſiæ illi mox ſucceſſit, præfuit annis* 14. *& ducatu ſe abdicavit anno Chriſti* 187.
3. *Titus Bojocalus tertius Phriſiæ dux illi mox ſuffectus, præfuit annis* 50. *& eſt mortuus anno Chriſti* 237.
4. *Vbbo quartus dux Phriſiæ præficitur anno eodem, imperat annis* 59. *& moritur anno Chriſti* 296.
5. *Haron quintus dux Phriſiæ illi mox ſuccedit, præeſt annis* 36. *moritur anno Chriſti* 332.
6. *Odilbaldus dux Phriſiæ ſextus illi mox ſurrogatur, imperat annis* 25. *moritur anno Chriſti* 357.
7. *Vdolphus Haron ſeptimus Phriſiæ dux illi mox ſuccedit, præeſt annis* 75. *& ducatu ſe abdicat anno Chriſti* 432.

Hi ſeptem duces ſimul expleverunt annos 302.

# Annalium Friſicorum

## LIBER SECVNDVS,

## *Qui de Ducibus inſcribitur.*

### CAP. I.

### *De Aſconio primo Friſiorum Duce.*

IN principio Anni à Chriſto nato centeſimi triceſimi Aſconius Tabbonis ſupradicti principis filius in locum patris ſuffectus eſt. Hic ſe non Dominum aut Principem, ut majores ejus hactenus, ſed Ducem Friſiæ nominari voluit.

Itaque ab hoc primo reliqui ſex qui hunc continuè ſequuntur, Duces appellati ſunt.

Videtur autem Aſconius hoc nominis à Romanis mutuatus, qui Legatos Principum Duces in exercitu appellant.

Quamquam autem hoc præſentis ambitionis & arrogantiæ argumentum videri in illo poſsit, fuit tamen hic princeps clementiſsimus & ſtudioſiſsimus pacis & quietis, etiamſi natura ad iram eſſet proclivior.

*Aſconius, natura pacificus.* Quocirca non modò ipſe vicinas provincias bello non laceſsivit, ſed ultrò etiam miſsis ſuis Legatis inter diſsidentes principes longe lateque pacem compoſuit, adeò quidem, ut ea tempeſtate nullus princeps, hac virtute par illi repertus ſit. unde & gloriam inſignem apud omnes & pacificatoris titulum obtinuit.

Proinde & ſubditos ſuos in ſumma tranquillitate gubernavit & ad colendos agros ſemper eſt adhortatus.

Hujus Ducis anno ſecundo Salvius Iulianus nomine Hadriani Imperatoris perpetuum compoſuit edictum,

quod

quod obſervarent prætores Romæ & in provinciis præfecti,ut idem jus in toto imperio adminiſtraretur; Quod multi præclari & inſignes prudentia & eloquentia viri poſteà ſunt interpretati: ut in libris juris eſt videre. Floruerunt tum Neratius Priſcus, Domitius Labeo & Iuventius Celſus juriſconſulti.

Vixit eodem tempore Fl. Suetonius epiſtolarum Hadriani imp. magiſter, necnon & Phlegon Hadriani libertus qui Olympiades uſque ad 229. qui eſt annus V.C. 890. accuratè ſupputavit, ut Cenſorinus de die Natali refert.

Anno Chriſti 138. hujus Ducis 8. Hadrianus Imperator, cùm aquam intercutem magicis artibus curaſſe videretur, in morbum relapſus, cùm quotidie quaſi moreretur, nec gladium nec venenum à quoquam ſuorum impetrare poſsit, victu minus idoneo ſe ipſe confecit, morienſque decimo Iulii die illud pervulgatum dixit: Multi Medici regem ſuſtulerunt, cùm imperaſſet annos 20. menſes undecim, ſepultus eſt Romæ juxta flumen Tiberim ad pontem AElium, ubi monumentum ipſe fecerat, quod hodieque caſtellum Sancti Angeli appellatur. Hoc tempore Euangelium Chriſti per totum orbem terrarum, atque adeò etiam apud Schytas & Nomades qui nunc Tartari ſunt, prædicatum fuiſſe, teſtes ſunt locupletes, Iuſtinus Martyr & Irenæus qui hac ætate floruerunt. Quocirca & Tertulianus, cum omnes univerſi urbis terræ, regiones recenſuiſſet, ubi Chriſtiani eſſent, tandem concludit: "Chriſti igitur nomen & regnum ubique porrigitur, ubique creditur, ab omnibus gentibus colitur, ubiq; regnat, ubique adoratur.

*Hadrianus Imp. moritur.*

Quocirca & ego credo Præcones Chriſti etiam in Friſiam perveniſſe, & aliquos ad Regnum Dei aſſociaſſe. Quod ex eo mihi fit manifeſtius, quod refertur apud noſtrates eodem ævo vixiſſe Synna ſapiens: qui cum Drui-

*Syna Sap.*

dum præfectus eſſet quintus ordine, ſcripſerit ad Aſconiū hunc noſtrum Ducem de colendis Diis patriis & de Chriſtanis exterminandis. Quod non aliunde quàm ex Antonino Pio haurire Synna poterat.

Is enim anno Chriſti 141. publice prohibuit, ne Sybellarum aut aliorum Vatum carmina, nec etiam Ciceronis Libri de Divinatione & natura Deorum legerentur, quod viderentur contra gentilium Deos ſtatuere, uti liquet ex Apologia Iuſtini & Arnobii ſcripta ad gentiles.

*Antoninus Pius imp.*

Succeſsit autem Hadriano T. Aurelius Antoninus Pius, qui anno ſuperiori 26. Februarii ab eo adoptatus erat, ea lege, ut, quoniam liberos mares non haberet, de futuro ſucceſſore ſollicitus Commodum Commodi filium & Marcum inſuper Antoninum Verum eodem tempore ſibi adoptaret, quod & fecerat.

Sed neuter principum ſubditis ſuis gravis aut acerbus in chriſtianos fuit. Aſconius enim omne ſuum ſtudium eò dirigebat, ut ſubditorum commodis conſuleret, ipſe interim venationibus & aucupiis ſe oblectans. Antoninus verò, ut ex Dione ſcribit Suida, cunctis quoque benignus & mitis erat, potius ex juſtitia, quàm emolumento gloriam quærebat, magiſque incolumes ſervandos quàm amplificandos Imperii fines ſtatuebat. Quin & anno Chriſti 152. accuſatores Chriſtianorum ſuppliciis affici juſsit, quandoquidem Chriſtiani pœnis à ſua profeſsione non abſterreantur, ſed mortem vitæ præferant.

Referunt item ex Dione ſine temporis definitione tamen, ſub imperio Antonini in Bythinia & Helleſponto horribiles extitiſſe terræmotus, & deducto montis vertice in continenti terra maritimum fluctum erupiſſe, ſpumamq; puri & limpidi maris procul inde in terram projectam fuiſſe.

Anno autem Chriſti 155. ſub gubernatione Aſconii, ut patrii annales teſtantur, ex eodem fundo rubri Clivi,

de

de quo ſuprà locuti ſumus, etiam erupit flamma ingens & arſit per dies continuos octo, ſummo cum metu omnium & maximè eorum qui in proximo habitabant. Et quanquam magna diligentia adhiberetur ad indagandum quæ eſſet hujus ignis cauſa, tamen, cùm ſine periculo propiùs accedere nemo poſset, cauſa hactenus inexplorata permanſit. Metu tamen incolas liberavit eorum Deaſter Stavo, qui conſultus, reſpondit, non eſse metuendam hanc flammam, quam poſt tempus longum ſubſecutura eſset materia frigida, ſic ut accepto hoc reſponſo ſint placati.

*Flamma ex rubro clivo circa Stavoram emicat.* 555

Cùm autem hi principes ita inter ſe in eventibus & rebus privatim geſtis conveniant, non eſt profectò mirū aut incredibile, quod porrò annales referunt, miſiſse Aſconium Friſiæ Ducem filium ſuum Aldeboldum ad imperatorem Antoninum Pium, ut in ejus aula moribus & diſciplinis honeſtis imbueretur, ſed ob infortunium quod ibi paſsus eſset anno 159. inde in Friſiam revertiſse. Et Antoninus quidem anno Chriſti 161. die ſeptimo Martii morte placidiſsima, veluti ſomno quodam, è vita abiit, ſenex ſeptuaginta annorum, cùm imperaſſet annos 22. menſes 7. dies 25. Succedunt ei M. Aurelius Antoninus philoſophus & Lucius Verus Cæſares. Sub quibus imperium Rom. à duobus primò regi cœptum.

Aldeboldus Asconii Filius Romam it

Anno 163 L. verus Auguſtus in Parthos profectus bello patrato omnes provincias per quas ibat, peſtilētia infecit. Cùm enim quidā miles Babylonia arcam auream in templo Apollinis concidiſſet, ex ea ſtatim ſpiritus nequā emicuit, qui totum terrarum orbem ipſámque Romam lue perfudit. Hinc oceani & fluviorum inundationes, terræ motus et diſceſsiones, quæ terribilem ſui aſpectum atque ſenſum præbebant: quibus omnibus aderat rerum inopia et fames.

Frid: Galliam invadunt

Eodem tempore Cauchi Friſones cum Cattis Galliam

164 invadunt eamque vaſtant: Catti inſuper Rhætos Vindelicos atque Noricos pervagantur, ſed à Romanis repelluntur. Britanni quoque pacem exuunt.

*Aqua marina è puteo effluit.*

Anno autem 164. cùm dimidio fere milliari auſtro zephyrum verſus à Stauria puteus in agro deprimeretur, ex eo tanto impetu repente & copiâ profluxit aqua ſalſa, ut univerſam terram inundatione obruitura videretur, duravitque triduo: Intereà conſultus deaſter Stavo reſpondit, tum demum ceſſaturum aquæ fluxum, cùm pueri trimuli ſanguinem inſparſum aquæ miſcuiſſent, quod ſimul ac factum fuit, inundatio ceſſavit, adeò quidem, ut in puteo aqua inſpicientibus non appareret. Terra autem quam aqua ſalſa inundaverat trienniũ infrugifera manſit.

*Pagi in Friſia conditi.*

Sub Aſconio Duce multi pagi inſignes per Friſiam conditi ſunt, Weſterbieremum non longè à Vlielandia, Dixhorna inter Almenum & Schellingiam & Weſterbieremum, dimidio ferè milliari inde ad Septentrionem, qui nunc inundatione maris mediterranei ſunt conſumpti.

marini hoĩes

Anno 168. duo marini homines vi tempeſtatis in Lavica flumine emerſerunt in terram, qui per Friſiam vagantes, cùm multis admirationi fuiſſent, ſed nemini nocuiſſent, ſe tandem circa Weſterbiremum rurſus Oceano, unde venerant, condiderunt.

Poſt hæc Aſconius anno Chriſti centeſimo ſeptuageſimo tertio, mortuus eſt, poſtquam provinciæ ſuæ laudabiliter præfuiſſet annis quadraginta duobus, & ſex mẽſibus. Princeps extra religionem Chriſtianam egregius & nulla in parte officii culpandus. Filios reliquit quatuor Aldeboldum, Titum, Richoldum & Radbodum. Aldeboldus & Titus patri viciſsim in ducatu ſucceſserunt, & ſine liberis defuncti ſucceſſorem habuerunt fratris Richoldi filium Ubbonem, ut infra patebit. Radbodus in occidentalem Friſiam ſe contulit, ubi ducta uxore Diedericum procreavit, ex quo deinceps nati ſunt occiden-

Dideric.

dentalis Friſiæ Duces ac Reges: de quibus alibi loquemur amplius.

## Caput Secundum.

### *De Aldeboldo ſecundo Friſiorum duce.*

Aldeboldus Aſconii ſupradicti filius, ſecundus Friſiorum Dux inauguratur anno Chriſti centeſimo ſeptuageſimo tertio. 173

Hic patri longè diſsimilis fuit. Nec enim præceptum & exemplum, patris ſecutus eſt, qui ſemper pacem cum finitimis ſervandam ſuaſit, & ipſo facto ſervavit.

Hic enim ſtatim à morte patris eos mox bello laceſsivit, & quo magis vexare poſset, gymnaſia apud majores ſuos uſitata, quæ patris memoria penè in deſuetudinem venerant, reſtituit, ita ut tribus in hebdomoda diebus, juventus in his exerceretur ad militiam.

*Aldeboldus gymnaſia reſtituit.*

Unde factum eſt, ut juventus ita exercitata, nihil aliud ſpiraret aut ſperaret, quàm bella & prælia in quibus virtutis ſuæ ſpecimen edere poſſet. Ideoque ſe principi alio. qui ad bellum ultrò propendenti ſequacem & paratum præbuit, ſed & auctor ſæpe fuit vicinos invadendi, quibus ille opprimendis fines ditionis ſuæ propagare nitebatur.

Anno Chriſti 174. Titus Bojocalus Aldeboldi frater illegitimus cùm Romæ literarum gratia diu verſatus & in omnibus diſciplinis & præſertim in eloquentia mirum in modum exercitatus eſſet, commiſſa Romani cujuſdam nobilis viri cæde, Roma ceſsit, & ad imperatorem Antoninũ Philoſophum ſe contulit, non auſus in Friſiam rectà contendere, proprer metum fratris Aldeboldi.

*Titus Bojocalus.*

in Castris Rom: contra Quados

Eo autem anno M. Antoninus Philoſophus imperator bellum gerebat adverſus Quados, qui nunc Sileſii ſunt, difficillimum: cujus victoriam precibus Chriſtianorum, qui in ejus exercitu militabant, tum conſequutus eſt divinitus,

vinitus. Cùm enim ipſe cum ſuis montium anguſtiis concluſus, ob aquæ penuriam ſiti laboraret ac labaſceret, adiit ipſum præfectus prætorio conſilii inopem, dixitque nihil eſse quod ii, qui Chriſtiani appellantur, precibus impetrare non poſsent, quorum integram legionem in ſuo exercitu haberet. Ea re cognita Marcus ab iis petiit, ut Deo ſuo ſupplicarent. Quod illi cùm feciſſent, Deus eos ſubitò exaudivit, percuſsitque hoſtes fulmine & Romanos pluvia recreavit.

*Legio fulminatrix.* Quo miraculo imperator eſt incenſus adeo, & ſtupefactus, ut Chriſtianis honorem magnum edicto tribuerit, & quo durabilior ejus memoria apud poſteros eſset, legionem Melitenam, in qua illi militabant, fulminatricem appellaverit.

Cùm igitur eo bello valde angeretur Antoninus & alioqui doctorum virorum cultor eſſet vel maximus, non dubium eſt, quin et Titum Bojocalum ob ingenium, eruditionem et prudentiam, libenter receperit, et ſecum habuerit, quod annales patrii affirmant.

Sed non diu apud imperatorem ęſtivare potuit, ſupervenientibus Roma literis, quibus interfecti amici Titum graviter accuſabant, exaggerantes factum quàm poſsent odioſiſsimè.

Imperator verò acceptis literis, cùm eſset natura clemens, et ad ignoſcendum pronior, admodum contriſtatus, Tito condoluit, quod ipſum ſecum retinere in odium atque invidiam Romanorum ſibi conſultum eſse non putaret: hortaturque proinde, ut in Friſiam ſe conferret ad fratrem ſuum, ad quem etiam literas commendatitias quàm pleniſsimè ſcripſit.

Titus igitur anno 175. his acceptis ex aula imperatoris deceſsit, et tamen fratrem reveritus, in Friſiam ſe rectà non contulit, ſed ad Godefridum Brabonem ſextum Brabantiæ Ducem declinavit, ubi aliquantiſper ſubſtitit: indeque

indeque commendatitias imperatoris ad Aldeboldum fratrem ſuum præmiſit. Quibus lectis, videns Aldeboldus tanti principis de fratre ſuo eulogium tam illuſtre, miſericordia erga fratrem motus eſt, & miſsis in Brabantiam legatis honorificè eum ad ſe reduci juſsit, & ſecum non alio, quàm Germani fratris loco habuit.

Non multo poſt ſupradictus Brabantiæ Dux hoſtile odium concepit adverſus Romanos ob id, quòd illi ſuum ex ſorore nepotem ſupplicio capitis affeciſſent: ideoque contracto ingenti exercitu vindictæ ergò, Romanorum fines vaſtare conſtituit. Huic igitur ſeſe adjunxit Friſiorum Dux Aldeboldus unà cum fratre ſuo Tito. In ea expeditione talem ſe Titus præbuit, ut omnibus & maximè Brabantiæ Duci, ſummæ admirationi eſſet. Itaque Dux vindicta pro animi ſententia de Romanis ſumpta, ſpoliis onuſtus, victor ad ſuos eſt reverſus.

Brabantiæ Dux inde ſummas gratias Aldeboldo ac Tito egit, quibus & munera ingentia obtulit pro re benè geſta & opera ſtrenuè navata, quæ illi tamen accipere recuſarunt. Illud verò in operæ compenſationem Aldeboldus petiit, ut Dux Titum equeſtri dignitate ornaret. Quod & libenter ille & ſumma cum ſolemnitate fecit: Atque ita Aldeboldus una cum Tito in Friſiam eſt reverſus. Titus autem cum fratre in Friſiam regreſſus, diligenter ſe exercitiis militaribus excoluit in Gymnaſiis à fratre reſtitutis, ita ut inter omnes æquales ſuos facilè emineret: quo facto gratiam magnam apud fratrem conſecutus eſt, qui eum rei bellicæ apud ſe præfectum generalem conſtituit.

Anno 178. Vandali fines imperii Romani impugnabant, quibus cùm ſe M. Antoninus oppoſuiſſet, Dux Friſiæ Aldeboldus illi ultrò Titum fratrem unà cum copiis auxiliariis miſit in ſubſidium. Quem adventantem imperator non minore cum gaudio accepit, quàm ſi po-

*Vandali fines imperii Ro. laceſſunt.*

tentiſsimus aliquis ſupervenißet rex.

Vandali inſolita exultatione imperatoris cognita, rati non de nihilo illam eſſe, concepto inde metu, clam ſua caſtra ſolverunt & in fugam ſe conjecerunt.

Qua re comperta, imperator etiam ſuum exercitum ſolvit & copias dimiſit, atque ita bellum hoc confectum eſſe annales referunt.

Si qua autem eſt in hac narratione veritas, exiſtimo eam de Marcomannis ac Quadis intelligendam, qui anno ſuperiori iterum ſe commoverant, ſed adventu Antonini audito, pacem ſimulaverant, ut auctor eſt Capitolinus.

Imperator ſanè Titum ad ſe vocatum præſens, præſentem laudavit, eique pro tam benevola ac prompta opera ſummas gratias egit, ſimulque dolorem ſuum conteſtatus eſt, quem olim ex ejus deceſſu acceperat, promittens ipſi, modò in aulam ſuam reverti dignaretur, ſe illi veniam cædis ab adverſariis impetraturum.

Titus autem reſpondens imperatori pro tam propenſa erga ſe, benevolentia gratias maximas egit, interim tamē, quo minus id ipſi, quamvis maximè cupienti, in præſenti integrum eſſet, cauſam reddidit præſentem fratris conditionem. Hunc enim in præſenti non habere quemquam in ducatu ſuo militem, cui rerum ſummam æquè ſecurè committere poſset atque ſibi, ideoque cùm ſibi jam ducatus gubernationem commiſiſſet, non audere ſe vel invito vel inconſulto fratre emanere.

Titus ab Imp: Rom: c honore dimissus

Quibus ultrò citroque actis poſtquam dies aliquot mutuis colloquiis dediſsent, imperator Titum cum ſummo honore dimiſit, ipſumque & copias ejus ſplendidiſsimis muneribus donavit. Ad ipſum etiam Aldeboldum datis literis prolixè Titum laudavit ac retulit, quantopere ipſum præmiis propoſitis ad ſe pellicere conatus fuerit & quanta cum reverentia Titus ſe illi ſemper excuſaverit. Earum literarum exemplar interpres Andræas

Corne-

„ Cornelius abbreviavit authentico relicto, quod apud „ Solconem Fortemannum extabat integrum. Sic Annales, „ apud quos ſit fides.

Anno autem 180. Quadis à rebellione non ceſſantibus, imperator Antoninus philoſophus expeditionem in eos molitur, ſed in ea morbo afficitur, quem abſtinentia cibi auget & moritur 17. Martii, cùm imperaſſet annos 19. & dies decem, ſuccedit ipſi optimo degener filius commodus, annis 12. menſibus 9. diebus 14. omnes fere imperatores ſceleribus ſuis exſuperans. *Antoninus philoſophus moritur.*

Anno 181. Lucius Britannorum Rex Romam mittit ad Eleutherum Papam, pro Chriſtianæ religionis doctoribus. Eleutherus autem eò miſit quoſdam presbiteros, qui populum inſtituerunt & eccleſias ibidem ordinarunt. Lucy Brit: R. Christiano

Anno 183. Vandali & Gotthi ex Noricis aut Suedicis plagis erumpentes, multas magnaſque clades diverſis provinciis intulerunt, quas crudeliſsimè divexarunt, omnia ubique miſerè vaſtantes. Hi cùm in Daniam iter affectarent, à Danis repulſi ſunt. Et Albi flumine ſuperato ad utramque Viſurgis ripam ſedes ſuas fixerunt, ex eo tempore deinceps Oſvali & Veſtvali appellati. Ex quibus mille & quingenti in Friſiam delati ad Amiſiam conſiderunt. Quare intellecta Aldeboldus Friſiæ Dux cum fratre ſuo Tito conſilium iniit, qui ipſi auctor fuit, ut exercitu quàm celerrimè conſcripto, Vandalis iret obviam. *Vandali & Gothi in Friſia vincuntur.* ostvali et westvali

Contractis igitur copiis, quàm poſset ex tempore maximis, Aldeboldus unà cum Tito in eos expeditionem movet, qui jam ad Amaſis oſtium caſtra metati non temerè progredi ulteriùs audebant.

Vandali enim conſpicati Friſios ex altera Amaſis parte ſua poſuiſse caſtra, facilè videbant, ſi ultra tenderent, ſibi cum fortiſsimis viris fore certamen. Quod cùm Titus animadverteret, ratus aliòqui copiam pugnæ nunquam fore, fratri Aldeboldo, ſuum conſilium aperuit ac dixit;

ſe per ambages Vandalis reditum interclusurum, ne quis eorum ipſis elabi poſset. Itaque majori parte exercitus apud fratrem relicta, ipſe aſsumptis octingentis aliâ viâ ingreſsus, Amaſi aliquot miliaribus altius trajecto, tandẽ Vandalos à tergo invaſit & cecidit, quadringentis fere exceptis, qui Amaſi tranatato nihilominus ab Aldeboldo ad unum omnes ſunt confecti.

Hoſtibus internecione deletis ac ſpoliatis, Titus ad fratrem reverſus, ab eo ſummo cum honore & gratulatione eſt exceptus, ſimulque deinde cum exercitu victore manubiis onuſti in Friſiam reverſi ſunt.

*Slavi & Viltæ excindunt Antoniam & condũt Viltaburgum.*

Anno 186. Slavi atque Viltæ quòd Hollandiam meridionalem occupaſsent, contractis in unum viribus ſuis, cœperunt obſidere urbem Antoniam ad Rheni veteris alveum medium, à Druſo Nerone, ut ſuperius diximus, conſtructam, quæ nunc Vltrajectum dicitur, eamque vi captam funditus everterunt, omnibus in ea ſine diſcrimine ſexus aut ætatis interfectis. Cùm autem animi ſui impotentiæ obſecuti, muros quoque & munimenta dejeciſsent, locumque reddidiſsent vaſtum atque vacuum, tandem in victoriæ ſuæ memoriam ibi caſtellum excitarunt, nomine Viltaburgum, quod ad imitationem veteris urbis, & portis & munitionibus firmarunt, & excoluerunt. Quidam etiam Viltarum ibidem rerum ſuarum domicilia fixerunt, multiplicatique valde, temporis ſucceſsu vicinis aliiſque provinciis multa per ferociam detrimenta intulerunt, donec eos Valentinianus imperator devicit & Viltaburgum funditus delevit, ut habet Chronicon Hollandiæ majus.

*Slavorũ origo & nomen unde ſit.*

Erant autem iſti Slavi quorum majores anno mundi 3070. à Britannis ejecti Albio inſula, quam nunc Angliam dicimus, venerant primò in terram, quæ poſteà Friſia dicta fuit, & inde abnavigantes occaſum verſus condiderant arcem Slaveburgum, circa veterem Flaerdingam ad

Moſam

Moſam fluvium. Hi cum Ruſsi eſſent, vulgo per ignorantiam linguæ dicti fuerunt gigantes, & deinde Hollandi, ex natura loci in quo conſederant, ut aliqui arbitrantur. Cùm autem anno Chriſti 4. Batavi cum Friſiis pacem feciſſent, conſequenter evenit, ut Friſii cum illis matrimonia contraherent, & genus ſuum iſtic amplificarēt. Quorum liberi cùm nec meri Friſii, nec puri Slavi eſſent, nomen novum acceperunt quod utriq; nationi ob mores commune eſſet, ſe Viltos, quaſi dicas Volones qui omnia pro arbitrio faciant, appellantes. Slavi autem ex Sarmatia Europæa oriundi, cùm variis nominibus primum vocarentur, victarum à ſe in Germania gentium nomina ſibi tandem adoptarunt, ut alii Vandali, alii Luſatii, alii Illyrii dicerentur. Cùm verò unum & eundem ſermonem iidem etiam per regna & ditiones diſperſi retinerent, uno etiam ſe cognomine à voce Slovvo, quæ apud Latinos verbum ſonat, Slavonos, quaſi verboſos nominaverunt, & ab ipſa prætereà gloria, quæ apud illos Slavva appellatur, Slovviatnii audire voluerunt, ut autor eſt Iohannes Dubrannus hiſtoriæ Bohemicæ libro 1. Quod cognomen Græci, poſtquam vim vocabuli non intelligerent, in Sclavenos, Itali in Sclavos poſteà detorſerunt. Cùm verò & Ruſsi quos gigantes perperam appellaverant, unius & ejuſdem cum aliis ex Sarmatia populis, originis ac linguæ eſſent, eis etiam commune nomen hiſtorici noſtrates indiderunt, ut eos Slavos vocarent.

*Reuſen belgis ſunt gigantes: Ruſsi ſunt Slavi.*

Intereà igitur dum Antonia evertitur, Aldeboldus Friſiæ Dux in gravem morbum incidit, qui, quoniam indies ingraveſceret, provinciæ ſuæ de bono ductore proſpicere cupiēs, præcipuos Ordines Ducatus ſui ad ſe convocavit, iiſque Titum fratrem ſuum enixè commendavit, eo fine, ut hunc ipſo adhuc vivente in Ducem Friſiæ eligerent. Quod tamen Titus audiens omnibus modis illi diſsuadere conatus eſt, eo maximè colore quòd con-

*Aldeboldus Titum ſibi adhuc viventi ſubſtituit.*

ſideret ipſum ex eo morbo non difficulter eſſe convaliturum. Sed iis nihil motus reſpondit Aldeboldus, ſibi id magno ſolatio & diuturnioris vitæ occaſionem fore, ſi vivens adhuc Titum ſibi in patriæ regimine ſucceſſorem cerneret. Quod audiens Titus, inſtantibus interim etiam patriæ Primoribus, conſenſit tandem. Proinde & liberati ab jurejurando, quod Aldeboldo præſtiterant Friſii, Tito de integro fidelitatem juraverunt. Poſt paucos ex eo dies Aldeboldus, veluti ſaluberrimo quopiam ſumpto Pharmaco, rurſus convaluit, quo cognito Titus illi patriæ gubernationem reſtituere voluit, ſed eam Aldeboldus recipere recuſavit, aſserens, ſe adeò facti non pœnitere, ut niſi factum eſſet ſe re integra adhuc facturum eſſe.

Itaque Aldeboldus poſthac tranquillitati & quieti ſtuduit & ducatus negotiis planè ſe abſtinuit. Filiam unicam habuit, quæ poſthæc paulò, id eſt, anno 188. mortua eſt, jam à patre anteà deſponſata filio natu minimo Regis Daniæ.

Præfuit Aldeboldus Friſiæ annis quatuordecim, princeps, etſi cum patre ſuo minimè comparandus, non tamen omnino reprehendendus, in quo illud ſaltem boni fuit, quòd prudentiorum ſanis conſiliis non illibenter obtemperaverit.

## CAPUT TERTIUM.

### *De Tito Bojocalo Friſiorum Duce 3.*

TItus Bojocalus illegitimus frater Aldeboldi ſupradicti, ſuffragio ipſius Aldeboldi, & conſenſu Ordinum, ſuperſtiti adhuc eidem Aldeboldo ſucceſsit, & tertius Friſiæ Dux inauguratur, anno Chriſti centeſimo octuageſimo ſeptimo. Qui quidem Ducatum, ſibi ita commiſſum, prudentiſsimè gubernavit, nihilque egit in cauſis ac negotiis publicam provinciæ ſalutem concernentibus, quod

quod non cum fratre Aldeboldo prius communicaret, quem ubique & ſemper, non ut fratrem, ſed ut patrem reveritus obſervabat.

Quod etſi Aldeboldus quidem non affectaret, gratum tamen illi & jucundum fuit, adeò quidem ut, interna animi hinc concepta lætitia, vitam illi producere & valetudinem proſperiorem conciliare videretur: Unde & factum eſt, ut multis adhuc annis poſteà cum Tito jucundè vixerit.

Anno autem 192. videntur Friſii excurriſſe in Galliam prædandi cauſa, ſed exitum ſuæ expeditionis habuiſse parum felicem. Scribit enim Iulius capitolinus à Commodo imperatote Clodium Albinum miſsum eſse in Galliam & in ea fuſis Friſiis Transrhenanis, Albinum celebre nomen ſuum & apud Romanos & apud Barbaros fecisse: Quibus rebus accenſus ſit Commodus, ut & cæſaris nomen Albino obtulerit, & dandi ſtipendii facultatem & coccini pallii uſum. Et ſic quidem recens impreſsum Capitolini exemplar habet, at in vetuſtioribus libris Friſiorum nulla fit mentio, & ſanè legendum videtur: deinde à Commodo in Galliam tranſlatus, in qua Friſiis gentibus Tranſrhenanis celebre, etc. docti judicēt. *A. C. 192. Friſii in Galliam ab Albino cæſi.*

Anno 208. Severus, qui Commodo interfecto, ab exercitu in Pannonia imperator erat ſalutatus. pharū, quam C. Caligula Cæſar ad oſtium Rheni medium ludicra illa ſua expeditione contra Britanniam excitaverat, & poſtea in armamentarium P. R. converſa fuerat, temporis vitio corruptam, reſtituit. *A. C. 208. Severus imp.*

Romanis autem per orientē, Gallias ac Britannias arma circumferentibus, Titus Friſiæ Dux provinciam ſuam in ſumma tranquillitate gubernavit paceq; cum vicinis ſuis coluit. Aldeboldus aūt fato ſuo fūctus eſt anno Chriſti ducenteſimo octavo, ętatis ſuę ſexageſimo quinto, & à Tito Stavorę in ſummo tēplo ingenti cum ſolēnitate ſepultus.

Sub

Sub hujus Titi gubernatione anno nimirum Chriſti 217. jam tertiò flammam eructavit ſupradictus ille ſpecus Charonæus ad montem Rubricliſſium, ſed octodecim paſsibus magis occidentem verſus, quàm anteà: duravitque ea flamma ad undecim uſq; dies continuos cum ſummo metu accolarum. Sed poſtquam Dux Titus incenſum integro triduo adoleviſset Stavoni Deaſtro ſuo, ille tandem reſpondit, flammam tum eſse ceſsaturam ubi tres aquæ ſalſæ amphoras ex Oceano Septentrionali petitas per equitem armatum in ſpecum infudiſsent: alia enim ratione ſedari flammam iſtam non poſse: quo proinde facto flamma reſtincta fuit.

*Flamma ex rubro clivo.*

*A.C. 240*

Poſthæc anno 240. Titus Friſiorum Dux vita defunctus eſt, anno ætatis ſuæ octuageſimo ſexto, poſtquā Friſiæ prefuiſset annis quinquaginta tribus, Sepultus eſt in ſummo templo Stavoræ, ſummopere mortem ejus dolente univerſa provincia, quæ ſub illius regimine multum profecerat, quandoquidē princeps fuit valde pacificus, prudens & erga ſubditos ſuos optimè affectus. Liberos nullos reliquit, ita ut novi ducis electio prorſus ad Ordines patriæ devoluta ſit.

*Scripta*

Scripſit autem Titus pro ſe Apologiam ad Romanos de cæde, quam Romæ fecerat, Item excuſationem Antonini Philoſophi pro ſe ad fratrem ſuum Aldeboldum ſecundum FriſiæDucem ſcriptam, edidit in publicum. Scripſit item expeditionem fratris Aldeboldi & ſuam pro Duce Brabantiæ adverſus Romanos ſuſceptam, item expeditionem Antonini philoſophi & ſuam contra Vandalos, item expeditionem Fratris & ſuam adverſus eoſdem: Quorum operum (inquit Suffridus) nihil integrum ad nos pervenit, ſed apud diverſos diverſa ex his citata reperiuntur, fides penes aurorem ſit.

Caput

## Caput Quartum.

### *De Vbbone Friſiorum duce quarto.*

ANno Chriſti 240. quartus Friſiorum dux communibus omnium ſuffragiis electus & inauguratus eſt Ubbo, Titi & Aldeboldi ex Richoldo fratre nepos: vir animo admodum leni, interim tamen & intrepido; ſi quãdo res virum poſtularet.

Hujus ducis animus multo magis ad negocia pacis, quàm belli propendebat. Ideoq; dedit operam ut provincia maximè ædificiis, munitionibus, pagis ac civitatibus exornaretur, quin etiam Ditionem ſuam amplificare ſtuduit, ducta in Weſtphaliam colonia, quam anno gubernationis ſecundo arce firmavit, & in honorem defuncti ducis & patrui ſui Titi, Titeburgum appellavit, quæ nunc Tecoburgum dicitur. Ea ſucceſſu temporis ita paulatim crevit, ut hodieque Comitatus titulo gaudeat, & in memoriam originis Friſiacæ bis terna rubra herbæ Nymphææ folia, & duas anchoras in clypeo decuſſatum ſecto ita præferat, ut in quarta ſuperiori dextera anchora, in ſiniſtra tria folia & vice verſa in quarta inferiori dextera tria folia, & in ſiniſtra anchora appareant. *Titeburgum ab Vbbone conditum.*

Anno autem 248. ædificavit Ubbo ad Lavicanum mare caſtrum longè fortiſsimũ, quod nominavit Dockenburgum, ad arcendos piratas valdè accommodatum. Eſt enim Dockenburgum vox compoſita ex duabus dictionibus, quarum altera Docke antiquitus lingua Germanica ſignificabat portum ſive ſtationem, ubi naves tutò hibernent: Altera Burgus, caſtrum ſive turrim. Fuit igitur ea munitio eodem in loco, quo olim navalia fuiſſe Ptolomæus ſtatuit, ubi nunc eſt Doccomium oppidum. Nam & longitudo hodierna & latitudo cum Ptolomæi deſcriptione ad amuſsim concordat, ut dimetienti patet & artificum experientia docet, quæ ſtatuit longitudinis gra-

*Dockenburgum conditum.*

Dokkum
27-40-53-15

dus 28. minuta 15. latitudinis verò 53. & minuta 15. Diſtat autem à Leovardia orientem verſus, hodie miliaribus duobus. Quod ſingulariter notandum, eo, quòd auctores Ptolomæi navalia volunt eſſe Campenam civitatem ad Iſalam, quod fieri nequit ob longitudinem & latitudinem diſcrepantes.

In navalibus igitur Friſiæ Ubbo civitatem condidit quæ ad noſtram uſque ætatem Doccomi nomine non eſt incelebris, ob collegium Maritimi Senatus, quod ibi nunc habetur.

*Stavora ampliatur*

Sed nec eo contentus fuit Ubbo, verùm & ad Stavoræ amplificationem animum ſuum adjecit, quam tunc & multo ampliorem ac ædificiis quamplurimis ornatiorem reddidit.

Duos verò Dux Ubbo filios habuit gemellos: Haronem & Odilbaldum: Haronem annos natum duodecim anno 250. ad Regem Daniæ miſit excolendum diſciplina militari, ubi & ipſe jam olim inſtitutus & educatus fuerat.

Odilbaldus ad Rom: et Brab:

Triennio autem poſt & alterum filium ſuum Odilbaldum miſit eodem conſilio ad Carolum Godofridum, Brabantiæ Ducem: Cui cùm quatuor annis miniſtraſſet, inſcio patre Imperatori Valeriano ſe adjunxit. Ei ob fidem à Friſiis quondam Imperio Romano præſtitam pergratus fuit. Qua occaſione ita etiam ſe Odilbaldus geſſit, ut ingentem laudem atque gloriam ex rebus bene geſtis conſequeretur in omnibus bellis atque præliis.

*Valerianus imp.*

*Gallienus imp.*

Anno autem 260. Chriſti cùm Valerianus Imperator in Perſas moviſſet, proditione Ducis ſui captus à Sapore Perſarum Rege, infinitis contumeliis affectus, & tandem excoriatus ac ſale conſperſus, poſt longam ſervitutem miſerrimè interiit. Filius vero Gallienus in locum ejus ſuffectus, patre capto, velut rectore deſtitutus, in omne genus vitiorum præcipitavit, ſpretaque republica triginta Tyran,

Dokk

Tyrannis Imperium diverſis locis arripiendi occaſionem dedit. Quocirca & Germani ea re in vindictam excitati, quadripartito exercitu vicinos Romano imperio populos ſunt aggreſsi. Franci nova in hiſtoria Romana natio, nec antehac in ea audita, Gallias occupantes, eaſdem uſque ad Pyrenæos montes & ulterius devaſtarunt. Catti atque Saxones in Italiam irruperunt Ravennam uſque omnia proterentes. Gothi verò cum Scythis Græciam atque Aſiam populati ſunt: Suevi autem Pannoniam. Sic populis undique turbantibus miſerabilis rerum in orbe Romano facies fuit. Quæritur autem in hac narratione qui fuerint iſti Franci, & unde originem ſumpſerunt, qui tandem occupata Gallia, novum inibi regnum Francorum condiderunt: Auctores de hac quæſtione varia ſcripſerunt, quæ omnia hic recenſere nimis longum foret. Barbarici ſcriptores, qui paulò poſt initium illius regni vixerunt, quaſi omnes in uno & eodem ludo docti, à Trojanis Phrygiæ populis eorum principia arceſſunt, perhibentque Troja deflagrata quoſdam Trojanorum exules (ut breviter dicam) circa Mæotidem paludem, condidiſſe grandem civitatem nomine Sicambriam, Duce Francione Hectoris filio, Priami regis Trojanorum nepote. Ex ea Francos archego ſuo cognomines progreſsos, ſucceſſu temporis ad Rhenum conſediſſe, & inde demum moviſſe in Galliam, ac patraſſe ea, quæ de illis hiſtoriæ commemorant. Quæ narratio etſi prima fronte videatur, atque etiam ſit fabuloſa, ob Hectoris Trojani commentitium Francum, penitius tamen inſpecta ſcintillas quaſdam veræ hiſtoriæ continet, quibus excitatis facem magnam accendas. Vt autem eo perveniamus, primæ Francorum ſedes imprimis diligenter conſiderandæ ſunt, fuerunt autem primis temporibus cùm orbi Romano innotuerunt viciniæ Saxonibus. Saxones verò, ut ex Ptolomæo Geographo liquet, tunc ad dorſum Cim-

*Francorum origo atque nomen.*

Franci et Salii bricæ Cherſoneſi, ultra Albim fluvium habitabant. Ubi nunc Hollatii ſedes habent. Eorum proximi ad occidentem erant Cauchi, populus inter Germanos & juſticia & fortitudine nobiliſsimus: qui inter Albim, Viſurgim atque Amaſum conſidebant, & loca paluſtria ad mare Oceanum incolentes, uſque in Cattos extendebantur, Friſiorum, Vſipetum, Sicambrorum & Teuctherorum lateribus adhærentes. Hi diu multumque à Romanis, & præcipuè à Domitio Corbulone, Belgicæ præfecto, ac à Gabinio Secundo, qui ab iis devictis Cauchici cognomen à Claudio Cæſare accepit, vexati cùm eſſent, cœpere tandem de ſe vindicando cogitare, & maximè eo tempore, quo ignavia, luxuria atque mala libidine imperatores Romani, quaſi profligati, extrema imperii negligebāt, & tanquam pro derelictis habebant. Hanc occaſionem nacti Cauchi primi, aſſumpto novo, libertatem ſignificante, vocabulo, ſe Francos dixerunt, & cum Saxonibus vicinis ſuis mare Britannicum claſsibus infeſtum habere cœperunt, prædaſque ex littore Aremorico agere, idque anno Chriſti 265. Hinc jam Francorum nomine celebres anno ſequenti ſe Carauſio littoris Britannici præfecto, adjunxerunt, & mox Bataviam ipſi ſubjecerunt. Alii populi victorias Francorum conſpicati, ipſis ſe tandem adjunxerunt. Ex qnibus primi Salii, qui in ea regione tum morabantur, quæ nunc Sutphaniæ titulo nota eſt omnibus. Eos ſecuti ſunt Bructeri & deinceps Sicambri. Poſtquam autem ſupra modum creviſſent, & à Romanis obſervarentur, ne in Gallias tranſirent; Rex eorum Luytmeyerus fratrem ſuum Geneboldum cum plus quàm triginta millibus Francorum ex Sicambria atque Saliis emiſit ad Mænum fluvium, ut diſsidentes Suevos ac Turingos ſuo interventu diſtinerent ac pacatos redderent. Ut autem primi Francorum Salii, ſic iſti ab Saliis dimiſsi, Attuarii & Francones poſteà ſunt dicti, ſemper tamen Saliis ſubdi-

ſubditi, donec anno 752. Burchardo Epiſcopo à Pipino Rege donati, à Saliorum regno ſeparati ſunt. Franci igitur à Paludibus Oceani progreſsi & in Sicambria educati, libertatem ſuam contra Romanos acriter defenſarunt, tandemque adulti, & virile robur conſecuti, Reges ex ſuo corpore ſibi creaverunt, iiſque confiſi, cùm ſæpius anteà tentaſſent, ex Sicambria tandem victorioſos impetus ſub rege ſuo Clodione Comato, qui Diſbargi, quod nunc Duyſburgum vocamus, in confinio Turingorum & quidem in ipſa Sicambria domicilium tunc habebat, In Gallias fecerunt occupato Cameraco, aliiſque oppidis in circuitu & vicinia poſitis. Sicambriam verò eam regionem vetuſtioribus appellatam, vel ex uno loco Dionis Nicæi apparet, quo narrat Druſum Neronem, Tiberii Cæſaris fratrem tranſiiſſe Rhenum, ſubjugaſſe Vſipetes & Lupiæ fluminis ripis ponte junctis in Sicambros irrupiſſe. A Lupia enim, qui nunc circa Veſaliam Rheno commiſcetur, Sicambrorum erat initium & in Teuctheris deſinebat. Imò ſi tabulis Geographicis credimus, omnes illi fuere Sicambri, qui inter Oceanum Septentrionalem, & Cattos ad ulteriorem Rheni ripam, humillima camporum inhabitabant. Sic enim in antiquis Germaniæ pinacibus dilineantur, & quidem ipſorum etymologiæ conformiter. Siid enim ſive Sii apud Sicambros humile quid & depreſsum ſignificat, deinde & vox kempe apud eos pro agro ſumitur, unde dicti ſunt Sicambri, quòd agros depreſsos atque humiles incolerent. Cùm autem Duyſburgo egreſsi Rhenum tranſirent, nulla compendioſiore via in Gallias venire potuerunt, quàm per oppidum Sanctorum, quod Trojam parvam tum temporis appellabant. Etſi enim, illud oppidum quod hodiéque Xantum dicitur, non à Xanxto flumine Trojano nomen ceperit, ſed à Colonia Trojana quæ ibi fuit per abbreviationem, vel à ſanctis Martyribus Thebææ legionis,

qui ibi pro Chriſto ſanguinem ſuum profuderunt,& ideo ſanctorum oppidum dici debeat. Vulgi tamen opinione antiquitates malè intelligentis Troja nominata fuità fluviolo ad quem urbs ſita eſt, aut Xanxtus ad imitationem Xanxti Trojani vocari conſuevit.

Legio Theb. Anno enim 285. cùm Thebæa legio Maximiano herculeo occidentis imperatori contra ruſticos Bacaudas in Gallia militaret, nec in Chriſtianos juſjurandum, quod pariter ac in Bacaudas imperator exigebat, dare vellet; Imperator ea re exaſperatus, quòd imperium ſuum contemni & diſciplinam militarem convelli putaret, primo ex ea decimum quemq; jugulari, deinde Mauricium Primicerium pro Chriſtianis deprecantem Octoduri; Exſuperium ſigniferum cum aliis multis Agauni: Caſsium & Florentium cum ſeptem ſociis apud Friſiæ occidentalis ui bẽ Veronam: Victorem deniq; cum trecentis ac triginta ad oppidum Francorũ trucidari curavit, quod ab illis ſanctis viris ibi occiſis Sanctorũ nomen accepit,& per conciſionem Xanxtum vulgo eſt dictum. Et poſtea etiam labentibus rebus parva Troja nominatum. Per quam, cùm Franci ex Sicambria in Galliam tenderent, non eſt mirum profectò, ſi in tanta longinquitate temporis ea obſcuritas obrepſerit, ut mediæ ætatis ſcriptores ſub novis Dominis, legibus atque moribus rei veritatem perſpicere non potuerint. Cùm igitur Cauchi, alioqui populus inter Friſios excellentiſsimus, ſub ortum Francorum in hiſtoria omnem memoriam ſui amiſerint, nec ulli alii Saxonibus vicini tum temporis fuerint, qui cum illis prædari ac navigare potuerint: eorumque ea prudentia ac virtus exſtiterit, ut quamvis pauci rebus gerendis pares eſſe, & novo regno idonei viderentur, quid ni etiam eos, Francorum progenitores, præſertim tot inter ſe rerum, perſonarum, locorum ac temporum circumſtantiis benignè conſentientibus, pronunciare audeamus?

amſus? Hinc apparet, ni fallor, cur dictum ſit in lege Salica de Francis: *Hæc eſt gens, quæ parva cùm eſſet numero, fortis robore, validum Romanorum jugum de ſuis cervicibus excuſſit pugnando.* Intereà dum Cauchi nomine in Francos mutato cum Saxonibus piraticam exercent, & majora pedetentim in Romanos commoliuntur, non ceſſant Batavi, Romanorum ſocii, Friſiorum pacem laceſſere: ſed anno 279. contractis maximis copiis, ex improviſo in Friſiam impreſsionem faciunt, eamque ſingulari clade afficiunt, antequam ſe Friſii ad reſiſtendum comparare poſſent. Dux autem Ubbo re comperta, quàm celerrimè tumultuario, quem habere potuit, collecto exercitu, illis obviam profectus, ita acriter ſe objecit, ut ab ulteriori agrorum vaſtatione facilè deſiſterent. Commiſſo enim prelio, tanta acerbitate cõcurſum fuit, ut difficile dictu fuerit, penes quos victoria cõſtiterit, adeò deprehendi non potuit, ex qua nam parte plures cecidiſſent, utrimque certè plus minus quingenti ſimul occiderunt: Et Batavi domum, unde venerant, reverſi ſunt. *Batavi Friſios oppugnant.*

Poſt hæc Dux Friſiæ Ubbo anno 299. hac vita defunctus eſt, poſtquam Friſiam laudabiliter gubernaſſet annis quinquaginta novem: qui prope cognatum ſuum Titum Stavoræ ſepultus fuit.

Duos filios ſuperſtites reliquit, Haronem & Odilbaldum. Ex quibus etſi Odilbaldus ad patriæ regimen magis eſſet idoneus, quàm Haron, tamen Odilbaldus in Friſiam hoc tempore commodè reverti non potuit, quòd jam apud imperatorem Diocletianum ſtipendia faceret, & ob captam poſt octavum menſem obſidionis Alexandriam, quod anno 294 factum eſt, apud eundem in ſumma dignitate eſſet, qui ejus opera in multis arduis AEgypti negotiis utebatur; Inde factum eſt, ut Ordines Haronem patri ſurrogarent. Odelb: ~~Haro~~ militat Rom:

Capu

## Caput Quintum.

### *De Harone Friſiorum Duce quinto.*

ANno itaque 299. Haron Ubbonis ſupradicti filius Ordinum ſuffragiis patri ſuo ſucceſſor conſtitutus & quintus Friſiæ Dux inauguratus eſt. Hic uxorem habuit filiam Regis Daniæ, cujus nomen ignoratur.

*Odilbaldus ducis frater in AEgypto moritur.*

Anno Chriſti trecenteſimo ſecundo, Odilbaldus Ducis Haronis frater in AEgypto diem obiit extremum, quò eum ob negotium conficiendum legaverat Imperator Diocletianus: qui ob ejus obitum ſummopere doluit.

Ejus calamitatis rumor cùm in Friſiam perlatus eſſet, ſummâ triſtitiâ univerſam provinciam affecit, ſubditis cum principe ſuo defunctum Odilbaldum publicè privatimque lamentantibus, ob virtutes inſignes, quibus omnibus fuerat in vita acceptiſsimus. Haron autem filium ſuum jam trimulum, ad illius memoriam, nomine commutato, Odilbaldum deinceps appellari voluit.

*Diviſio imperii Romani.*

Cùm anno Chriſti 304. Diocletianus & Maximianus imperatores memorabili & novo exemplo, & primi imperium communicaſſent & depoſuiſſent. Conſtantius Chlorus & Galerius Auguſti, ab illis primùm dicti Cæſares, ita orbem Romanum diviſerunt, ut Chlorus occidentem & in eo Italiam, Africam, Galliam, Hiſpaniam & Britanniam acciperet. Galerius verò orientem & in eo Aſiam, Orientem, AEgytum & Illyricum, utque oriens Syriam, Armeniam, Arabiam, & Meſoporamiam comprehenderet, Illyricum verò Thraciam, Mœſiam, Daciam, Pannoniam, Macedoniam, Græciam et Dalmaciam, Germaniâ omnino excluſa.

*Conſtantinus Magnus.*

Anno Chriſti 312. Conſtantinus magnus cùm in Italiam contra Maxentium tenderet, animi dubius et necdum Chriſtianus, in ipſo Meridie, cœlo admodum ſudo crucem vidit reſplendentem, cum expreſsis circum eam literis,

literis, quæ ſententiam reddebant: *In hoc vinces.* Quapropter & vexilla in formam crucis compoſuit cum literis duabus X. & P. Chriſti nomen exprimentibus & victoriam conſecutus, ſe doceri in Chriſtianiſmo paſſus eſt.

Eodem anno 24. Septembris, indictio prima inſtituta eſt à Conſtantino imperatore, eſtque revolutio annorum quindecim, qua ſtipendia militaria ad quindecim annos ſunt redacta, ut nimirum miles eadem indictione miſsionem impetraret, qua militiam erat ingreſſus.

Poſtquam enim legiones Ro. cæperunt eſſe perpetuæ, nec miles niſi emeritus dimitteretur, ſæpe in caſtris ob numerum ſtipendiorum eſt tumultuatum.

Primis temporibus 25. annis militia finiebatur: ſub Auguſto 16. & deinceps, donec ad Conſtantinum eſt perventum, qui juſtis ſtipendiis quindecim annos aſsignavit, Cæſar Baronus eſt auctor.

Circa eadem tempora cæpit & ea pars Friſiæ, quæ à Stavora occidentem verſus inter Africum & Zephyrum ventos interjacebat, & hactenus quaſi pro derelicto habebatur, excoli & domiciliis frequentari. *VVeſtfriſia excolitur.*

Ejus rei autores primi fuerunt quinque viri Nobiles, qui præ cæteris aliqua prærogativa dignitatis ſibi pollere videbantur. Quorum præcipuus erat Diderichus Radbodi filius, Aſconii primi Friſiorum Ducis nepos, qui duobus à Stavora miliaribus ad favonium ædificare cœpit & intra breve tempus Oppiduli fundamenta jecit, quod poſtea convenis atque advenis frequentatum, à lacu cujus ripæ erat impoſitum Medemelaca, & tractu temporis omnia corrumpentis Medenblicum fuit appellatum: Hodiéque eodem nomine Hollandis atque Friſiis eſt notum. Eſt autem Medemelaca, antiqua lingua dictus, quaſi fundus conductus ad lacum, qui ſanè inde non longè abeſt.

Medemelac q. d. fundus ductus ad lacu inepte

Reliqui quatuor viri, hujus Diderichi erant ex parte

matris conſanguinei, quæ è Weſtfriſia oriunda Radbodo nupſerat.

Eorum primus dicebatur Gerardus Utenvvoudius, qui ſedem & domicilium rerum ſuarum, in vico pervetuſto Opdijck nominato, collocaverat.

Secundus vocabatur Rolandus Voorniſsius, qui egregiam arcem condidit in Wideniſſe, pago nobili & antiquo non procul ab eo loco ubi nunc Horna Oppidum viſitur.

Tertius dictus Kenno filius Herconis Bennebrocenſis, qui in Bennebroca pago ſedes habuit: prope quem aliqui volunt Romanos cladem accepiſſe illam à Friſiis memorabilem ſub Tiberio imperatore ad Lacum ſive lucum Baduhenne, ut & primo lib. ſuprà diximus.

Quartus verò Adelboldus, à loco ubi domicilium poſuit, Vinckelius nominatus, in vico Vinckel, qui adhuc ſupereſt, ædificaſſe perhibetur.

Inter hos quinque viros cæteris præſtabat Teodorichus Medenblici conditor, vel ob generis dignitatem, vel ob fortunæ beneficentiam, quæ ejus domicilium & caput provinciæ ejus fecit, & ſucceſſu temporis mirificè amplificavit.

*Diederichus vult audire Rex VVeſt friſiæ, ſed ab Harone in Ordinem redigitur.*

Ex hoc enim tempore pars hæc ſemper Friſiæ occidentalis nomine appellata fuit, & incolæ ejus Friſiabones, quaſi Friſiorum vicos habitantes coloni ſunt dicti, ut doctis placet, ut enim bonna vicum denotat, unde bōnomeiſters, id eſt, vici magiſtri nominantur: Ita Friſiabones Friſiorum vici, compoſitione facili & uſitata ſunt appellati, longè aliter, quàm Hadrianus Iunius, vir alioqui undequaque doctiſsimus, eſt opinatus, qui eos Frieſæpen quaſi Friſiorum ſimeas appellatos putat.

Cùm autem hæc Friſiæ pars occidua mirum in modum ædificiis, caſtris, pagis & civitatibus diverſis ornaretur, adeo, ut neutiquam Friſiæ orientali cæderet, humanitus

nitus

nitus evenit, ut creſcente rerum ſucceſſu, creſceret etiam ambitio, & Diderichus ſupradictus anno Chriſti 334. ſe regem Friſiæ occidentalis nominari voluerit. Quæ res poſtquam evulgata fuit; multis ſine dubio ob arrogantiam inauditam diſplicuit: Dux Haron ſanè eam ad ſe pertinere exiſtimavit, & primo quoque tempore caſtigandum cenſuit: Proinde contractis copiis ſtatim in Diderichum contendit eumque ita coanguſtavit, ut ſe in manum & poteſtatem ejus libenter dediderit.

Quamquam autem Diderichus ipſe nihil aliud exſpectaret, quàm ut ab Harone prorſus ditione ſua privatus exterminaretur, Haron tamen memor antiquæ cognationis nihil gravius in ipſum ſtatuit. Hoc tantùm voluit, ut triduo poſt Diderichus Stavoram veniens, ab ipſo veniam rebellionis & ambitionis ſuæ peteret, utque ibidem, depoſito Diademate, ſe ducis Friſiæ orientalis poſterorumque ejus in perpetuum clientem agnoſceret, & recepta ditione fidem daret ſe contra ipſum aut ſucceſſores ejus nec fœdus initurum, nec bellum geſturum, nec iis conſiliis interfuturum quibus contra Haronem aut poſteros ejus aliquid adverſi conciperetur, ageretur ve.

Hæc poſtquam Diderichus approbaſſet & firmiter ſe conſervaturum jurejurando confirmaſſet, Haron eum comiter tractavit & addito comitatu Medenblicum remiſit: Ex quo inter eos firma utrinq; amicitia permanſit. De eo fœdere Haron tractatum ſcripſiſſe dicitur. Diderichus inde primus dux Weſtfriſiæ dictus filium reliquit nomine Lemum ſive Wilhelmum, ut Hollandici annales referunt, ex quo reges deinceps orti, ut infrà latiùs admonebimus.

Anno 323. Conſtantinus imperator Nicææ in Bithinia coegit concilium trecentorum & octodecim Epiſcoporum contra Arrium, qui divinitatem Chriſti negabat: Ei inter cæteros interfuerunt Oſius Magnus Cordubenſis

*Concilium Nicænum.*

Epiſcopus ex Hiſpania: Ex AEgypto Paphnutius & Potamon,& exCypro Spiridion: qui tres monoculi ob confeſsionē & ſuccisis poplitibus quondam in metalla damnati fuerant. Concluſum illic Ieſum Chriſtum eſſe filium Dei,patri conſubſtantialem,firmatum eſt eodem anno hoc concilium,& non triennio, ut aliqui ſcribunt.

*Conſtātinopolis conditor.* Eodem anno Conſtantinus novam urbem Romæ ſimilem conditurus, locum ei ædificandæ elegit ad Ilium in Aſia,ſed paulò poſt ſententiam mutans Byzantium reſtituendum cenſuit. Erat autem Byzantium urbs primùm à Carthaginenſibus condita,ſic dicta quaſi Betzona, id eſt, domus cauponæ ſeu meretricis & à Severo deſtructa jacebat in ruinis, ſita ſupra Boſphorum in Thracia, habens in conſpectu Aſiam à dextera Africæ, à ſiniſtra Schyticis regionibus opportunitate navigandi oppoſita, quæ duabus partibus ita mari alluitur, ut fere peninſulam quandam referat, tertia reliquo continenti jungitur: ſeptem colles in ſe complexa. Eam novam Romam appellavit Conſtantinus, ſed ab ipſo conditore vulgo cepit ut Conſtantinopolis diceretur, dedicata anno 330. die 10. Maii feria prima.

335. Non multo poſt iſta, anno nimirum chriſti trecenteſimo triceſimo quinto, Dux Haron ad montem Rubrocliffium fato functus eſt, anno ætatis ſuæ nonageſimo ſeptimo, cùm Friſiam laudabiliter gubernaſſet annos triginta ſex: Stavoram delatus, ibidem apud patrem ſuum ſepultus eſt.

Filios ſuperſtites reliquit duos: quorum major natu (cujus nomen non reperitur) vir planè ſolitarius ad gubernationem minimè aptus fuit. Itaque tum hujus, tum Ordinum precibus, qui natu minor erat, Odilbaldus patri ſuffectus eſt.

Caput

## Caput Sextum.

### *De Odilbaldo Friſiorum duce ſexto.*

ANno igitur Chriſti 335. Odilbaldus Haronis ſupradicti filius omnium Ordinum cõmuni conſenſu patri ſuo ſuffectus eſt, & ſextus Friſiæ Dux inauguratus, qui tum agebat annum ætatis ſuæ trigeſimum octavum, & erat vir ſtrenuus & in re militari egregiè exercitatus, omnique politica prudentia fæliciter inſtructus: qua etiam provinciæ ſuæ multum commodavit.

Mox enim anno 339. Stavoram ampliavit, foſsis latioribus ac profundioribus cinxit, mænibus altioribus & latioribus circumdedit, Majoribus etiam privilegiis cohoneſtavit. Provinciam ipſam incolis ubique collocatis frequentiorem reddidit, viciſque permultis ſparſim ornavit. Quin & novam civitatem condidit ad Dockenburgi Septentrionalem plagam ad mare Lavicanum è regione inſulæ Monachorum Ogyæ, quæ Wardena tum appellata fuit. *Friſia excolitur.* Stavoram ampliavit. condidit Wardenam f. Esonstad 119

Wardena autem civitas, ab excubiis videtur nomen accepiſſe, quas ibi Friſii adverſus piratas habuerint, & eadem eſſe cum Ptolomæi Phylæo, non tantùm propter loci ſitum, ſed etiam ob nominis utriuſque convenientiam. Exiſtimo enim Ptolomæi vocem græcè ſcriptam, ſi integritate ſuæ reſtituatur, Phylacæum dici, & idem ſignificare, quod nobis Wardena indicat. Nempe locum ubi vigiles & excubitores præſideant: quod lectori erudito dijudicandum offero. Urbs ſanè iſta præſidiis dedicata fuit & philæi loco condita vel inſtaurata potius. *Wardena urbs in Friſia.* p. 124 Esonstad a War. ...

Anno Chriſti 342. natus eſt Odilbaldo filius, qui nominatus eſt Odulphus Haron: cujus nomine tota Friſia plurimum gaviſa fuit, cùm Duci hactenus non niſi filiæ natæ eſſent.

Anno Chriſti 344 Weſtphali unà cùm cõfœderatis An- *Weſtphali & Angrivarij Friſiam invadunt.*



Weerd = tumulus: arx.

westphaliam Frisii dominant et tenent 65 annos

grivariis vicinam Friſiam diverſis incurſionibus infeſtarunt, & tandem ex improviſo terram eam Friſiæ invaſerunt, quæ Amaſo & Lavica fluminibus comprehenditur. Quo comperto Dux Odilbaldus contractis ociter copiis, hoſtes vaſtationi intentos, non modò præda exuit, ſed & domum uſque inſecutus caſtris, aliquot & munitionibus occupatis ſpoliavit, nec prius deſtitit quam Angriam totam & maxima ex parte Weſtphaliam ſuæ ditioni ſubdidiſſet, cui præſidium impoſuit & præfecit unum ex primoribus Yglonem Laſconem: atque ita triumphabundus in Friſiam reverſus eſt.

*Yglo laſcon præfectus tres arces condit.*

Capitaneus autem Yglo Laſcon illis populis in officio continendis præfuit annis integris ſexaginta quinque, & ad ſecuritatem domini ſui ædificavit tres arces, primam in Angria, quę poſteà Videkindi fuit, alteram Suſati, quę poſteà in civitatem per Dagobertum cloarii filium evecta, & tandem S. Cuniberto Epiſcopo donata fuit, ut noſtris ſcriptoribus referẽtibus atteſtantur Chronica civitatis Lippæ & Colonienſis: tertiam Iburgi, ꝙ nunc Driburgum dicitur.

In Friſiam verò reverſus Odilbaldus, ab uxore in Caſtro Dockenburgo, quod ad Lavicum fluvium erat ſitum, maxima cum feſtivitate eſt exceptus, ſed cùm dies aliquot ibi jucundè egiſſet, nuntium accepit Batavos provinciæ ſuæ infeſtare fines.

*Batavi appetunt cum ſuo damno.*

Quibus mox exercitu comparato obviam profectus ita incubuit, ut non modò eos in fugã verterit, ſed & ulterius perſecutus magna clade & ſtrage affecerit, captis etiam eorum aliquot munitionibus, quas præſidiis firmavit & ſpoliis onuſtus ad ſuos rediit. Cecidiſſe in eo prælio dicuntur ab utraque parte ultra quadringentos, & in fuga perempti à Friſiis ducenti quinquaginta Batavorum.

Poſt hanc cladem longo tempore tranquilla pace Odilbaldus, Dux eſt uſus, cùm nec illum quiſquam, nec ille quemquam bello appeteret, uſque ad annum Chriſti 357.

quo

quo & nuper ab ipſo condita civitas Wardena in totum incendio deflagravit. *Wardena deflagrat.*

Eodem anno Odilbaldus filium ſuum Udolphum Haronem, etſi in ſcholis & gymnaſiis diligentiſsimè pro inſtituto patriæ exercitatum, ad Yglonem Laiconem miſit, ut indies cum hoſte confligendo rebus ipſis diſciplinam militarem perciperet exactius.

Manſit autem illic Udolphus integrum biennium, donec ob patris morbum mater eum inde domum in Friſiam revocaret.

Neque enim diu poſt ejus reditum Dux Odilbaldus ſupervixit, ſed ſub finem anni 359. viam univerſæ carnis intravit ac eſt mortuus. *359. Odilbaldus dux moritur.*

Ejus obitum tota patria ingenti mærore & dolore proſecuta eſt.

Uxor quoque in memoriam defuncti filiam natu maximam mutato nomine Odilbaldam nominari voluit. Imperavit autem Friſiæ Dux Odilbaldus annis 25.

## CAPUT SEPTIMUM.

### *De Udolpho Harone Friſiorum Duce ſeptimo.* *A.C. 360*

ANNO CCCLX ineunte Udolphus Haron ſuperioris Odilbaldi filius patri ſuo ſucceſſor & Friſiæ ſeptimus Dux communi Ordinum ſuffragio electus & inauguratus eſt, vir bellicæ laudis avidiſsimus, & propagandis ditionis ſuæ finibus maximè ſemper intentus, ut ex ſequentibus apparebit, imperio Romano præerat tum temporis Conſtantius Conſtantini Magni filius: ab eo dictus erat Cæſar Iulianus occidenti præpoſitus: hic à militibus in Gallia hoc anno acclamatus eſt Auguſtus: & accepto imperio ſtatim in Fracos Atthuarios duxit, quòd extrema Galliæ incurſaſſent eoſque in ſuis finibus ob aſperitatem, ut putabant, inacceſsis, ita cæcîdit, ut pacem orantibus pro arbitrio dederit. Conſtantinus imperator *A.C. 361. Iulianus Apoſtata imp.*

ea

ea re cognita ex Perſide regreſſus ut Iulianum ulciſceretur, cùm veniſſet ad Ciliciæ montes, febri coreptus quinta octobris anno 361. moritur. Quo cognito Iulianus Conſtantinopolin abit, multa ubi primum in religione turbat & tandem ſimulatione depoſita, ad veterem paganiſmum deſciſcit, multos Chriſtianorum, etiam militantium occidit: multos exauctorat inter quos & Iovianum,
362. Valentinianum & Valentem qui deinceps imperio præfuerunt: Ipſe republica conſtituta, publico edicto vetat ne Chriſtianorum liberi Grammaticam, Rhetoricam, & humaniores literas aut diſcant aut doceant, ne doctrinis gentiliũ eruditi, ex iis aut quæſtum faciant aut adverſus eos iiſdem abutantur. Templa paganorum Conſtantinopoli aperiri jubet, Iudæos remiſſo tributo Hieroſolymorum inſtaurationem concedit, ſumptus in id ſuppeditat: qui ea re truculentiores effecti, omnia templa Chriſtianorum in tota fere Palæſtina incendiis vaſtant. Sed dum fundamenta urbis Hieroſolymæ deprimere conantur, ignis erumpens fabros atque operarios abigit. Iulianus interim in Perſas movet ac cùm 16. Iunii anno 363. regredi vellet, à Perſis circumfuſus, lancea occiditur, ad extremum uſq; in Chriſtum, quem Galilæum appellitabat, blaſphemus & maledicus.

*Hengeſtus naſcitur 361.* Anno autem 361. natus eſt Vdolpho Haroni filius, quem vocavit Hengiſtum, qua ex re maximum gaudium unà cum ſubditis ſuis percepit, cùm ipſi hactenus non niſi filiæ natæ eſſent. Sed & altero poſt anno natus eidem duci filius ſecundus, quem Horſum nominari voluit, diſtincto quidem vocabulo à priore, ſed idem ſignificante: utrumque enim vulgo equum ſignificat. Ex eo ſubditorum lætitia magis adaucta fuit.

*Horſus naſcitur 362.*

*Iovianus imp.* Anno aũt 363. in Iunio cùm obiiſſet Iulianus Iovianus à militibus ei ſuffectus eſt, vir probus & Chriſtianus, qui ſtatim cum Sapore Perſarum rege pacem facit, catholi-

cam

cam fidem profitetur, Epiſcopos in exilium miſſos revocat, ſed intra annum in Galatia graveolentia cubiculi exanimatur, inter bonos potius quam ſtrenuos numeratus. Huic ab iiſdem militibus ſurrogatur Valentinianus qui Conſtantinopolin reverſus, Valentem fratrem imperii conſortem ſibi adſciſcit, & oriente illi commiſſo ipſe in occidentem proficiſcitur. 364. *Valentinianus & Valens impp.*

Anno 368. magnis viribus oppugnabatur Yglo Laſcon à Sicambris, Angris atque Weſtphalis, ita ut periculum eſſet, ne ille hactenus occupata rurſus amitteret: Itaque certior ab eo hujus factus Dux Udolphus, mox cum ingenti exercitu præſto illi ſuppetias tulit, vaſtatasq; Sicambrorum terras ſpoliavit, & magna ex parte occupavit, præſidioque impoſito, obtinuit atque ita in Friſiam eſt reverſus. 368. *Yglolaſcon*

Paulò poſt idem Yglo Laſcon domino ſuo Udolpho ex Angria miſit Lupum mirè monſtroſum, utpote, qui diverſis capitum figuris corpus undiquaque variegatum haberet, quem Dux Udolphus poſteà Valentiniano Imperatori ut miraculum dono miſit. *Lupus monſtroſus.*

Auctor Chronici apud Hollandos majoris in literas retulit anno 370. Saxones inferiores, Viltas atque Slavos tres populos inter ſe vicinos, inito fœdere, magna comparata claſſe aſcendiſſe Rhenum, incurriſſe Germaniam ſuperiorem Galliamque appetiviſſe, ſed à Valentiniano repreſſos & in ordinem redactos, Viltaburgo eorum caſtello funditus everſo. Saxones inferiores idem auctor interpretatur Friſios, Viltas, Ultrajectinos & Slavos demum eos, quos nunc Hollandos appellamus. Ammianus verò Marcellinus & Paulus Oroſius ſolos Saxones in expeditione fuiſſe commemorant: qui ambo fatentur eam gentem ab Oceano & paludibus erupiſſe, virtute & agilitate terribilem, Romano imperio periculoſam. Quæ omnia Friſiis quidem optimè conveniunt: ſed addunt 370. *Expeditio Saxonum, Viltarum & Slavorum.*

eam pace pacta ex valle quadam interceptos in ipſis Francorum finibus cùm in patriam redire vellent. Illo autem tempore duo erant Francorum genera: quorum alteri Salii dicebantur, ac circa Ifalam ac Rhenum conſidebant: Alteri Atthuarii, & inter Mœnum flumen & montem Melibocũ habebant ſedes, ubi in veteris Germaniæ typo Caſuarii qui & Cattuarii ab Ortelio deſcribũtur. Deinde & Saxones tunc in primis ſuis ſedibus apud Albis oſtia commorantes cum paludibus conflictabantur. Et ſanè Nannienus qui primus illis occurrit & in prælio ab iis repulſus vulneratuſque eſt, Mogontiaci præſidebat, in loco Atthuariis propinquo, quemadmodum Quintinus Coloniæ Agrippinæ, illic ad tutelam Galliæ à Valentiniano Imperatore conſtituti. Vero igitur propius videtur, ut illos viros fuiſſe Saxones exiſtimemus, qui pedeſtri itinere Galliam cogitaverint & in Atthuariis per inſidias & perfidiam internecione cæſi, idque juſſu Valentiniani, qui tunc Mediolani erat, ut ex hiſtoricis liquet. Rhenum enim tunc aſcendere claſsibus Saxones inferiores ideo videntur non potuiſſe, quòd anno ſuperiore Valentinianus magna animo concipiens & utilia, Rhenum omnem à Rhetiarum exordio aduſque fretalem oceanum (ut inquit Marcellinus) magnis molibus communierat, caſtra extollens altius & caſtella turreſque aſsiduas, per habiles locos & opportunos qua Galliarum extenditur longitudo, nonnunquam etiam ultra flumen ædificiis poſitis ſubradens barbaros fines. Atque hæc quidem Saxonum tunc infelix in Galliam expeditio fuit.

*Lib. 28. cap. 6*

*Expeditio Vdolphi ducis in Cauchos.*

Anno autem 374. Dux Udolphus Haron miſit filios ſuos Hengiſtum & Horſum ad imperatorem Valentinianum diſciplina militari inſtituendos: quo nomine imperatori acceptiſsimi adoleſcentes fuerunt, quos proinde omni cura & diligentia in aula ſua inter æquales habuit.

Anno 376. Idem Dux maximis copiis, partim prope

Stavo-

Stavoram, partim prope Dockenburgum collectis, finitimas terras ad auſtrū & euronotum ſitas invaſit, multaſque ibidem munitiones occupavit & præſidio firmatas continuit. Semper enim propagandis ditionis ſuæ finibus diligenter incumbebat. Proinde valde miror apud noſtrates de invaſis Cauchorum terris profundum ſilentium, qui nihil de eorum emigrationibus memoriæ reliquerint. De Cauchis enim hoc vere ſuſpicari licet, ſi illi primi Francorum nomen adoptaverint, ut maximis viris placet, & nos quoque ſuprà comprobare ſumus adnixi, eorum ſedes jamdudum migrationibus exhauſtas & terras ab incolis deſertas, præſertim eas in quibus miſera gens tumulos obtinebat altos, aut tribunalia ſtructa manibus, ad experimēta altiſsimi æſtus, ut auctor eſt Plinius, teſtis oculatus. Nam cùm hiſtorici ſcribant ad annum Chriſti 285. & deinceps Francos atque Saxones oceanum accolentes diripuiſſe Gallias, in Hiſpaniam penetraſſe & Armoricos infeſtaſſe: deinde Francorum innumerabiles copias ſe adjunxiſſe Carauſio, limitis Armorici præfecto, occupaſſe Bataviam, multas eorundem familias à Maximiano Auguſto in agros Nerviorum & Trevirorum traductas; Deinde à Conſtantio Chloro, Francorum captivos in agris Lingonum, Rhemorum, Tricaſsinorum, & Anibranorum à ſolitudine vindicādis collocatos: quis non hinc concludat patriam ab illis relictam & aliorum occupationibus fuiſſe opportunam? Hoc ſanè primorum Francorum fortuna vicinas nationes docuit, ut volentes & lubentes in nomen Francorum poſteà tranſirent & quod primi fecerant, ut & ſequentes in Gallias ſemper intenti eſſent & progredi, quam regredi ad paludes ſuas & uligines mallent. Ideoque in ea opinione ſum, ab Udolpho Harone non alias fuiſſe terras occupatas, quâm quas Cauchi deſeruerant, aut imbelles eorum reliquiæ parvo præſidio retinebant; quandoquidem amiſſa Cau-

chorum memoria, Friſiorum nomen iis locis ab illo tempore eſt infuſum.

377. *AEſonſtadium.* Anno 377. Dux Vdolphus Wardenam civitatem, quæ ad mare in ſinu Lavicano ſita jam pridem conflagraverat, reparari curavit, eamque nunc AEſonſtadium appellari voluit.

383. *Hengiſtus & Horſus in Friſiam reverſi.* Anno 383. filii ducis Hengiſtus & Horſus in Friſiam reverſi ſunt poſtquam novem fere annis à patria abfuiſſent. Imperatori Valentiniano & filio ejus miniſtraverant uſque ad annum 380. & in omnibus negotiis & expeditionibus ſe laudabiliter geſſerant. Cumque poſt ejus mortem in patriam redire conſtituiſſent, forte fortuna in Caſſandrum Brabantiæ ducem ſibi obvium inciderunt: ejuſque precibus inducti, in tertium uſque annum apud ipſum conſtiterunt: cùm ibi multa egregia militiæ documenta quotidie ederentur, quorum ſtudio ipſi maximè flagrabant, fuit autem Carolus Taxander, Brabantiæ dux uti ajunt, decimus, imperavitque annos quadraginta: auſpicatus anno Chriſti trecenteſimo quadrageſimo ſeptimo. Venerunt igitur Hengiſtus & Horſus à Taxandro duce in Friſiam ante mortem ejus quadriennio, ut ratio calculi oſtendit.

Cùm autem in patriam hi reverſi eſſent, pater Vdolphus dux Friſiæ admiratus & exoſculatus inſignem eorum comitatem, eos aliquādiu ſecum retinuit in aula ſua, ſed poſteà anno Chriſti 384. miſit eos ad Yglonem Laſconem ſuum in Angria toparcham, ut cum illo ſimul curam provinciarum agerent: ubi ſe illi vel optimè geſſerunt.

384. *Iidem ad Yglonem miſsi*

Anno ſuperiore in Britannia exercitus cùm tumultuatus eſset, metuens ſibi ab imperatore Gratiano, Clementem Maximum natione Hiſpanum facit Auguſtum: & cum eo in Galliam profectus Gratianum Auguſtum à ſuis deſtitutum Lugduni interficit. Inde Maximus imperator Victorem filium declarat Cæſarē, ponit ſedem Treveris, unde

ūnde Galliam gubernat. Tum temporis Valentinianus Iunior Gratiani frater Mediolani agebat & Italiæ à Maximo timebat: quamobrem ab eo per D. Ambroſium Epiſcopum mediolanenſem pacem petit, atque ægrè impetrat. Hinc initium malorum in Britannia.

Anno 385. vulgaris ac popularis querela ducis Udolphi aures percelluit, quòd majori incolarum turba Friſia oneraretur, quàm ut eos omnes alere poſset ulterius; Ideoque communi ordinum voto dux rogatus eſt, ut ex ſtatutis majorum laudabili conſuetudine approbatis dilectum populi ageret & ſorte decerneret, ex eo tum ætate integerrimos, tum animi corporiſque robore præſtantiſſimos, qui patria cederēt & virtute duce, comite fortuna, ſibi novas terras ad inhabitandū quærerent, & ſuo diſceſſu aliis in Friſia manentibus locum ampliorem & victum parabiliorem facerent. Hoc & exemplo primorum principum & apum naturâ præmonſtratum eſſe, quæ nimia prolum copia gravatæ colonias ducunt & examina foras emittunt regémque præficiunt. Dux Vdolphus his intellectis non modò per Friſiam, ſed & per cæteras omnes provincias quæ ditioni ejus ſubjectæ erant, ex omnibus pagis, vicis atque oppidis congregavit florentiſsimos quoſque tum ætate tum virtute, ut ex his ſorte miſſa eligeret quinam ſtatuto patriæ ſatisfacere & more majorū ea exire & ſedes novas alibi quærere deberent. Eaque in re adeò ſanctè verſatus eſt, ut ne filiis quidem ſuis parcendum judicaverit: itaque ſuper Hengiſtum & Horſum etiam ſors cecidit, qui cæteris proinde quos ejuſdem ſortis conditio poſtulaverat ut duces & capitanei ſunt præfecti.

Claſse igitur parata & rebus neceſſariis probè inſtructa Hengiſtus & Horſus cum conſortibus ab Vdolpho duce Friſiorum fauſtis precationibus demiſsi, anno Chriſti trecenteſimo octuageſimo quinto, ſolverunt anchorā, & ſecundis uſi ventis, maris Britannici emenſi ſpacia, in re-

*385. Colonia miſſa ad Eidoram fluvium Daniæ in Friſiam minorem.*

gionem pænè vacuam cis Eidoram Daniæ fluvium appulerunt, quam à ſeipſis & in patriæ ſuæ memoriam appellavere Friſiam: ſed reſpectu magnitudinis minorem, ut Saxo Grāmaticus & Albertus Crantzius Hiſtorici horum locorum ſunt auctores: Terra enim hæc cùm eſset relictæ patriæ non abſimilis, quòd & ipſa humilis & æſtuariis oceani diverſis interciſa, ſed portubus opportuna confeſtim ita ducibus placuit, ut eam retinere, aggeribus cingere, ſuiſque uſibus accommodare ſedulò & diligenter cœperint. Erat autem tunc, cùm eò Friſii deſcenderent, Hengiſtus quidem annorum viginti quatuor, Horſus verò annorum viginti & unius. Qui duo principes viri, cùm aliquandiu ibi hæſiſsent & populum haberent obſequētem jam anteà militiæ aſsuetum, non difficulter eam terram ſibi ſubjecerunt, eò quòd Iuthæ et Angli populi vicini à Friſiis oriundi eſsent, quodque primi ejus coloni jam anteà ab Vbbone Iutonis filio, tempore Adelis Friſiorum principis, ſi qui ſupereſsent, eò miſsi fuerant. Equidem de hiſce colonis cùm ſcriberet Crantzius: Hos (inquit) à Friſiorum gente conditos, nominis & linguę ſocietas teſtimonium eſt: quibus novas quærentibus ſedes ea ſorte tellus obvenit, quam paluſtrem atque humilem prīmum longo cultu duraverunt. In hac igitur minori Friſia Hengiſtus & Horſus tam diu morati cum ſociis ſuis fuerunt, donec à Britannis contra Pictos & Scotos vocarentur in auxilium. Intereà autem & conjugia cum vicinis cognata gente contraxerunt & liberos educarunt, et piraticam exercuerunt in mari Britannico, ſectantes inſtitutum non ſolùm apud hoſtes Septentrionis populos, verùm etiam apud Græcos et Aſiaticos jam olim non improbatum, ſi Herodoto et Thucydidi, antiquis eorum hiſtoricis, credere velimus. Atque hęc quidem Friſiæ Eidoranæ initia fuerunt, quam etiam nunc Minorem Friſiam & Strantfriſiam et Eiderſtedium appellamus.

A. Krantz.

Anno

Anno 384. Auguſtinus Tegaſtẽſis ex Africa profectus cùm Romæ & Mediolani aliquandiu Rhetoricam docuiſſet, divi Ambroſii concionibus ex Manichæo factus eſt Chriſtianus, divus etiam Martinus ad maximum Tyrannũ profectus, admonuit eum ut ab hæreticorum ſanguine fundendo abſtineret, ſatis eſſe inquiens, ſi Epiſcoporum ſententia damnati, Eccleſiis pellerentur. 384. *Auguſtinus.* *Martinus Turonenſis.*

Clemens maximus cùm non ſolùm Britannia & Gallia potiretur, ſed & Hiſpaniam ſuo adjeciſſet imperio, his non cōtẽtus etiam Italiam inhiabat, quam tamen aggredi ob pacem Valentiniano datam non audebat: vel quia Thedoſium orientis imperatorem, metueret. Valentinianus autem Iuſtinæ matri ſuæ adhærens, Arrii dogma tum ſequebatur, & Clemens catholicus erat. Cùm igitur legatum pacis cauſa à Valentiniano ad ſe miſsum demitteret, Clemẽs, ſi Diis placet, religione motus, legatũ ex longinquo ſubſequitur, Alpes Cottias tranſcendit, Aquileiam capit, Italiam cùm Africa recipit. Valentinianus Theſsalonicam fugit, & Theodoſium orientis tum Auguſtum ſuppetias rogat. Theodoſius cùm Gallam Valentiniani ſororem haberet conjugem, & à patre ejuſdem accepiſset imperium, ſine mora & cunctatione Theſſalonicam venit, Valentinianum quidem objurgat, quòd ſectam Arrii tot jam conciliis damnatam coleret, deinde ad catholicam fidem inclinatum conſolatur, & bono eſse animo jubet. Et ſtatim militię ducibus conſtitutis, tripertito exercitu in Maximum vadit: qui jam etiam in Pannonia aliquot urbes ceperat & ulteriora ſperabat. Valentinianum in Italiam redire per Ionium ſinum jubet. Itaqne Theodoſius bis cum Maximo in Pannonia congreſsus, bis eundem prælio vincit: fugientemque Aquileiæ mænibus cōcludit, & tanta acrimonia oppugnat, ut miles obſeſsus ea territus Maximum ſpoliatum regiis inſignibus & vinctum ad Theodoſium perducetet: perductum *AC. 387. Clemens Maximus Italia fugat Valentinianum imp.*

ductum verò, miles Theodoſii tertio abAquileia lapide, capite truncaret. Ea re comperta Andregatius homo immanis audaciæ, qui Gratianum juſsu Maximi occiderat & Valentiniano per Ionium naviganti claſse imminebat, ut pœnas ſcelerum effugiat, in mare ſe immergit. Sic Tyrannus & adminiſter ejus mala morte intereunt, anno 388. ſeptimo Calend. Septemb.

388. *Franci Rhenum tranſgreſſi inferiorem Germaniam vexant.*

Dum Maximus Aquileiæ obſidetur, Franci Genoboldo Marcomere & Sunnone ducibus, Rheno ſuperato in Germaniam inferiorem invadunt & plurimis cæſis fertiles pagos depopulantur, et Coloniæ Agrippinæ terrorem incutiunt. Quod ubi Nannienus et Quintinus militiæ magiſtri, quibus Maximus Victoris filii pueritiã et Galliarum defenſionem commiſerat, audiunt, ſtatim cum exercitu Agrippinam accurrunt: pleroſque Francorum circa Carbonariam ſilvam reſtitantes occidunt: Rhenum tranſgreſsos cum præda Quintinus perſequitur, ſed inſidiis eorum pęne circumventus cum exercitu periclitatur, quamplurimis præfectorum amiſsis, Nannienus cum ſuis Treviros revertitur incolumis. Maximo deinde uti diximus interempto: Valentinianus Auguſtus Arbogaſtem Francum militiæ magiſtrum in Galliam mittit: qui primo impetu Victorē, Maximi filium fundit, capit et occidit. Cùm autem Franci anno ſequenti iterum in Gal-
389. liam contenderent, Arbogaſtes ad eos progreſsus, pacem facit, et à Marcomere et Sunnone Francorum proregulis obſides accipit, quos ſecum Treviros deportat.

*Arbogaſtes militiæ magiſter, occidit Valentinianum.*

Anno 392. Italiam cogitanti Valentiniano, ut eam ab incurſione Barbarorum vindicaret, Arbogaſtes comes & militiæ magiſter obſtat, eo quòd ipſe in Gallia plus quàm in Italia poſset. Quare Valentinianus offenſus Viennam concedit et Arbogaſtem abdicare molitur: Ibi Arbogaſtes ut ſe ulciſceretur, eunuchos in Valētinianum præmiis propoſitis inſtigat, ut ipſum interficiant, Eunuchi Valenti-

lentinianum dominum ſuum ſtrangulatum in cubiculo ſuſpendunt, quaſi ipſe ſibi mortis auctor extitiſset. Arbogaſtes imperium arripere ob barbariem atque impietatem non audet, Eugenium quendam ſufficit: qui homo paganus a ludo literario ad caſtrenſem magiſterii dignitatem ab Auguſto fuerat promotus. Is exercitu ad ſe traducto potens, omnia ex conſilio Arbogaſtæ agit, Galliam & Germaniam terrore complet, & iis à tergo pacatis Italiam continenter adjungit: ſacra pagana refert, aram victoriæ conſtituit, quam à Diis ſuis adverſus Theodoſium Auguſtum ſibi promittit. Theodoſius Imperator horum certior factus, cùm copiis non æquè eſſet inſtructus, omnem ſpem victoriæ in Chriſto collocat, precibus magis quàm armis confidit: Conſtantinopoli in Pannoniam & inde per Alpes Iulias in Italiam deſcendit, & circa Aquileiam occurrentem Engenium divinitus vincit, capit ac decollari facit ventis ac tempeſtatibus pro ipſo in hoſtem pugnantibus. Arbogaſtes fugiens, tertio poſt prælium die ſe ipſe conficit.

*Eugenius Tyrannus Galliam occupat & Italiam.*

Tyrannis hoc modo extinctis Theodoſius utrũq; imperiũ obtinet anno 394. Sed anni ſequentis die decimo ſexto Calend. februarii è vita migrat, aqua inter cutem conſumptus, cùm imperaſſet annos ſedecim & dies duos. Cum eo robur & dignitas inclinare cœpit imperii, cum liberi ejus ob ætatem hoſtiumq; barbarorum multitudinẽ oneribus imperii nec animis nec viribus pares eſſent: & tutores ipſorum in imperium perfidia graſſarentur. Arcadio filio natu majori orientem dederat Theodoſius, eique Ruffinum tutorem adjunxerat. Honorio autem occidentem commiſerat præfeceratque ei Stiliconem: viros quidem illuſtres atque egregios, ſi in fide perſtitiſſent. Dum Theodoſii Imperatoris corpus Mediolano Conſtantinopolim transfertur, Hunni atque Gothi imperium invadunt. Hunni ab ultima Meotide palude ex-

*Theodoſius. Engenio et Arbogaſte Victis ſolus impp. 394.*

*Hunni atque Gothi imperium invadunt.*

395 citi, per Armeniam irrumpunt in Aſiam minorem, Antiochiam obſident, vaſtant Eccleſias & ſui timorem omnibus incutiunt: Gothi Duce Alarico Thraciam occupant: Græciam & Peloponneſum vaſtant, eáque omnia inſtinctu Ruffini præfecti prætorio, qui ad imperium orientis aſpirabat. Succurrit Stilico cum exercitu, ſed conſilio & arte Ruffini impeditur, quò minus cum hoſte confligat. Retrocedit igitur & parte copiarum miſſa Conſtantinopolim, in Italiam redit. Exercitus orientis, Ruffini proditionem odoratus, ipſum ulciſcitur, & coram imperatore Arcadio mille vulneribus confectum in fruſta conſcindit: Idq́; hujus anni 395. die viceſimo ſeptimo Novembris, cùm octavo ejuſdē menſis Theodoſii cadaver Conſtātinopolim fuiſſet advectum. Intereà tamen nec Hunni Aſiâ nec Gothi Thracia depelluntur.

*Ruffinus tutor Arcadij Imperatoris occiditur ab exercitu.*

Circa hæc tempora Martinus Epiſcopus Thuronenſis Chriſtianę religionis propugnator inſignis, die Dominico, undecimo novembris è vita migraſſe dicitur, anno ætatis ſuæ octuageſimo primo, Epiſcopatus viceſimo ſexto, de quo omnes conſentiunt. de anno autem mortis ejus auctores inter ſe diſcrepant. Aliqui enim ponunt annum Chriſti 395. alii 400. inducti litera dominicali G. quæ undecimo Novembris, in Calendario eſt affixa & illis annis pro dominicali competit, alii verò mortis annum referunt ad Chriſti 402 cujus litera domicalis eſt E, quæ nullum alium dominicum diem undecimum in faſtis occupat quàm undecimum Maii, qui Mamerto Epiſcopo illic eſt dicatus. Prioris ſententiæ Ioſephus Scaliger & Iohannes Lucidus ex relatione Gregorii Thuronenſis ſunt auctores: alterius Proſper Aquitanus & Sulpitius Severus, qui ab ætate Martini propius abſunt. Horum ſententia videtur eſſe verior quandoquidem cum morte Clodovei Franciæ regis ejus nominis primi congruit, qui anno 112. poſt mortui obitum è vivis exceſsiſſe

dicitur

dicitur: anno nimirum Chriſti 514. ut omnes chronologi uno ore affirmant. Anni enim 112. ablati ab annis 514. relinqunt 402. ut numeranti manifeſtum eſt. Quod ideò hic adſcribo, ut aliquid lucis hiſtoriæ Francorum infundam, qui à morte Martini regum ſuorum natales plerúmque computare ſolent. Carolus verò Sigonius ſcribit Martinum Thuronenſem & Ambroſium Mediolanenſem Epiſcopos eodem anno nempe 397 eſſe mortuos. Quod tamen Sigebertus Gemblacenſis refutat, qui Martino annum 402. & Ambroſio 403, emortualem facit. Doctorum eſto judicium: mihi indicaſſe ſufficit. Multa hujuſcemodi ambigua in annalibus occurrunt, de quibus ſine veterũ ſcriptis rectè judicare non poſſumus: quibus cùm deſtituamur, proximum eſt ut conjecturis rem ſcrutemur: iiſque eo uſque obtemperemus, donec aliquid inveniatur certius, quod veritatem aperiat & demonſtret. 396

*Admonitio ad lectorem de tempore Udolphi Haronis.*

Hoc loco monendus etiam eſt lector in vulgatis Friſiorum annalibus ſcribi Udolphum Haronem Ducem Friſiæ imperaſſe annos triginta tres, obiiſſe anno Chriſti 396. cùm vixiſſet annos nonaginta quatuor. Hanc narrationem, cùm ſibi ipſi repugnet, emendandam exiſtimo, ut ſynchroniſmus aliorum principum ſibi per omnia conveniat. Uſque ad annum 392 temporum ſeries eſt concinna atque conſequens: Inde verò temerè exorbitat. Nam ſi Udolphus, uti ſcribitur, natus eſt anno Chriſti 342 & vixit annos quatuor & nonaginta, equidem anno non 396 ſed 436 fuerit mortuus; quod & ego credo & ſequendum probo ut regum domeſticorum tẽpora cum externis rectè congruant. Quãvis igitur annales de rebus geſtis Udolphi Haronis his temporibus ſilentium agant, ego tamen ipſum pro ingenio ſuo otioſum fuiſſe non exiſtimo, etiamſi pacem habuiſſe cum vicinis non temerè quis aſſerat. Nam circa annum Chriſti quadringenteſi-

mum, mille ducenti Friſii cum aliqua manu Gothorũ non
400. *Friſii cum Gothis in Helvetiis conſidunt.* inſtrenua, Rheno, Suitzero & Vadiſlo ducibus Rhenum imperii Romani limitem trajicere contendunt ut in Gallia novas ſedes ponant: ſed à Francis ac Romanis trajectu prohibentur. Itaque ripam fluminis ſecuti verſus Alpium juga iter inſtituunt ac tandem in Helvetiis conſidunt. Ex horum progenie tractu temporis pagus Suyts cum latè patente territorio ad poſteritatem pervenit: qui demum in eam crevit potentiam atque magnitudinem, ut ex eo totus Helvetiorum populus vulgo nunc Suitzeri appellentur.

*Gothi Pannonias & Italiam Duce Alarico occupant.* Eodem anno Gothi ducente Rege Alarico Pannonias occupant, & ſequenti, de invadenda Italia & urbe Roma occupanda vel diripienda conſilia capiunt. Itaque Alaricus nihil moratus Tridentinum ſaltum mox deſcendens 14. ſeptembris obvia quæque alpina oppida ſibi adjungit & in poteſtatem redigit: ſed ſtudio ac induſtria Stiliconis ad Pollentiam vincitur. Honorius occidentis imperator ante quinquennium duxerat Mariam Stiliconis filiam uxorem, annos tum natus quatuordecim: ea re lætus Stilico, & hac adverſus Gothum victoria inſigni confirmatus, tutor ac ſocer domini ſui, cùm exercitum in poteſtate haberet & pupilli ætatem contemneret: cœpit & ipſe Ruffinum agere, animumque ad imperii gloriam adjicere, ut eam in ſuum genus averteret.

406. *Radegaiſus Scytha vincitur à Stilicone.* Itaque cùm & Radegaiſus Scyta ducentis millibus Gothorum Italiam ſubitò inundaſſet, & in montes Feſulanos coactus fame & rerum omniũ inopia divinitus eſſet confectus: Stilico ratus in turbido conſiſtere omnem fortunam ſuam, Radagaiſo cæſo, cæpit Alaricum, ejuſdem nationis regem, ſed jam Chriſtianum occultè retentare, fovere atque alere, deinde Vandalos, Alanos, Suevos, ac Burgundiones invitare, ut in Gallias trãſeant: quod invitis & fruſtrà obnitentibus Francis ultimo decembris

hujus

406.

ſhujus anni 406, die, iſti populi etiam dederunt effectum: qui Rhenum tranſgreſsi indignis univerſam Galliam affecere calamitatibus. Urbes enim Argentoratum, Moguntiam, Rhemos, Tholoſam, Agrippinam, Treviros multaſque alias funditus evertêre & multa Chriſtianorum millia crudeliter occidêre. Hac Barbarorum colluvie ſic in Gallia furente, iterum collectis viribus irrumpit in Italiam Gothorum Rex Alaricus: quem cùm Stilico ſtipendiis aluiſſe argueretur & convictus eſſet, ut proditor ſui pupilli atque generi viceſimo tertio Auguſti, anno 407. capite truncatur: deinde & filius ejus Eucherius cum matre Serena, Theodoſii imperatoris quondam ſorore, eadem pæna afficitur: quandoquidem ejuſdem proditionis rei atque conſcii deprehendebantur. Sic Deus in Stiliconem ejuſq; filium & uxorem juſto judicio effudit, quod ipſe in Honorium malignè coxerat, fruſtrà ſperans tot mortalium cæde atque ſanguine ſe poſſe filio glorioſam imperii Rom. tingere & inebriare purpuram. Stilicone ſublato Alaricus Romam obſidet. Obſeſsi cives peſte & fame conflictati, pacem redimunt auro, argento, veſtibus & templorum ornamentis: ſed ad tempus liberati, cùm Honorius imp. fidem non ſervaret, iterum obſidentur atque tertio tandemque viceſima quarta Auguſti, proditione capiuntur, ac bonis exuuntur: Vita iis ſervata qui ad templa ſanctorum confugerant. Atque hæc quidem tunc à Gothis in Italia acta ſunt. At Vandali, Alani, atque Suevi à Francis Gallia depulſi in Hiſpanias contendunt: 409. Ex his Vandali Bæticam ſortiuntur, Alani atque Suevi Luſitaniam & Carthaginem. Sed & Britanni eodem tempore Francorum metu arma induunt, & Armoricæ civitates expulſis Romanorum magiſtratibus ſe in libertatem vendicant. At Burgundiones, qui unà cum Vandalis Rhenum tranſierant, populus Germaniæ antiquus, ſic appellatus quòd Octaviano Auguſto ac Ti-

*Vandali Alani Suevi & Burgundiones Galliam affligunt.*

*Stilico Vandalus tutor & ſocer Honorij Imperatoris capite plectitur.*

*Burgundiones ſociis in Hiſpaniam pulſis in Gallia remanent.*

Burgundiones qui

berio imperantibus, per caſtra fuerat diſtributus, quæ illi burgos nominabant, omiſsis Vandalis cæteriſque ſociis, in Gallia ad Rhodanum amnem ſedes figunt, quas poſteà eis Honorius imperator confirmat & in hodiernum uſq; diem retinent.

410. Eodem hoc anno 409. mortuus eſt Yglo Laſcon anno ætatis ſuæ 91. cùm Angriam Toparcha adminiſtraſſet annos 65. venit autem jam ſenio confectus Dockenburgũ, ut ante obitum cum domino ſuo præſente præſens, de rebus ad ditionem ſibi commiſſam pertinentibus, pleniùs conferret. Itaque in Dockenburgo mortuus & honorificentiſsimè ſepultus eſt. Ejuſque mortem non modò Dux ipſe, verùm & univerſa provincia ſupra modum luxit.

Franci autem conturbati ægrè ferebant Burgundiones populum modicarum virium, citra ullum ſuum periculum, quietas in Gallia ſedes obtinere, ſe verò fortitudine & belli laude conſpicuos toties repulſam paſſos, & tamdiu apud paludes atque lacus Germaniæ ſine fructu deſidere, proinde & ipſi re deliberata in Galliam tranſire iterumque fortunam tentare conſtituunt. Collecto igitur repente exercitu anno 413. Marcomere Duce Rhenum tranſmittunt & præter cætera, quæ cæperant oppida, etiam Auguſtam Trevirorum capiunt, captamque diripiunt, & incendio cremant, tantáque clade cives afficiunt, ut omnes propemodum gladiis aut flammis hauſti, aut fame ac nuditate perempti interirent, eorumque cadavera utriuſque ſexus & ætatis nuda atque lacera canibus avibusque dilaniata, miſerum ubique in viis ſpectaculum exhiberent, & manſiſſent tum temporis in Galliæ hac parte Franci, niſi Caſtinus domeſticorum Comes ab Honorio Auguſto miſſus, eos multis prælis proſperè factis, oppida occupata relinquere & trans Rhenum ſe referre coegiſſet. Regem, Franci hoc tempore habuiſſe

*413. Franci in Galliam contendũt ſed repelluntur.*

non

non videntur, ſed duces tantùm, quos ſubregulos & regales vocabant. Ut autem cæteris nationibus pares eſſent atque ſimiles, mortuo Marcomere Duce, ejus filium Faramundum anno Chriſt 419. die Iulii menſis 24. Viceburgi, in conventu ordinum celeberrimo primum ſuum creaverunt regem, eumque ſcuto ſublatum, more priſco, magna cæremonia, ut regem venerati ſunt. Quo facto Faramundus confeſtim, ut populum bello fortem, ſed pace inconditum, bene gubernaret, legem condere decrevit, idque conſilio potiſsimùm quatuor procerum, qui ex cæteris Francorum ſelecti, Viſogaſtus, Bodogaſtus, Salegaſtus & Videgaſtus fuere nominati. Hi quatuor viri in villis Saleheim, Bodohaim & Widohaim ultra Rhenum ſitis, tres convētus celebrarunt, & in iis legis capita quàm plurima conſtituerunt, ne populus Francorum qui omnes vicinos ſuos fortitudine ſuperabat, eiſdem juſtitia eſſet inferior. Lex iſta dicta fuit Salica, ſed unde ſic dicta fuerit apud multos eſt ambiguum. Alii enim à Sala flumine, ubi Franci conſederunt: alii à Saliis populis circa Friſiam habitantibus: alii à Sale quod ea lex rempublicā conſervet, haud aliter quàm Sal carnes, quæ illo confricantur, dictam volunt. Sed cùm & terra in ea lege appelletur ſalica, facile adducor ut credam, non à flumine, non à populo, nec à ſale, ſed à villis illis in quibus condita eſt primitus, ſuum ſortitam eſſe nomen, eo quòd illæ villæ curiæ eſſent & palatia procerum, quæ idiotiſmo Salę dicebantur, & poſteà à barbaricis ſcriptoribus curtes eodem ſenſu appellatæ fuerunt. Nam cùm nobiles ac potentes viri terram aliquam bello cepiſsent, ſedem ſuam in ejus parte principali aliqua collocabant, & ex ea colonis reliquam laborandam committebant: qui coloni glebæ adſcripti, quot diebus aut hebdomadis, aut etiam mēſibus operas ſuas curiæ, ubi dominus habitabat (quem Seniorem appellabant) ligone, equo, bigis vel quadrigis

*419. Faramundus primus Rex Francorum.*

*Lex Salica unde dicta?* inepte

aut

aut etiam pedibus præſtabant, prout primùm lex colendi dicta fuerat. Coloni quoque illi ſingulis trimeſtribus vel quadrimeſtribus, vel demum ſemeſtribus aut anno vertente, certam pecuniolam cenſus nomine inferebant, quin & aliquando decimas omnium fructuum, tam humentium, quàm aridorum pendebant: qui à domino ejici non poterant, nec aliò invito domino migrare aut fundos alii cedere. Dicebantur autem vulgo apud Saxones Laſſen, apud Sicābros Laten, apud Friſios Liten ejuſdem etymi vocabulis, quòd nimirū primo capti & poſtcà ex cōmiſeratione in agris relicti eſſent, nec ejecti aut venditi.

*Läßen, laten & lyten ſunt coloni adſcriptitij.*

Ager aūt in quo dominus agebat, dicebatur Hoff, Hoeve, Sale & Saelſtadt, quaſi dicas aulam, cohortē aut ſedem: colonorū verò agri vocabantur koten, quaſi articuli ab aliis fundis dependentes. Hinc à viris illis prudentibus lege ſancitū fuit: *Vt terra Salica nulla portio hæreditatis Mulieri veniat: ſed ad virilem ſexum tota terra hæreditas perveniat*: Quemadmodū ipſa lex diſertè loquitur, quia non aliter genus ſuum, niſi bonis conſervatis, ſervari poſſe arbitrabantur, & mulieres ad gubernationem illorum, ut & ad jus dicendum & militandum, quod in Salis hoc eſt fundis principalibus, ſive curiis & ex iis præſtari ſolebat, parum idoneas putabant. Curiæ enim nobilium totius terræ principi, coloni autem curiis parebant: cujus rei exempla etiam hodieque in Germania exſtant quamplurima, ubi in curiis atque aulis nobilium idem jus ſervatur, quod olim de quo dixi. Atque hæc quidem fuit lex Francorum Salica à Faramundo condita, qui regnavit annos ſeptem.

*426. Clodio capillatus ſecundus Rex Francorum.*

Succeſſit illi filius clodio cognomento capillatus, qui anno 426. Dusburgi in confinio Thoringorum inter Angram & Roram amnes & ad Rhenum fluvium regni ſui ſedem habebat, & anno proximo cum innumerabili exercitu Rhenum trāſgreſſus, complures in belgica urbes cepit, & uſque ad Somnam amnem,

vaſtan-

vaſtando pervenit. Cùm autem anno ſequenti Franci in Helenæ vico, quem nunc Hedenam vocant, ad Cancum fluvium nuptias cujuſdam captivæ virginis celebrarent & excubiis omiſsis diſsolutius agerent; ab Aetio Romanæ militię in Belgica magiſtro, ex improviſo obruti ac diſsipati ita fuerunt, ut Clodio retrocedere & Dusburgum reverti ſit coactus. Præerat tum imperio occidentis Valentinianus, ejus nominis tertius, Conſtantini & Placidiæ filius, annumque agebat ſui imperii quartum. Clodione repulſo, Burgundiones retinebant ab Aetio ſecurè, omnes terras Sequanorum, Heduorum, Matiſconenſium Cabillinenſium, Veſontionum & quidquid à Rheno in Rodanum uſque terrarum extendebat. Gothi ex Hiſpania reduces beneficio Honorii imperatoris Aquitaniam tenebant, omnemque regionem, quæ inter Rodanum & Ligerim fluvios in montes Pyrenæos deſinebat. Reſtabat minima Galliarum pars, quæ Rheno, Moſella & Ligeri continebatur, valida quidem à viris atque oppidis, ſed quæ quotidie hoſtem Francum haberet vicinum cujus impetum ſingulis quaſi momentis expectare cogebatur. Qui res eorum temporum ſcriptis commendarunt, de Francis referunt, eos fuiſſe flavâ, & in frontem retractâ cæſarie, vultu & occipite raſis, proceris corporibus, geſsiſſe veſtes ad formam corporis aſtrictas, latos baltheos & inter arma bipennes, clypeos atque haſtas. Et quoniam Chriſto nundum initiati erant, eoſdem affirmant pari cupiditate vitia & virtutes amplexos: itaq; perjurium ſermonis genus, non criminis arbitratos, nec mentiri apud illos fuiſſe turpe: fortitudinis laude præclaros, præcipuè hoſpitalitatem exercuiſſe. Dum igitur Franci viſo Burgundionum ſucceſſu in Galliam totis animis intenti ſunt, & omiſſa Germania Rhenum tranſmittere ſatagunt: Friſii ſub duce ſuo Vdolpho Harone pacem agunt, adeoque miteſcunt, ut quamvis pagani eſ-

*Valentinianus tertius.*

*Status Galliæ ejus temporis.*

*Deſcriptio Franci hominis*

batur, & Weſtphalos quoque ſua ditione comprehendebat. Ducis tamen titulum non prius depoſuit Richol-
436. *Vdolphus Haron dux Friſiæ ſeptimus moritur. Regnum inchoat Richoldus* dus, quàm populus in hoc conſentiret, & ſocer ejus Vdolphus in fata conceſsiſset, quod factum eſt anno 436. quo anno mortuus Vdolphus Haron Dux Friſiæ ſeptimus, ætatis ſuæ nonageſimo quarto. Ex eo tempore Richoldus Vffo Regis nomen aſſumpſit, & regnavit annos ſexaginta: qui ut erat bellicoſus; ita etiam initio regni ſui bello appetitus fuit. Anno enim Chriſti 442 Normanni eru-
442. ptione in Friſiam facta miſerrimè ejus incolas afflixerunt, adeò quidem ut jam pænè animum deſponderent ob ca-
*Normanni Friſiam vexant.* lamitates intolerabiles, quas ab iis accipiebant. Nam barbari illi homines, cùm Deum ignorarent & ex arbitrio viverent, ſpoliare proximos & præcipuè maritimos, pro ludo habebant, quandoquidem ex piratica & præda vitam ſuſtentabant. Quod ubi Richoldus Rex ſenſit, ut erat animo intrepido, ſuis mox ad arma convocatis, expeditionem movit illiſque circa Granebergam in tranſlavicana Friſia obviam factus fortiter reſtitit. Sed cùm exercitus ipſius ex itinere eſset defatigatus: Normanni verò prædis actis incumberent, atque interquieſcerent; Richoldus ab illis ita eſt exceptus, ut & ſuorum trecentos amitteret & ipſe propè cum toto exercitu deletus fuiſſet, niſi nox ſuperveniens prælium diremiſset. Hac inſigni clade accepta, Richoldus tamen quieſcere non potuit: quin poſtridie vindictæ intentus, ſuos luculenta oratione confirmatos ad pugnandum cum hoſtibus iterum excitaret: Diluculo enim vix emicante, cùm exemplis majorum ipſos ad fortitudinem animaſſet, nullo ſigno dato in hoſtilem exercitum, nihil minus exſpectantem eduxit; cuméque ita preſsit ut in loco prælii nongenti ex illo confeſtim corruerint, & reliqui diſperſi ab incolis interfecti ſint: ſic ut ſcire non potuerit an unus ex toto illo numero evaſerit. Hac inſigni victoria potitus, ſpoliatis

ſiatis ac ſepultis Normannorum cadaveribus, pro concione milites ob rem benè geſtam magnificè laudavit & unumquemque pro dignitate & merito remuneratum ad ſua demiſit.

Biennio poſt hanc victoriam, anno nempe Chriſti 444, natus eſt Richoldo Regi ex uxore Odilbalda filius nomine Odilbaldus: quo is avum maternum referebat. Hunc puerum, cùm bonæ indolis videretur, ſtatim à prima infantia egregiis præceptoribus tradidit, ac in ſpem regni literis humanioribus ac belli artibus, ita imbui curavit, ut facilè omnes ætatis ſuæ æquales, virtute ſuperaret, ſicut poſteà vir factus rebus ipſis prolixè demõſtravit. 444. *Odilbaldus Richoldo naſcitur.*

Circa hæc tempora Gallia mirum in modum ab exteris nationibus erat occupata, ut vix pro tertia ejus parte retinenda Romani laborarent: cui rei omnes vires undequaque in unum contrahebant. Imminebat quoque ejus cervicibus Germaniâ evaſtatâ ille flagellum Dei Attila, qui omnibus copiis afflictæ Galliæ extrema minabatur. Ducebat autem is in ſuo exercitu Hunnos, Aſtrogothos, Gepidas, Quados, Marcomannos, Herulos, Turcilingos, Saxones & Thuringos ad quingenta hominum millia. Britanni quoque à Romanis, quorum præſidiis hactenus tuti fuerant, deſerti, à Pictis atque Scotis populis in eadem inſula ad ſeptentrionem habitantibus, ita premebantur, ut nuſquam in toto Albio ſecuri eſſent. Proinde regem novum ex ſuis eligere, qui rebus perditis medicinam adhibeat ab ultima deſperatione, compelluntur. *Gallia in tres populos diviſa quodammodo in prædã.* Britones a Pictis et Scotis vexati

Erant autem Britanni jam anteà dilectibus Romanorũ exhauſti, & alioqui per ſe imbelles & mollitie enervati. Hengiſtus autem & Horſus Udolphi Haronis Friſiorum ducis filii & reginæ Odilbaldæ fratres, etſi jamdudum in Friſia Eidorana & Anglia illi adjuncta ſedes haberent, Hengiſtus etiam Vetgiſtã filiam Saxoniæ Satrapæ duxiſſet uxorem & ex ea liberos haberet: attamen pro more ſuo

& co-

2. *Odilbaldus filius illi mox ſuccedit, regnat annos 31, moritur anno Chriſti 527.*

3. *Richoldus hujus filius ejus nominis ſecundus illi mox ſuccedit, regnat annos 43, moritur anno Chriſti 570.*

4. *Beroaldus filius ei mox ſufficitur & utriuſq; Friſiæ regna conjungit, regnat annos 60, cæditur in pugna à Clotario Rege Francorum anno Chriſti 630.*

5. *Adgillus filius patri mox à victore Clotario ſufficitur, regnat annos 49, moritur anno Chriſti 679.*

6. *Radbodus primus filius patri ſtatim ſuccedit, regnat annos 40, moritur anno Chriſti 719.*

7. *Adgillus ſecundus filius patri ſurrogatur, regnat annos 18, moritur anno Chriſti 737.*

8. *Gundobaldus filius patri ſuccedit, regnat annos 12, moritur anno Chriſti 749.*

9. *Radbodus hujus frater Friſiæ rex nonus atq; ultimus illi ſuffectus eſt, regnat annos 26, atque anno 775 à Carolo magno in Daniam pellitur: Friſia deinceps à præfectis gubernatur.*

Summa annorum quibus in Friſia Reges præfuerunt 343.

# Annalium Friſicorum

## LIBER TERTIVS,

## *Qui de Regibus inſcribitur.*

### CAP. I.

### *De Richoldo Vffone Friſiorum rege primo.*

ANNO igitur quadringẽteſimo trigeſi- 432.
moſecundo Richoldus Uffo ſocero ſuo Udolpho Haroni cùm abdicaſſet, communi Ordinum ſuffragio ſuffectus eſt. Hic ducis titulum omiſit & Rex Friſiorũ audire voluit. Quod tametſi ex animi elatione atque ſuperbia factum videri poſſet, pro temporis tamen conditione in meliorem partem accipi debet: præſertim cùm conſtet ipſum erga ſubditos ſemper fuiſſe clementiſsimum. Fuit ipſe quidem vir fortis & animoſus, atque adeò etiam bello gerendo fortunatus: verùm ita demiſſus atque affabilis, ut vel cum minimo ſuorum ſermones cæderet. Cùm verò ſuam ditionem ad eum modum extendiſſet, ut regni ſpeciem cum vicinis collata, non abſurdam præberet, non tam ex faſtu atque ambitione Diadema induit, quàm ut majorem ſibi auctoritatem apud exteros aſſereret, qui etiam minori ex cauſa jam regum nomina cum laude portabant. Videbat Francos à ſe aut ſuis oriundos regum titulis decorari, qui tamen adhuc de certa fide eſſent ambigui. Sic & Vandalos, Suevos, Burgundiones & quicquid ubiq; nationum vagabatur à Regibus duci ac gubernari. Sibique eſſe plus terrarum, quàm ipſi aliquando ſperare audeant. Friſia enim tum orientalis cui imperabat à Flevo uſque in Eidoram Daniæ fluvium extende-

Friſiæ termini

ſent,& Idolorũ culturæ dediti quatuor tamen in ſuis terris paſsi ſint ædificari monaſteria,ubi Chriſtiani pietatem
429. & cæremonias ſuas exercerent: Quorum unum dicitur conſtructũ in Aedverdia:alterum in Blockdico: tertium in Vinckelia pagis,quibus quartũ addunt virginum monialium ad preces regis & reginæ Daniæ, ædificatum anno quadringenteſimo viceſimo nono. Anno autem proximo divus Auguſtinus Epiſcopus Hipponenſis & Eccleſiæ Chriſti adverſus hæreſes ſtrenuus defenſor, ne urbis ſuæ, quæ à Vandalis obſidebatur, ruinam cerneret, ex hac valle lachrimarum migravit ad dominum 28 Auguſti, cùm vixiſset annos ſeptuaginta ſex: Ipſum decennio fere præceſsit divus Hieronymus, de Eccleſia Chriſti ſcriptis ſuis optimè meritus: ætatis enim ſuæ anno 91,Chriſti verò 420,die 30 Septembris in Bethlehemo Iudæ vitam ſuam beato fine concluſit. Sic quatuor Eccleſiæ Chriſtianæ ſanctiſsimi doctores Martinus, Ambroſius, Hieronymus & Auguſtinus brevi temporum intervallo inter ſe diſtant: omnes vita grandævi & in unius ſeculi quadrantem morte conjecti, vitæ ſuæ conſtantiam poſteris exemplo & imitandam reliquerunt.

*Quatuor monaſteria in Friſia ædificata.*

1 Adoardec in Gron: 2 Blokdyk 3 Winkel. 4 moni.

Anno Chriſti 432 Dux Friſiæ Vdolphus Haron annum ætatis ſuæ agens nonageſimum, ut ſe adminiſtrationis moleſtiâ exoneraret, ordinum Friſiæ conſenſu Richoldum Vffonem, Odilbaldæ filiæ ſuæ maritum ſibi ſucceſsorem conſtituit,Hengiſto & Horſo filiis ob ſortem hæreditate excluſis. Sed & filii in Friſia Eidorana illo tempore florentes Anglorum ſocietate & matrimoniis innexi,parum aut nihil de hac ſua patria erant ſolliciti. Richoldus autem Vffo ideo placuit, quòd inter plurimos aulæ proceres virtute præſtantes, ille & corpore & animo & belli fortuna longiſsimè cæteros antecelleret. Sed & Vdolphus Haron ita ſe in imperio geſserat,ut oẽs finitimi ipſum revererẽtur,nec quiſquam inveni.

*Vdolphus Haron ſe imperio abdicat.*

inveniretur qui ſe illi amplius opponere auderet. Cùm autem & Richoldus ſpectatæ virtutis atque auctoritatis apud omnes eſset, haud difficulter à ſubditis impetravit, ut dignus qui loco ſoceri imperaret, reputaretur.

*Finis libri ſecundi.*

## Argumentum libri tertii Annalium Friſicorum.

*Tertius annalium Friſicorum liber Reges comprehendit, qui numero & ordine novem fuerunt: Qui more gentiũ vicinarum orti, cùm Friſii Cauchos atque VVeſtphalos occupaſſent & ditionem ſuam à Flevo Rheni brachio tertio uſq; in Eidoram Daniæ fluvium extendiſſent. Hi enim Regum primis temporibus termini Friſiæ fuerunt. Creabantur autem à populo eodem modo, quo Duces. Enimverò primus Richoldus Uffo Ducis nomen mutavit in Regẽ, eò quod cerneret pleraſq; nationes, quæ tum undequaque prodibant, & præcipuè Francos ſibi reges uſurpare: idque ex antiqua conſuetudine, quæ initio rerum apud omnes gentes atque populos in uſu fuit, ut penes unum eſſet imperium. Sanè quemadmodum Regia Majeſtas eſt ſuprema inter omnes magiſtratus dignitas, nec niſi rebus ſummis adhibetur: ita juſtè Friſii ducis titulum in regnum commutarunt, quando ipſorum reſpublica ad ſummum pervenerat & quaſi in cacumine conſiſtebat. Neque enim amplius creſcere potuit, ſed novenario numero completo, à Francis, quos pepererat, finem accepit, ut in contextu hiſtoriæ conſiderandum venit.*

1. *Richoldus Uffo Udolpho Haroni Friſiorum duci anno* 432 *ſuffectus ex populi conſenſu poſt ejus mortẽ anno* 436 *regis titulum primus aſſumit: regnat annos deinde* 60, *moritur anno Chriſti* 496.

& eorum temporum conſuetudine, domi deſidere non poterant: ſed mare Britannicum ingreſsi claſſe trium longarum navium, quas aliqui celoces, noſtrates verò cynlas appellant, illud piratica infeſtabant: Ducentes ſecum ex Friſiis, Anglis, Iutis ac Saxonibus non parvam manum, quæ & animi robore & corporis agilitate, nulli cæderet. In tanto igitur periculo conſtituti, cùm domi Britanni eſſent, commodum accidit, ut Hengiſtus & Horſus tres ſuas celoces Cantium Britanniæ oppidum appellerent, utque Britanniæ novus Rex Vortigernus, non procul ab illo loco Doroberniæ curiam ageret, de bello Pictis atque Scotis inferendo aut propulſando ſollicitus. Qui cùm illos appellentes cerneret, extemplo accedit interrogatq; quinam mortalium eſſent? unde venirent? & quid rerum in ſuo regno agere vellent? Hengiſto autem, qui tum præ cæteris eminebat, reſpondente ſe eſſe Friſios, honeſto loco domi natos ſorte ducta ex more patriam reliquiſſe, & duce Mercurio, quærere novas ſedes & fortunam meliorem, quam ſi regia munificentia obtinere queant, ſe viciſsim daturos operam, ut Regem ſui beneficii nunquam pæniteat: ſubjecit Rex; Equidem de veſtra perſuaſione, quam de diis gentium habetis, valde doleo, alioqui adventus veſter eſt mihi multo jucundiſsimus. Sunt enim mihi hoſtes duo infeſtiſsimi, quorum alterà circio, alter ab aquilone ingruit: qui licet ſæpius vallo & muro à reliquo meo regno ſeparati ſint, nunquam tamen feriantur, quominus omnia obſtantia turbinis in morem perrumpant atque deleant: His obſiſtere ſi poteritis dabo vobis ſtipendia virtuti veſtræ accommoda. Hengiſtus & Horſus his auditis mirum in modum gaviſi, cum gratiarum actione conditionem à Rege oblatam accipiunt: ſeque cum ſuis contra Pictos ac Scotos armis inſtructos adfore ſacramento dicunt. Nec longum à primo adventu morati forte fortuna in hoſtes incidunt, eoſque Deo dante pro-

*Hengiſtus & Horſus in Britanniam tendunt.*

Hengist the + Horse Frisian in Britanniam adventus 449

 Heng^t et Hors^t

te profligant & ad extremos ſedium ſuarum angulos redire compellunt. Hac adepta victoria Hengiſtus atque Horſus magnam ſibi laudem fidemque apud Britannos pepererunt. Factum hoc anno 449, ut venerabilis Beda Presbyter, hiſtoricus Britanniæ eſt auctor, & alioqui ex adventu Auguſtini monachi in Britanniam doceri poteſt, qui dicitur eò miſſus à pontifice Gregorio anno Chriſti 596, à primo adventu Hengiſti 147, qui ablati ab annis Chriſti relinquunt annum 449, ut calculus oſtendit. Ante biennium mortuo Clodione capillato Francorum rege ſecundo Merovæus natione Thuringus ſuccedit. Etenim Rex Clodio filium reliquerat Alberonem: ei teſtamento præfecerat tutorem Merovæum. Merovæus hac occaſione uſus ſe pro rege gerit; pupillum Alberonem à ſceptro excludit: attamen in ſilva carbonaria ſive Ardenna ſe occultantem, Brabantiæ viciniſque regionibus imperare patitur. Ab hoc Alberone orti poſteà Pipini & Carolingi extrita Merovæi ſtirpe, regnum in Francia obtinuerunt. Igitur Merovæus hoc anno 449, nullo impediente cum maximo Francorum exercitu Rhenum tranſit, & captis multis urbibus ad Axonam fluvium ſedes capit. Ab hoc reges Francorum Merovingi ſunt appellati, & initium regnandi in Galliis auſpicatum.

449. *Vincunt Scotos.*

*Merovæus Rex Francorũ tertius.*

Franci in Galliam transeunt.

Cùm Hengiſtus & Horſus Scothos irruentes Britanniâ rejeciſſent in regiones ſuas, Rex Vortigernus eos non modò laudavit, verùm etiam ampliſsimis muneribus donatos juſsit ut in Cantio ſedibus collocatis, pro defendenda Britannia diligenter in poſterum excubarent. Hengiſtus verò perſpecta regis facilitate cùm & ingenio & ætate valeret, facilè videbat, ſi hoſtem debellare vellet, ſibi majori præſidio, quàm vel ipſe vel rex haberet, eſſe opus. Re itaque cum ſuis deliberata, è patria & vicinis regionibus nova auxilia accerſere conſtituit: quæ oneribus militiæ ingraveſcentis ferendis eſſent. Regem orat,

*Hengiſtus nova auxilia è Friſia accerſit.*

quoniam ipſum civitate aliqua munita donare ob regni inſtitutum non poterat, ut ſibi poteſtatem condendæ arcis faciat, in qua cum ſua familia tutò habitare poſſet. Quod ubi rex conceſsit, Hengiſtus quoque mox effectum dedit. Arce pænè conſtructa adveniunt ex Friſia, Anglia, Saxonia, Iuthonia novæ copiæ navibus quadraginta tranſvectæ. His confirmatus Hengiſtus, Regis & Britannorum mollitia ac ſimplicitate invitatus, cœpit animo volvere, quomodo in loco jam capto perpetuū domicilium ac regnum ſibi comparet ac ſtabiliat. Itaque invitat regem, ut arcem quam conſtruxerat, pro ſua clementia inſpicere & milites qui recens advenerant recenſere velit, & convivio, quod pro rerum præſentium tenuitate paraverat, hilaris intereſſe. Annuit Vortigernus, horâ condictâ adeſt, numeros inſpicit, arcem perluſtrat, approbat omnia & fauſtis ominibus eadem proſequitur. cōvivio demum excipitur opiparo & largo. In fine convivii poculum adfertur grandius, quo externi Hoſpites pro more Friſiæ primùm ſolent excipi. Quæ illud ferebat virgo ſupra modum formoſa & regificè pro tempore exornata, Rovenna erat filia Hengiſti ducis unica. Ea poculum primoribus digitis tenens, regis Vortigerni advoluta genibus, ipſum invitat ad bibendum, dicens more patrio; *VVacht Heil*: Quod Rex cùm non intelligeret, ab aſtante interprete quæſivit, quid illa diceret, & quid ſibi eſſet reſpondendum? Cui interpres, Salutem (inquit) ut ex poculo exſpectes, rogat: & reſpōdendum ut & ipſa ſalutē ex poculo bibat per verbū: *drinckt Heil*, quod poſtquam à rege erat factum: virgo ſummis labris guſtato vino è terra ſurgit, & regi poculum tradit, ipſumque data dextera inſuper ſuaviatur. Quod ut à Rege clementer tunc eſt acceptum, ita poſteà per omnem Britanniam in conſuetudinem abiit, ut epotis cyathis dexteras jungant & ſe mutuò oſculentur. Hoc autem oſculum, quod

*Rowenna Hengiſti filia Vortigerno regi præbibit.*

Roven-

 Heng: et Horsy

Rovenna Vortigerno dedit, toti regno lætiferum fuit. Vortigernus enim continuò Rovennæ forma captus ac dementatus ipſam à patre Hengiſto uxorem petit, quamvis eſſet præter decorum Eccleſiæ: quoniam puella adhuc erat pagana & ipſe Chriſtianus audiebat. Enimverò oblatã conditionem re cum ſuis deliberata Hengiſtus non abnuit: confidens eo matrimonio contracto fore, ut ipſe primas à rege in Britannia obtineret: quemadmodum evenit. Nuptiis enim celebratis, Hengiſtus pro jure ſoceri agere, ſuos colere & promovere, Britannos premere & paulatim ſibi ad regni faſtigia gradum ſtruere: Vortigernus amore ebrius ocium agere, curam reipublicæ abjicere & omne onus regni in ſoceri humeros deponere. Britanni verò conſpecto Hengiſti novo exercitu, ejus conatibus ſe objicere & fidem habere ſuſpectam cœperunt. Hengiſtus enim cum Pictis & Scotis pace ad tempus inita, omnem extemplo movit lapidem, quo Britannos premeret, rueret & diſpergeret: qui cùm extrema paterentur, ipſa neceſsitate cogebantur, aut ad mortẽ, aut ad latebras, aut, quod erat proximum, ad arma. Populi autem illi, qui cum Hengiſto & Horſo in Britanniam deſcenderant, maximam partem erant Friſij, ex nova Friſia viciniſque regionibus Germaniæ littoralibus collecti: homines (inquã) valde audaces & ad quidvis patrandum animoſi. Beda presbyter in ſua Anglię hiſtoria Eccleſiaſtica lib. 1. cap. 15, ait eos veniſſe de tribus Germaniæ populis fortioribus, id eſt Saxonibus, Anglis, & Vitis. Quinto autem libro ejuſdem hiſtoriæ capite decimo affirmat illos fuiſſe Freſones, Ruginos, Danos, Hunnos, antiquos Saxones & Boructuarios. At Procopius illorum temporum pęnè æqualis, ſcribit libro quarto belli Gothici, recitante Camdeno, Britannorum inſulam tres numeroſiſsimas gentes incolere, quarum unicuique ſuus rex imperet, quæ nominentur Angli, Friſones & qui ejuſdem ſunt cum inſula cognomi-

*Vortigernus Rex Britanniæ ducit Hengiſti filiam Rovennam.*

*Angli Saxones et Vitæ Hengiſti ſocii.*

autoritas ad firmandam fictam

Hengist, et H.

nis, Britannos. Noſtrates verò Hengiſtum & Horſum Friſios Udolpho Harone Friſiorum duce natos aſſerunt duxiſſe ſecum ex ſua colonia ad Eidoram fluvium condita Friſios & vicinos eorum Anglos atque Saxones: ſimul uno nomine Saxones fuerint appellati, quòd Saxonum nomen ob militiam tum temporis eſſet celebrius. Friſiſios autem illos fuiſſe non tantùm hæc teſtimonia ex Beda, Procopio & domeſticis annalibus deprompta convincunt: ſed & illa præbibendi & oſculandi conſuetudo, quæ tota Friſica eſt, & nuſquam alibi quàm in Friſia primùm, & deinde in Anglia in uſu unquam fuit. Libet hic adſcribere D. Eraſmi Roterodami epiſtolam ad Fauſtum Andrelinum poetam laureatū de hac re ſcriptam ex Anglia: Sunt hic, inquit, nymphæ divinis vultibus, blandæ, faciles & quas tu tuis camœnis anteponas: Eſt prætereà mos nunquam ſatis laudatus; ſive quò venias omnium oſculis excipieris: ſive diſcedas aliquo, oſculis dimitteris: redis redduntur ſuavia: venitur ad te propinantur ſuavia, diſceditur abs te, dividuntur baſia, occurritur alicubi baſiatur affatim: denique quocumq; te moveas ſuaviorum plena ſunt omnia, hactenus Eraſmus. Huic oſculandi conſuetudini quæ par eſt apud Friſios, ſi addideris linguæ anglicanæ cum Friſonica conſonantiam velis nolis fateare neceſſe eſt, advenas illos, qui cum Hengiſto & Horſo primitus Britanniam occuparunt, maximam partem fuiſſe Friſones, qui ſub nomine Saxonum fuerunt adumbrati. Angili verò vel contractim Angli qui alteram partem inſularum Britanniæ ex Procopii ſententia faciunt, non fuêre Angri in mediterraneis Weſtphaliæ commorantes, ſed fuêre populi è regione Iuthiæ ſecundum Sliæ ſinum extenſi ad oceanum uſque Germanicum, qui hodieque Angelboeren vocati vicinos habent Suantzios non longè à Sleſuico poſiti. Igitur cùm Friſii ad occidentem, Angli ad orientem inter ſe pænè contigni & ambobus ad

*Friſii Hengiſti in Britanniam comites.*

Ubbo Emmius [illegible]

*Angli qui populus & ubi*

me-

 Heng: et Hors.

meridiem Saxones antiqui protexerentur, Hengiſtus etiam Vetgiſti Satrapæ circa Hamburgum habitantis filiam duxiſſet uxorem, atque cum multis in vicinia principibus affinitates contraxiſſet: non aliunde expeditionis ſuę ſocios accepit, quàm ex hiſce regionibus inter ſe vicinis, ubi & Friſii & Angli & Saxones & Rugini & Dani & Vitæ ſive Iuthæ hodieque in propinquo adhuc commorantur. Hinc etiam eſt quòd Saxones & Britanni Hengiſtum Vetgiſti filium appellent, qui gener tantùm fuit: more ſanè apud omnes gentes fere uſitato, ut ſoceri generos inter quos bene convenit filiorum nominibus indigitent. Hengiſtus igitur vir ingenio & prudentia inſignis, cùm in rem ſuam intentus, pro regno Cantii amplificando, quidvis auderet ac faceret, Britannoſque mirificè connivente Vortigerno rege genero ſuo opprimeret, eò tandem rem deduxit, ut populus Vortigerno depoſito, filium ejus Vortimerium belli ducem adſciſceret, & ad arma convolaret, non ceſſaturus ab illis, niſi cunctis advenis inſula deturbatis. Vortimerius autem bellum per inſulam circumferens pugnandique occaſionem quæritans, anno 455, apud Eppiffordam Meduagi fluminis vicum in Hengiſtum atque Horſum ſocioſque eorum ex improviſo incidit, atque incompoſitos aggreſſus, omnes in fugam conjicit, multis ex utraque parte interfectis: & ſanè de fortuna advenarum hoc die fuiſſet actum & conclamatum, niſi Hengiſtus declinandi periculi gnarus in Tanetum inſulam ſe recepiſſet, donec ille Britannorum impetus deferveret, & ipſi nova ſubſidia è Friſia ſubvenirent. Ceciderunt in hoc prælio duces partium Catigernus Vortimerii frater Britannus, & Horſus Friſo Hengiſti Germanus non procul à pugnæ loco ſepultus, cui Horſet nomen eſt inditum. Enimverò Hengiſtus cùm in Taneto inſula vires recolligere cogitaret, ſed à Vortimerio ita urgeretur, ut captivitatis periculum vix evaderet, claſſe ce-

455. *Horſus in pugna occiditur.*

Hengisthus



leriter inſtructa cum parte ſuorum abnavigavit, parte reliqua ad inſulæ præſidium conſtituta.

*Hengiſtus Britannia cedit in Friſiam.*

Direxit autem curſum navium ſuarum rectà in Friſiam intravitque per Burdonem ſinum maris mediterraneum, ac in ripam ejus ſiniſtram in terram deſcendit Veſtrachiæ propriam: ibi depoſitis quibuſdam Anglis, quos ſecum è Britannia deportaverat: converſo retrorſum itinere per Rhenum naves adegit, pervenitque Lugdunum uſque ſive Leidam, ubi burgum illum condidit, à quo Vaſſenaræ domini jam olim burgravii Leidenſes ſunt appellati. Non multò autem poſt, quàm ibi ſedem collocaſſet Hengiſtus, cùm non minus ad Britanniam identidem reſpiceret, quàm domi res ſuas ageret, à filia Rovenna fit certior literis occultè & clanculum miſsis, hoſtem ſuum, qui ipſum Britannia fugaverat, exceſsiſſe è vita, tempus eſſe ut comparato exercitu valido Cantium redeat, &, quod cæperat regnum porrò compleat. Mortuus enim erat Vortimerius aliquot poſt fugã Hengiſti menſibus, in ejuſque locum Vortigernus Regno reſtitutus.

456

Ea re cognita Hengiſtus ſummo ſtudio atque opera ſtatim novas copias, quàm ampliſsimas ex omni vicinia colligit, & inſtructiſsima cum claſſe in Britanniam improviſus revertitur. Anglos autem Britannia evectos in Veſtrachia relinquit, qui ibi progreſſu temporis vicum condiderunt nomine Anglum ſive Ingelhemum. Proceres Britanniæ comperto Hengiſti reditu, ob tantam hominum multitudinem, quæ advenerat, perculſi, vocavere ad conſilium Regem Vortigernum, quem non ita pridem ſolio reſtituerãt: & ſummopere ab ipſo contenderunt, ut Hengiſtum, tam potentem hoſpitem & ſuſpectum, cum ſuis miſſum faceret & omnino Britannia exigeret. Quod poſtquam Vortigernus uxori, uxor verò patri indicaſſet, Hengiſtus prævertendum ratus, re diſsimulata legatos ad regem mittit, qui ipſi ſuum reditum nuntient, quique militis

 *Hengisthus*

militis advecti operam, ſi qua in re, eo Rex uti vellet, ſimpliciter offerant. Non enim ſe veniſse affirmabat, ut regno Britanniæ vim inferret, ſed ut ſe atq; ſuos contra injurias Vortimerii defenderet: qui quoniam jam eſſet mortuus, non eſſe ulteriorem ſibi bellandi cauſam, modò regno Cantuario, quod Rex ipſi & ſuis donaverat, ſecurè ac liberè uti frui liceat: de cætero exercitu in manu regis fore, ut de eo ſtatuat, quod bonum, æquum & è republica eſſe videatur. Itaque rogare, ut in eam rem conventus ordinū regni inſtituatur, legatis auditis non gravatim Vortigernus excuſationem Hengiſti accipit, conſentit in petita & in Calendas Maii ad Ambrii Monaſterium procerum Britanniæ concilium generale indicit. Veniente autem die Hengiſtus ſuis amicis atque ſociis teſſeram dat, quoniam Britanni nihil mali ſuſpicentur ac inermes ad pacis tractationem conventuri ſint, ut ipſi prælongos cultros ſub caligis ſecum ferant, quibus quiſque proximum ſuum in concilio confodiat, ſimulatque Hengiſtus patria lingua dixiſſet: *Nimmet ouvvre ſacxen*, hoc eſt, capite cultros veſtros. Equidem res ita cecidit, ut in conventu ſtudiis turbato, Hengiſtus verba teſſeræ inclamaret & duces ejus, ſociique in primores Britanniæ nihil tale metuentes, irruerent, nec pauciores quadringentis quinquaginta interficerent, rege diligenter conſervato.

*Hengiſtus in Britanniam cum novis copiis reverſus, in concilio proceres occidit.*

Cùm autem Britanni ad eum tumultum confertim accurrerent, arma ſumerent & vim repellere ſummis viribus niterentur, Hengiſtus continuò eos ad Crifordam Darenti fluminis vadum nactus, cæſis ducibus tanta clade fundit atque proterit, ut ab illis nihil ſibi amplius metueret, & Regnum Cantianū in poſterum ſecurus obtineret.

*prælio Brit: fundit*

*456. Regnum Cantianū incipit & durat.*

Facta eſt hæc ſtrages Britannorum anno Chriſti 456, à quo regnum Cantii poſteà ſterit & in familia Hengiſtiana permanſit annos trecentos & viginti. Venerant autem tum cum Hengiſto ex Friſia Octha & Ebiſſa fratres

qui

Hengiſtus

Friſii occupant insulas ex Orc:

qui circa Pictos claſſe ſua vaſtaſſe Orcades, occupaſſéque complures inſulas & regiones trans mare Freſicum uſque ad confinia Pictorum perhibentur: ut ex Nennio hiſtorico Anglicano recitat Camdenus. Noſtrates addunt huic expeditioni etiam interfuiſſe Taconē Hermana & Douuonem Hiddema claſsis præfectos, antiqui ſtemmatis in Friſia viros: ab illis tunc inventam inſulam & ad inſtar patriæ nominatam Friſlandiam: Ebiſsam verò atque Octham volunt eſse Hengiſti nepotes Orichii filios: quorum poſteà Ebiſsa in Friſiam abierit & ducatum Angræ à Rege Friſiæ propinquo ſuo promeruerit. Octham verò Hengiſto in regno Cantiano ſucceſsiſse: alii verò ſcribunt eos fuiſse Hengiſti filios. Longinquitas temporis rem incertam facit. Feruntur autem illi viri qui Hengiſtum ſecuti erant, fuiſse animi magnitudine, corporis robore & laborum tolerantia Germanorum fortiſsimi, Romanis maximè formidati; virtute & agilitate terribiles: veſtiti ſagis, armati longis Lanceis, ſubnixi parvis ſcutis, cultellos magnos geſsiſse ad renes: quemadmodum antiqui Saxones atque Friſones vulgo depingi ſolent.

Scripſi ſuprà Merovæum Thuringiæ ducem Clodione Rege Francorū defuncto ſuperaſse Rhenum: in Gallia fixiſse ſedes Romanos & tunc pro tertia parte tantùm Galliæ retinenda fuiſse ſollicitos. Igitur dum Hengiſtus in Britannia bellum facit & Friſiam novis delectibus quotidie exhaurit: Attila Hunnorum Rex Galliam invadit, oppida multa & magna excindit & vaſtat: Aureliam obſidet, ſed ab obſidione depulſus, in campis Catalaunicis prope Tholoſam qui hodiéque les Catalens dicuntur, cum Aetio Romanorum in Gallia præfecto, Merovæo Francorum & Theodorico Gothorū regibus infeliciter pugnat, amiſsis ultra centum & amplius ſuorum millibus, ſed quaſi victor in Thuringiam abſcedit. Bello & cladibus ita undique ſtrepentibus, Rex Friſiorum Richoldus Vffo Sta-

Stavoram inter & Medemelakam auguſtiſsimū templum 453.
cōdit, & aſyli privilegio donat, non tantùm, ut regni ſui vi *Richoldus Rex Friſiæ*
res reparet quàm ut miſeris hominibus & patria extorri *Aſylum*
bus perfugium & ſolatium præſtet. Hoc ab illo factum *profugis*
anno Chriſti 453. Anno ſequenti Richoldus Rex poſt diu- *aperit.*
turnam militiam, & inutilem tandem cum Normannis &
Danis pacem facit in decennium. Intereà in ſua civitate
Stavora conſtruit inſigne palatium in quo omnes prin- *Pacem*
cipes ac duces, qui à primo inde gentis archego Friſone *facit cum*
imperarunt ad ſuam uſq; ætatem depingi curavit, addito *Normannis.*
cujuſque tempore quo cœpiſset & imperare deſiiſset.
Erat hoc opus memorabile & ſpectatu digniſsimum,
quod proinde & à multis laudabatur: adeo quidem ut
plurimi ejus fama exciti ex longinquis regionibus Stavo- *Palatium*
ram ſpectandi cauſa advolarēt: inter quos & Carolus pul- *ſtavoræ extruit.*
cher Brabantiæ Dux jam ſenex unà cum multis ſuorūm 463.
nobilium eo venit & non modo ex pictura delectatio-
nem ſed & magnam admirationem percepit. Condi-
tum autem fuit hoc palatium anno 463, duravitque tre-
centos quadraginta quinque annos uſque ad Chriſti na- *ne post*
talem 808, quo tempore in menſe Iulio incendio defla-
gravit.

Anno Chriſti 471, Odilbaldus Richoldi Regis filius 471.
Haddingam Regis Normanniæ filiam, uti dicitur, uxo- *Odilbaldus Richoldi regis*
rem duxit. Ei pater, nuptiis celebratis, arcem Titenbur- *filius du-*
gum dono dedit, ut ejus provinciam gubernaret & Friſiæ *cit uxorem*
interiori illic reſidens quaſi propugnaculo eſset. Pro-
inde & Odilbaldus ex mandato patris deinceps Titen- *Dux Totenburg[illegible] donat*
burgi comes eſt habitus. Cùm autem vicinis ſuis Veſt-
phalis ignotus eſset, ab iis valdè oppugnabatur, ut po-
tentiam ejus infringerent, priuſquam validior factus illis
jugum ſervitutis imponeret. Quod ubi rex Richoldus
cognovit indignè admodum tulit. Quamobrem & filio
ſtatim nongentos milites ſubſidio miſit, quibus acceptis

V

& exercitui ſuo junctis, hoſtes ſuos facile profligavit Odilbaldus,& parte ditionis aliqua mulctavit. Uſus autem eſt his patris ſui militibus Odilbaldus uſque in annum 475, quo illos honeſtis ſtipendiis remuneratos in Friſiam remiſit.

Cùm in Britannia regnum Cantianum ſibi firmaſſet occiſis Britannorum primoribus Hengiſtus, & quotidiè magis magiſque potentia creſceret, cogitare demum cœpit,quomodo ſe totius inſulæ regem atque dominum faceret. Illud verò aſſequi poſt Vortimeri mortem eo facilius ſe poſſe exiſtimabat, quod gener ejus Rex Vortigernus iners & imbellis ſceptris reſtitutus, totus ab ejus conſilio penderet & omnibus ſuis poſtulatis non difficulter annueret. Quod ut regni proceribus ſummoperè diſplicuit: ita Vortigerno quoque tandem exitio fuit: cùm ipſum ſubditi in turrim compulſum, ut nimis genero deditum, incendio conſumpſerunt. Poſtquam verò etiam Vortigerno Rege extincto Hengiſtus nihilominus propoſitum ſuum urgeret & optimates regni paſſim profligaret,perderet & internecione deleret, emerſit tandem anno quadringeteſimo octuageſimo primo quidam Ambroſius Aurelius forte an ſolus ex Romano genere
481. tantis ſtragibus ſuperſtes, qui aſſumpta purpura à Britannis imperator appellatus confeſtim adverſus Hengiſtum & ſocios ejus arma convertit. Is diſpalatos Britannos recolligere, latentes è ſpeluncis elicere, claſsico ad bellum accendere, denique paulatim huc atque illuc arma circumferre & omnia belli munia feliciter obire. Donec anno quadringẽteſimo octuageſimo ſeptimo Hengiſtum cum exercitu copioſo ad viceſimum ſeptimum ab Eboraco lapidem conſediſſe comperit. Nec enim diu cunctatus ipſum quæſitum ivit & ad Danium fluvium exercitum ejus nactus ingenti prælio vicit, ipſum captum in corona militum decollari juſsit. Hoc fato toties victor

ad

ad extremum functus eſt Hengiſtus, cùm in Britannia im- 487.
peraſſet annos triginta octo. Regnum Cantianum libe-
ris reliquit: vir ingenio, prudētia, fortitudine longè præ-
ſtantiſsimus, etiam apud hoſtes ſuos eo nomine lau-
dem conſecutus. Succeſsit ei in regno filius Orichius
ab aliis Hoſcus, quaſi clemens, appellatus: Rovenna filia
jam anteà cum Vortigerno marito totius Britanniæ ve-
luti fax & calamitas erat defuncta. Admirandus Deus
in diſpenſatione operum ſuorum, qui hoſce turbulentos
angelos, Saxones dico atque Friſios, in Britanniam præ-
miſit, ut eâ caſtigatâ viciſsim divinos illos viros emitte-
ret, qui ſuo tempore Saxones atque Friſones ad ovile
Chriſti reducerent & ab ingenita feritate mollirent, qui
alioqui omnes hoc tempore adhuc erant pagani & idolis
dediti ſerviebant.

*Hengiſtus decollatur in corona militum.*

Anno Chriſti quadringēteſimo nonageſimo ſexto, ſuo autem duodecimo Clodovæus Childerici filius Francorũ rex quintus, cùm Syagrium ducem Romanorũ in Gallia ultimũ, imperio Sueſsionum dejeciſſet ac interemiſset, cupiditate regni propugnandi accenſus expeditionem in Friſios ſuſcepit ut eos regno ſuo adjungeret: Sed à Richoldo Uffone Friſiorum rege fortiter repulſus ſpe ſua eſt fruſtratus & cum dedecore fugiens & armis exutus domum repetere eſt coactus. Hoc prælio defunctus Odilbaldo filio apud Titēburgum excubante alcyonia agebat Richoldus: proinde & totam Friſiam in alta pace conſtitutam paſsim compluribus ædificiis, prædiis, villis atq; vicis magnificè exornabat: interq; cætera in ſilva Fluſia uno ferè miliari à Stavora ortum verſus, prætorium exſtruebat amœniſsimum, ut ibi ad auram captandam, cum aulicis ſuis frequenter æſtivaret, ſed voti impos ea conditione & commoditate diu uti non potuit: quippe eodem anno è vita migravit, cùm in Friſia regnaſſet annos ſexaginta: à filio Titenburgum delatus & ibidem ſepultus anno 496.

## Caput Secundum.

### *De Odilbaldo Friſiorum Rege ſecundo.*

496. Anno quadringenteſimo nonageſimo ſexto cùm in fata conceſsiſſet Richoldus Uffo; ex communi ordinum conſenſu ſuffectus eſt ei filius Odilbaldus Friſiæ rex ſecundus: vir admodum cordatus, humanus, & in ſubditos clemens, in hoſtes animoſus atque ſtrenuus toti provinciæ tam domi, quam foris utiliſsimus. Hic anno Chriſti 444, natus, anno 471, duxerat uxorem Haddingam Normanniæ Regis filiam & ex ea genuit anno Chriſti 477, filium Richoldum in regno poſteà ſucceſſorem. Suſcepit etiam ex illa diverſis annis octo filias, quarum ultima anno quingenteſimo nono, eſt mortua. Richoldus natus erat in caſtro Dockenburgico & nomine avi ſui in ſpem boni ominis erat nominatus. educatus diligenter & in omni diſciplinarũ genere jam exercitatus, apud principes eminebat, cùm anno Chriſti 512, mater Haddinga iterum concepit & ex rege marito peperit gemellos, qui matre ſtatim ex puerperio mortua, hortatu & deprecatu ſubditorum in memoriam auvunculorum, qui in Britannia perierant Hengiſtus & Horſus ſunt vocati. Mater Haddinga Titenburgum delata & ibidem more regio terræ commendata eſt. Pater verò Odilbaldus ob uxorem amiſſam valde contriſtatus uſque ad mortem in celibatu manſit: filios autem ſuos quam diligentiſsimè educari curavit, eiſque uti par eſt ſummam curam adhibuit, ut quam optimis diſciplinis imbuerentur & converſatione principum virorum rem militarem addiſcerent. Miſit autem eos ad Normanniæ regem ut ibi militiæ aſſueſcerent.

*Haddinga Normanniæ regis filia uxor Odilbaldi.*

513. Anno Chriſti quingenteſimo decimo tertio, dimidio fere miliari, à Dockenburgo Friſiæ oppido, in quodam penuario occubuerũt pueri ſex, viri novem, & tres mulieres

*Baſiliſcus Dockenburgi.*

res neque deprehendi à quoquam mortis eorum cauſa potuit. Tandem ſuſpicio orta baſiliſcum aliquem ſerpentem ibi eſſe, domum incendio conſumpſit: quo facto nihil amplius incommodi illic eſt inventum.

*Ivo Hoppers halecem unum è puteo extraxit.*

Circa hæc tempora vixiſſe dicitur Ivo Hoppers ejus territorii dominus, quod inter Stavoram & Hornam civitates quondam terra continens, nunc verò mare eſt & retēto nomine antiquo, die Hoppe dicitur, cujus ille cognomē ut dominus ferebat. Ejus ancilla ex puteo agri ſui hauſtura aquam, ſimul Haringū piſcem vivētem extraxit, quo oſtento Ivo territus, cùm repeteret animo oraculum Stavonis de materia frigida ſequutura flammas jam olim ad rubrum clivum erumpentes, paulatim agros, quos ibi poſſidebat, cœpit divendere aut permutare cum aliis orientem verſus prolato rerum ſuarum domicilio: atque ita eorum eluvionem, quæ poſteà ſecuta eſt prudenter evitavit.

*516. Friſia ab oceano inundatur.*

Anno quingenteſimo decimo ſexto, totam Friſiam oceanus inundavit, exſtinxitque hominum ultra ſex millia, pecorum multo plura.

*Primus Antverpiæ marchio.*

Eodem anno Cochliaricus Daniæ rex à Theodeberto Auſtraſiæ regis filio apud Antverpiam infimum Auſtraſiæ limitem, cum toto exercitu cæditur & Marchionatus ejus urbis, quem & pagum Rienſem veteres dixerunt, Utiloni Bavariæ duci primum datur. Prædas autem ex Rienſi egerat Cochliaricus, eaſque navibus jam in altum deductis avexerat, cum ipſe in littore ſolvēdi tempus exſpectans circumventus occiditur, claſſiſque cum manubiis à Francis retrahitur, omnibus ejus copiis interfectis. Ab hoc tempore primam Normannorum exſtenſionem in Hollandiam computat Ianus Douſa Nortvici dominus ut ab illis Hollandiæ etymon deducat.

*Inuſitata grando.*

Anno quingenteſimo decimo ſeptimo, cecidit in Friſia inuſitata grando, quæ in quibuſdam longitudine pe-

dem, latitudine dimidium pedem adæquabat: ea multas arbores in ſilva Fluſia evellit, multaſque domos proſtravit, homineſque plurimos oppreſsit cùm & validiſsimam procellam haberet adjunctam & ad dimidiam ferè horam continenter duraret.

*Groninga aßeribus cincta.*

Eodem anno Gruningam in extrema Drentia ad ſeptentrionem ſitum oppidum aſſeribus cinctum volunt. Vocatur autem vulgo apud Friſios Grins id eſt glareoſa inſula: quoniam in dorſo cujuſdam inter duo fluventa extenſæ tæniæ conditum, à glarea, quæ ibi paulatim aggeſta eſt & grint ſive grunt appellatur, nomen ſuum accepit: aut quia in confinio Drentonum atq; Friſiorum temporis decurſu coaluit. Confinia enim grenzen vocare Germani conſueverunt uti notum eſt. Nam de Groneberga arce jam antea eſt dictum, quæ cum Gruninga nihil aliud habet commune, quam quod ex ea oppidum derivatum aliqui hariolentur.

*Status Britanniæ.*

*Saxones ex Britannia ad Hadeleriam appellunt*

Occiderat in Britannia Rex Uterius cognomento Pendragon, Vortigerni filius: occiderat quoque Hengiſti filius Orichius una cum Paſcentio Hengiſti ex Rovenna filia nepote. Superſtes erat Hengiſti nepos Occo ex Orichio filio: & Arturus Vterii filius illegittimo thoro natus. Occo Cantii regem agebat & ex Germania mortem patris atque avi vindicaturus magnas copias jam recens accerſiverat: quas ſexcentis, navibus Childerico duce in Britanniam appuliſſe auctor eſt Monnemutenſis Britannorum hiſtoriographus. Contra hunc exercitum ſatagebat Arcturus à Britannis in ſolio patris collocatus, juvenis annorum quindecim ſed acer & bello felix. Saxones ab eo, Childerico duce occiſo, victi, Hatugatum ejus filium ſequuntur & conſcenſa claſſe Britanniæ valedicunt, Hadeleriam in Friſia appellunt & ſe deinde anno 524, aut circiter Theodorico Auſtraſio Clodovæi filio in militiam dant contra Ermimfredum Thuringiæ ducem: quem

quem ſua induſtria & fortitudine vincunt: Proindè & à Thodorico agris Thuringorum donati ad Unſtrotum & Albim fluvios ſedes capiunt: Inde poſteà cùm Longobardis in Italiam tendunt. Ex hoc Saxonum ad Hadeleriam excenſu Videkindus Monachus & alii, Saxonum origines deducunt, ſed malè & contra hiſtoriæ fidem. Primæ enim Saxonum ſedes in dorſo Cimbricæ Cherſoneſi fuerunt, ut apud Ptolomæum Alexandrinum eſt videre: ſecundæ autem apud Hadeleriam cùm ab Arturo Rege Britannia ſunt expulſi: quod benè eſt notandum.

Anno autem quingenteſimo viceſimo ſeptimo, Rex Odilbaldus cùm Friſiæ imperaſſet annos triginta & unum natus annos ſeptuaginta tres Dockenburgi eſt mortuus ſed Titenburgi, à filio ſepultus: Liberos reliquit ternos, quorum major natu Richoldus ei ſucceſsit ſed alii gemini Hengiſtus & Horſus in Britannia vitam finiverunt ut annales atteſtantur. 527. *Odilbaldus moritur 73, annorum ſenex.*

## CAPUT TERTIUM.

### *De Richoldo ſecundo Friſiorum Rege tertio.*

MOrtuo igitur Odilbaldo Rege, Richoldus natu maximus ejus filius communi ordinum ſuffragio ſuffectus eſt anno quingenteſimo viceſimo ſeptimo, rex Friſiorum tertius; princeps cordatus & pacificus, ſubditiſq; ſuis ob excellentes virtutes admodum charus. 527

Sub hoc rege Richoldo Dibbaldus Lemi filius præerat Weſtfriſiæ, in ejuſque ditione tunc etiam erat vicus Hallem: quæ poſteà Hæmunda eſt dicta. Hic cùm in clientela Richoldi eſſet, ab eo impetravit, ut & ipſe rex appellaretur, ſed Friſiorum occidentalium. Itaque duo reges Friſiæ hoc tempore fuerunt, quorum alter occidentis: alter orientis imperio gaudebat. Ea regna ſolo Flevo Rheni fluminis tertio brachio inter ſe dividebantur. *Dibbaldus VVeſtfriſiæ Rex.*

Dibbaldus autem Weſtfriſiæ rex habebat filium qui

Lemus

Lemus audiebat: Hic in Friſia occidentali conſtruxit caſtrum benè munitum, quod ex ipſius nomine (uti ferunt) vulgus appellavit *Heerleems ſlot* & cum ſucceſſu temporis in civitatem adoleviſſet, Harlemum quaſi dominum lemum. Cùm autem fateantur Harlemi vocem eſſe compoſitam, mea ſententia rectius dicerent Harlemum eſſe dictam, quaſi terram aut paludē litigioſam, utpotè quæ in confinio Caninefatum & Friſiorum poſita, dubium faciat, utri parti potiſsimum ſit accenſenda. Sic enim vulgò Haer pro Hader id eſt lite & Haerman pro Haderman hoc eſt litigioſo dicimus. Sed lectoris eſto judicium

*Harlemi oppidi etymon.*

Anno 537, natus eſt Richoldo filius quem pater avito nomine Odilbaldum appellavit.

*Odilbaldus.*

Anno ſequenti natus eſt Richoldo Regi alter filius, quem appellavit Beroaldum.

*Beroaldus*

Anno 548, Haraldus Daniæ rex maximas copias in comitatum Titenburgenſem duxit, eumque miſerè vaſtavit & maximis affecit cladibus. Sed cùm audiſſet Richoldum regem in armis eſſe & maximum educere exercitum, in fugam ſe conjecit & in terram ſuam eſt regreſſus: nonnulli aſſerunt hunc non regem Daniæ ſed aliquem ex Daniæ proceribus fuiſſe: quod eſt veriſimile.

*Haraldus Daniæ Rex vaſtat Friſiam.*

Eo tempore erat Richoldo regi qnidam militiæ præfectus, ex Rodmannorum ſtemmate nobili ortus, cui nomen erat Hercon. Is ut erat corpore validus & animo intrepidus: ita erat etiam in bellis diverſis exercitatus & multis principibus ob diuturnam militiam notus: proinde & à multis expetebatur ſed fere ſe illis excuſabat, quod ratione juramenti, quo Richoldo obſtrictus erat, externam militiam amplius ſequi non poſsit. Hunc igitur Herconem rex Richoldus cum ingentibus copiis in Daniam miſit, ut cladem Friſiis illatam ulſciſceretur, quod ille pro ſua ſtrenuitate ac fortuna laudabiliter citoque effectum dedit. Spoliata enim & exuſta Dania, victo,

rem

 voorburg

rem exercitum cum multiplici præda in Friſiam reportavit. Circa eadem tempora & Sicambri, ſive Weſtphali in Friſios rebellarunt: Quamobrem Richoldus contracto ingenti exercitu contra eos movit, & commiſſo prælio ita afflixit, ut delicti veniam ſupplices oraverint, quam non alia conditione impetrarunt, niſi ſacramento dato ſe nunquam rurſus contra regem ſumpturos arma, ſed fidem illi perpetuò illibatam ſervaturos. 548 *Sicambri in Friſios rebellant.*

Eodem tempore & Dibbaldus rex Weſtfriſiæ à Batavis vicinis ſuis ita oppugnabatur, ut dimidiam ferè provinciam ei adimerēt: Ea re ille motus ſubſidium à Richoldo, orientalis Friſiæ rege, ut cliens à patrono ſuo petit. Richoldus autem re comperta, cum magna ſuorum manu illi ſtatim ſuccurrit: ejuſque auxilio Dibbaldus, profligatis Batavis, non modò amiſſa recuperat, ſed & complures eorum munitiones occupat, ſuiſque finibus adjicit. Ab hac victoria Dibbaldus rex Weſtfriſiæ non diu ſuperſtes fuit: ſed Ritzardum ex Lemo filio nepotem regni ſui hæredem poſt ſe habuit. *Dibbaldus auxilio Richoldi vincit Batavos.*

Hic Ridſardus ad regnum vocatus Etzelmus & Aurindulus vulgo audiebat, fortean ſic appellatus, non quòd longas aures haberet, ut vulgus putat, ſed quemadmodum regibus dicuntur eſſe longæ manus, eo quòd ipſorum imperium latè extendatur: ita Ritzardo fuerunt longæ aures, eo quòd ad eum deferrentur omnia quæ vel in longinquo garrire & conferre inter ſe ſubditi conſueverant. Ferunt annales Hollandici hunc Ritzardum in agro Vorburgenſi, quem montem regis Aurindulii vulgo vocant, propter altitudinem ejus loci præ cæteris conſpicuam, conſtruxiſſe caſtrum ſua amplitudine decem jugera complexum, valde munitum, ejuſque fundamenta anno 1500 detecta exhibuiſſe omnis generis deaſtrorum ac imperatorum ſimulachra, cum eorundem numiſmatis, quæ potentiam regis Midæ ſimilem non abſurdè re- *Ritzardus Rex VVeſtfriſiæ.* ejus Castrum in voorburg et Noortwyk

Nortwyk

ferrent. Deinde eundem ædificaſſe etiam arcem alteram prope Nortuicum, in territorio familiæ Douſanæ ſitam: quam Dani & Normanni cum ſuperiori caſtro funditus poſteà everterint. Dicitur etiam idē rex ex uxore ſua, quæ grandiuſcula erat & ſtatura propemodū gigantæa, procreaſſe multā ſobolem, ſed omnem ante ipſum fato cōſumptam, præter filiam unicam eximiæ pulchritudinis, quæ poſteà totius Friſiæ facta ſit regina, adoptaſſe Odilbaldum Richoldi regis filium. Quia verò is ante Ritzardum anno Chriſti videlicet 558, fuit mortuus, ex bona conjectura credemus Beroaldum ei à Ritzardo ſuffectum fuiſſe. Ritzardus autem anno Chriſti 564, perhibetur è vita migraſſe, & ex eo die utrumque regnum Friſiæ fuiſſe conjunctum.

Vixit ſub Richoldo & Ritzardo Friſiorum regibus in Britannia apud Cantuariam Ermenricus Hengiſti Friſii ex Occone pronepos: qui rege Britanniæ Arturo mortuo videtur contra ſucceſſores ejus ditionem ſuam atque regnum Cantuariæ amplificaſſe: ei ſanè deinde circa annum Chriſti quingenteſimum quinquageſimum nonum in Cantio ſucceſsit filius Edelbertus, qui primus religionem Chriſtianā ibi eſt amplexus. Habebat enim in matrimonio reginam Chriſtianam nomine Bertā, quę regia Francorum ſtirpe orta, ea conditione in manū regis mariti convenerat, ut & ſuam religionem retineret, & epiſcopum ſuum nomine Lethardum, qui eam inſtituebat. Inde factum cùm & Lethardus ob vitæ ſanctimoniam & fidei puritatem apud omnes benè audiret, nec Berta regina ab ejus inſtitutis uſquam deviaret, ut & Edelbertus eorum exemplo motus, cùm natura bonus & moderatus eſſet, relictis idolis, & falſorum deorum cultu depoſito, ſe Chriſto manciparit, & ſimul populum ſuum ad ejus dulce jugum ſecum adduxerit. Miſerat autem Gregorius primus pontifex Romanus anno 596, in Britanniam monachos

559 *Ermenricus Cantii in Britannia rex Hengiſti Friſii pronepos.*

*Edelbertus Ermenrici filius Rex Cantii fit Chriſtianus.*

Augu-

Auguſtinum Miletũ,& Ioannem qui labentem ibi Chriſti religionem inſtaurarent. Ab illis quoque Edelbertus Cantii rex inſtitutus & baptiſmo lotus fuit: Quo tempore tota Britannia in ſeptem regna diſcerpta,paulatim ſe ipſa compoſuit, & regibus mutuò conſumptis,ad unum denuo regem tandem revoluta nomen Angliæ accepit: ſive id ab Hengiſto, ut quidam arbitrantur, ſive ab Anglis Friſiis ſit impoſitum: qui numero ſuperiores erant.

*Britannia ad extremũ Anglia vocatur.*

Anno quingenteſimo ſeptuageſimo immaniſsima tempeſtas totum triduum à cauro Friſiam afflixit, vento adeò pertinaci atque valido, ut tota rurſus ab Oceano inundata, ſummam rerum ſuarum calamitatem experiretur. Ejecit enim hæc procella ex rubro clivo radicitus arbores ingentes triginta quinq;, & prætorium illud, quod Odilbaldus Friſiorum rex ſecundus ibidem conſtruxerat ita diſsipavit, ut agnoſci à nemine potuerit qua forma primitus fuiſſet ædificatum.

Eodem anno vita defunctus eſt Rex Richoldus anno ætatis ſuæ nonageſimo tertio, poſtquam Friſiam orientalem adminiſtraſſet annos quadraginta tres, relicto poſt ſe hærede Beroaldo filio, de quo deinceps agemus.

*570. Richoldus Rex moritur.*

## CAPUT QUARTUM.

### *De Beroaldo Friſiorum Rege quarto.*

ANno igitur quingenteſimo ſeptuageſimo Beroaldus patri Richoldo ſuffectus eſt, Rex orientalis Friſiæ quartus. Hic Ritzardi Weſtfriſiæ Regis,circa eadem tempora mortui, filiam accepit uxorem, & à ſubditis utriuſque regni dominus eſt inauguratus, ut quidam ſunt auctores.

Saxonici ſcriptores hunc putant Ducem ſuum, quem Albertus Crantzius, & Buntingius aliique Bertholdum vocant, B. Rhenanus Berchtoldũ, Iohannes Funcius Ber-

thulphum: Francici autem Berthoaldum ac Beroaldum: ſed omnes manifeſto in errore deprehenduntur, dum non intelligunt, Friſios eo tempore Saxones quoque fuiſſe appellatos.

Noſtrates verò perhibent, cum Richoldo ejus nominis ſecundo Friſiorum rege natum, fuiſſe virum planè mitem & humanum, ut qui nihil minus, quàm belli avidus, tranquillitatem ſemper amaverit & pacem.

*Regni Friſici termini.* Sed cùm regnum ejus in vicinia Francorum longè & latè patens, ad orientem Iuthia, ad occidentem Gallia, ad ſeptentrionem Oceano, ad meridiem Batavia Neomagum uſq;, item Tranſiſulania, Salandia, Drentia, Dabantia, Teclenburgia, Benthemia, Angrivaria & Weſtphaliæ parte maxima terminaretur; & vulgò nomine Saxoniæ inferioris eſſet notum: conſequenter evenit, ut & ſuæ felicitatis flore apud Francos ſibi vicinos invidiam conſciſceret: & rex ejus, Saxonum Dux apud exteros appellaretur.

*Francum amicum habeas non vicinum.* Quod eo proclivius evenit, quòd reliquam omnem Saxoniam jam olim ſibi tributariam feciſſent Francorum Reges, & hoc ſolùm regnum Friſiorum ab ipſorum obedientia reſtaret liberum, quod potentiæ continentiam denormabat.

De rebus geſtis Beroaldi regis nihil præter bellum cum Clotario annales commemorant, idque in tempus valde alienum conjiciunt, in hoc ab exteris (ut videtur) decepti, ut poſteà ſuo loco demonſtrabimus.

*Beroaldo filii duo.* Ex actorum verò collatione atque eorum veris epochis deprehendimus, Beroaldum anno 580 ex uxore ſua legittima ſuſcepiſſe filium, quem Adgillum quodam fatali nomine, quaſi ſenem liberalem nominaverit, & dehinc anno 591, ex concubina alium nomine Herconem, qui ut fuit natura ferox & inquietus, ita etiam raſtrorum nomine fuerit deſignatus: utrumq; ſanè nomen utriq; haud teme-

temerè impoſitum fuit. Nam & Adgillus diu vixit & erga omnes & præcipuè exteros hoſpitalis & largus fuit, & Hercō indomitus multa alicūdc corradere conatus eſt.

Anno autem 586, vivebat in vicinia princeps Carolomannus, qui Landæ in Haſbania apud Brabantos imperabat. Is ut erat dives ac potens, ita regibus Franciæ etiam erat notus & acceptus. Regnabat autem tunc in Francia Chilpericus regum nonus; unà cum Childeberto Auſtraſiæ, & Guntranno Aureliæ & Burgundiæ regibus. Chilpericus per Landricum præfectum prætorio & adulterum uxoris ſuæ Fredegundis anno 588, occiſus, reliquit filium ſuperſtitem nomine Clotarium, quatuor menſes natum. Clotarius autem quamvis eſſet duorum improborum parentum infelix partus, reputatus tamen & receptus à Francis eſt pro legittimo rege, vigore legis ſalicæ. Erat autem Guntrannus Rex Aureliæ ipſius Clotarii patruus, vir ſupra modum prudens & bonus. Hic partim prudentia Fredegundis prædictæ, partim ſua ſummoperè annixus eſt, ut ſibi tutela regni crederetur, eamque conſecutus ita adminiſtravit, ut nec matrem excluderet & tamen omnes ſuſpiciones de patrata in maritum cæde prudenter averteret. Quin & Childebertum Auſtraſium fratris item ſui filium, qui Clotarii regno inhiabat, per adoptionē & hæredis inſtitutionem ſibi & infanti placavit & mitiorem reddidit, donec ipſe in vivis fuit. Eo autem poſt decennium mortuo, Childebertus ad ingenium reverſus nihil faciliùs putavit, quàm puerum undecennē cum matre à ſe poſſe opprimi, utpote qui nunc duobus regnis locupletibus eſſet inſtructus. Sed Deo victoriarum parenti aliter viſum fuit. Nam cùm Childebertus ingentem contraxiſſet exercitum, idque in medio regni Franciæ & moraretur aliquantulum: Ecce Fredegundis pluſquam virili accenſa audacia prudenter ipſum prævenit, copiis ſuis oratione & præſentia

*586. Carolomānus Landa in Brabantia princeps,*

*Clotarius Rex quadrimeſtris.*

*Childebertus Auſtraſiæ Rex à Fredegunde Clotarii matre celeritate vincitur.*

regis pueri, quem ſecum circumducebat, magis perſuaſis & fidentibus quàm numero ac fortitudine militum. Proindè tanta celeritate cum Childeberto congreſſa Fredegundis fuit, ut prius ipſi victoriam eriperet, quàm ipſe crederet Fredegundem Pariſiis extuliſſe pedem. Amiſit Childebertus in hoc conflictu apud Sueſsiones viginti millia peditum unà cum gloria & vita ſua. Nam etſi fuga ſe pugnæ ſubtraxerit, mœrore tamen animi pauló poſt in Burgundia eſt mortuus, relinquens poſt ſe Theodebertum Auſtraſiæ & Theodoricum Burgundiæ regis filios & matrem ſuam Brunechildem ſuperſtites. Facta autem hæc ſunt anno Chriſti 598, & 600. Childeberto mortuo Brunechildis aſtuta & imperioſa mulier, incitavit prædictos juvenes nepotes ſuos in Clotarium patruelem, ut patris ſui & propatrui mortem in ipſum & Fredegundem matrem ejus vindicent: ſed inita pugna à Clotario victi ita ſunt, ut cum pudore fugerent, amiſsis tot militibus, ut eorum cadavera Aurantii fluminis curſum reprimerent atque ſiſterent. Hac victoria valdè exhilarata Fredegundis, pauló poſt domi ſuæ moritur, & apud Chilpericum maritum, quem morti dederat, ſepelitur: quo clarum fieret, non omnia ſcelera in hac vita puniri, ſed quædam etiam reſervari, ad judicium Dei extremum. Quod conſpecta Brunechildis mulier omnium deteſtabiliſsima non ceſſavit iterū inſtigare nepotes ſuos in Clotarium, exiſtimans enim ſublata matre ſine difficultate poſse ſuperari. Et ſanè res Clotarii valde periclitabantur, niſi Deus ipſum ſua providentia cōſervaſſet. Theodebertus enim & Theodoricus reges, periculis ſuperioribus edocti ſe extra telorum jactum continentes, infinitis ſuis copiis tum præfecerunt quendam Beroaldum Auſtraſium virum fortem & bellandi gnarum, qui tanto impetu Clotarii militem invaſit, ut, quamvis ipſe in pugna caderet, victoria tamen penes ſuos remaneret, cum tanta

*Brunechildis Childeberti mater.*

*Beroaldus dux exercitus Auſtraſiaci cæditur & vincit Clotarium.*

ſtrage

ſtrage Francorum, ut iniquas conditiones pacis à victoribus ſuſcipere coactus ſit Clotarius, Hunc Beroaldum Auſtraſium alium eſſe ab hoc, noſtro Friſiorum rege, temporis ratio per ſe ſatis declarat. Commiſſum enim eſt hoc prælium anno 612, noſter autem Rex Beroaldus anno demum 630 eſt occiſus, ut omnes confitentur.

Intereà dum Franci inter ſe concurrunt & mutuis conficiunt cædibus, Rex Beroaldus in pace domi agit, liberoſque ſuos in bonis artibus inſtitui ac exerceri curat: Legittimũ quidem filium apud ſe retinet, ſed Herconem ad ſcolas exteras emittit, ut literis operam det. Herco autem cùm eſſet natura quidem ingenioſus, ſed ferox & marti potius, quàm muſis natus, literario ludo prȩter voluntatem patris ſui relicto, ad armorum exercitia ſe confert, in quibus brevi in tantum proficit, ut fama ejus apud vicinos paſsim divulgetur & percrebreſcat; proinde nec diu moratus ad Carolomannum Landeſium proficiſcitur. 606 Qui, poſtquam ejus ingenium moreſque honeſtos ac liberales, deinde & robur corporis perſpexit, mirificè ipſius adventu eſt delectatus; quandoquidem ipſum idoneum videbat, qui filio, cogitanti aulam Clotarii regis, itineris comes & exercitiorum ſocius adjungeretur. Agebat autem tum temporis Herco ætatis ſuæ annum decimum quintum, nec eam ætatem longè tum ſuperabat Pipinus Carolomanni filius. Anno igitur Chriſti ſexcenteſimo ſexto Herco Friſius ad Clotarium Franciæ regem adductus, Pipinum quidem ſumma comitate, ut ætate parem, ſemper proſequebatur: Regi verò Clotario tanquam domino liberaliter inſerviebat. Officiis autem erga regem peractis, quod ſuperabat temporis, militaribus exercitiis impẽdebat, tanta cum dexteritate, ut apud omnes tum nobiles tum plebeios ob virtutem magnam laudem atque gratiam iniret. Quum autem ſciret Herco domi apud patrem Beroaldum filium legittimum in ſpem & ſucceſ-

*Herco Beroaldi filius illegittimus.*

*Pipinus Landeſius Carolomãni filius.*

c. Pipino in aula Clotarii

ſucceſsionem regnorum educari, nec ſibi in iis aliquando locum fore, etiamſi ob virtutem aliquo ſublimi non eſſet indignus, idcirco omiſſa patria maluit apud exteros rebus ſtrenuè gerendis inclareſcere, ac eſse in precio, quàm domum redire & apud ſuos eſse contemptui. Proinde etiam tam diu militiam regis Clotarii atque aulam eſt ſecutus, donec prudenter animadvertit fortitudinem ſuam in oculos invidorum incurrere, & ſibi tandem apud improbos exitio futuram, niſi inde maturè diſcederet. Nam cùm ſecum aulæ conditionem reputaret & ſtatum perſonæ ſuæ, facilè videbat & ſe propter patris dignitatem Regi, ſi quid moviſset excellentius, ſuſpectum & occultis aulicorum impetitionibus obnoxium fore atq; opportunũ. Quò igitur & invidiæ & periculo ſe ſubtraheret, ãno ſexcenteſimo decimo aulam Clotarii Herco clam deſerit & in Scotiam ad Regem Eugenium ejus nominis quartum ſe deportat: non quidem ut ibi lateret, ſed ut & ibi militari labore effloreſceret & virtute ſibi fortunam cuderet ac promoveret. In Scotia cùm Regi nomen, genus & fortunã indicaſset ſuam, cœpit & ibi iiſdem veſtigiis, quibus in Francia erat ſolitus, ingredi, virtutem ante oculos habere, eam omni diligentia atque induſtria proſequi, nihilque aliud in tota meditari vita, quàm ut omnes fortitudine antecelleret. Hoc cùm jam bienniũ ſtrenuè egiſset, omniũ laudibus eſt cumulatè affectus & non ſolùm vulgi, ſed & nobilitatis favorem, imò & ipſius regis benevolentiam eſt conſecutus tantam, ut ei Rex exercitus ſuos crederet & proximi cognati ſui filiã pulcherrimã deſponderet uxorem. Quæ cùm in Franciam delata eſsent, non mediocriter animos procerum turbarunt: cùm viderent iſtum virum à ſe deſpectum & invidia pulſum ad tantos honores provectum, & tali conjugio à Rege dignatum. Etſi enim Beroaldum ob ſenium non metuerent, nec Adgillum magni facerent, quòd ingenio miti eſſet & ad

*Herco deſerta aula Clotarii regis Franciæ in Scothiam abit ad regem Eugenium.*

militi-

militiam inidoneo, à quibus duobus Friſiæ regnum tum pendebat, quod ſuæ poteſtati deeſſe, quàm ægerrimè ferebant: Herconem tamen ſubmovendum putabant, qui quamvis nunc eorum amicus eſſet, fortuna mutata fieri inimicus poſset, & magnum cōtra ipſos ad defenſionem Friſiæ patriæ ſuæ momentum adferre; præſertim ſi porrò in regno Scothiæ inveteraſceret. Norunt enim Herconis ingenium, quàm eſſet acre & ad perſequendum injurias præfractè pertinax. Ut igitur ſecuritati in poſterum provideat Rex Franciæ Clotarius, Herconem inquirendum & omnino, ſi fieri poſset, è medio tollendum conſtituit. Mittit igitur confeſtim in Britanniam atque Scothiam ſpeculatores ſuos, qui inventum alicubi quacunq; ratione vivum ſive mortuum Herconē ſibi ſiſtant aut exhibeant. Speculatores autem mandato regis profecti, in Scothiam ubi venerunt, forteforuna in ipſo ingreſsu Herconem ſibi habent obvium, eumque ſtatim nomine regis ſui honorificè ſalutantes orant, ut ſecum in Franciam redire velit, atque adeò etiam quodammodo imperant. Poſtquam verò animadvertunt ipſum propoſiti ſui tenacem, nec blanditiis, nec minaciis cædere, Herconem nihil mali cogitantem extra agmen ſuorum longiuſculè progreſsum ſceleratè interficiunt: idque in ipſo nuptiarum apparatu, quas cum Scothorum regis Eugenii cognata mox erat celebraturus. Cùm autem latrones illi numero complures, cęde perpetrata, etiam cadaver ſecum auferre & in Franciam ad regem Clotarium deportare in facti teſtimonium conarentur. Scothi qui ſceleris initium atque finem ſpectaverant rei indignitate commoti, confertim accurrentes cadaver illis parata manu extorquent, illudque ad ſponſam delatum magnificè ſepeliunt, Latronibus ſe ſtatim ſubducentibus. Rex autem Scothorum Eugenius comperto Herconis interitu ſummopere doluit & apud Clotarium ſuper violentia

*Herco in Scothia per inſidias occiditur.*

regno ſuo illata acriter eſt conqueſtus. Nec tamen Clotarium mandati penituit, quum Herconis vitam ac in Scothia ſucceſſum ex emiſſariis penitius intellexit. In hoc facto tempora perſonarum Carolomanni, Pipini, clotarii & Eugenii omnia inter ſe conveniunt, etiam ſi præpoſterè hujus narratio poſt mortem Beroaldi regis ſit ſigna-
612. ta. Facta autem Herconis cædes eodem illo anno 612, quo Clotarius ingentem illam cladem à patrui ſui pronepotibus in Senonibus accepit, ita ut ſuorum multo ſanguine hujus manibus parentaſſe, videri poſſet. Annis autem aliquot ab hac utraque ſtrage, cùm prædicti Reges apud Senones victores ſe tandem mutuis bellis confeciſſent, ipſorumque avia Brunechildis meritas ſuorum ſcelerum luiſſet pænas, denique & Clotarius ad ſummum evectus ſolus regnaret, cœpit & ipſe quieti ſe dedere, & omiſſa cura reipublicæ omne onus imperandi in humeros præfectorum prætorio rejicere. Conſtituta enim omnium injuriarum perpetua oblivione, nihil aliud agere quàm venari, ludere & cum mulierculis feriari voluit. Quod & animam ejus relaxabat: ita omnis honeſtæ diſciplinæ nervos incidebat, & in poſterum ſecutæ mutationis in hac Merovingorum familia dabat occaſionem. Hinc anno 620, Pipinum Landeſium Carolomanni filium, primum Brabantiæ Ducem creat, eundemque quinquennio poſt præfectum aulæ facit perpetuum, qui pridem Major domus appellatus in tempus dabatur, & aulæ curam gerebat: nunc regni totius præfecturam accipit: quam adeò ſtrenuè geſsit Pipinus, ut poſteris ſuis novi regni fundamenta collocaverit.

*Pipinus Landeſius primus dux Brabantiæ 620.*

*Idem major domus Franciæ perpetuus.*

Iam antehac anno nempe 606, Bonifacius Papa Romanus ejus nominis tertius à Phoca Imperatore impetraverat ut Eccleſia Romana eſſet caput omnium Eccleſiarum totius orbis. Et Machometus Arabs ſeductor populi exitiabilis anno 622, fugerat ex urbe Mecha & ad decimum

*Papa Romæ caput Eccleſiæ 606.*

mum

mum ſextum Iulii menſis diem ſuæ Hegiræ fecerat initiũ. *Hegira Mahumeti 612. die 16. Iulii.*

Tres hæ notabiles epochæ in eandem ætatem incidentes, mirabiles in mundo rerum converſiones dederunt. Officiorum perpetuitas antiquos atque veros dominos ſuis ſedibus paulatim ejecit. Hierarchia ſuperſtitionis tyrannidem in Europam induxit. Machometiſmus in Aſia & Africa Chriſtianæ religionis interitum peperit.

Hoc inſuper tempore & Turcarum nomen vulgo innotuit. Nam cùm hactenus, ut errones vagi, publicitus contemnerentur, primus Heraclius imperator eos anno 625, contra Coſrohem Perſiæ regem in militiam adſcivit: ſed ſuæ inconſiderantiæ precium tulit, quòd eorum viginti quatuor millia ipſum in acie prœliantem nequiter & perfidè deſeruerunt. Turci autem à ſuis dicuntur Iurchi & Tzurcki, quod nomen ipſorum lingua paſtores atque ruſticos ſine certis ſedibus, paſcuorum cauſa cum familiis & pecoribus agminatim vagantes ſignificat: quales nunc ſunt Tartari & paſsim in oriente adhuc Turcomanni mapalia ſua ſecum deferentes. Plinius eos in Sarmatia Aſiatica ultra Mæotidem ad montem Caucaſum, vicinos Tyſſagetis collocat: quod & Herodotus facit qui eos Iurcas appellat. Hodie autem ipſi per Ottomannum Ducem ſuum ad imperii dignitatem evecti Turcos ſe dici illubentes audiunt: ſed Muſulmanni potius, id eſt ortodoxi, ut qui Deum rectè agnoſcant & colant, nominari volunt. Ab initio eorum manus exigua & paſtoritia fuit, quæ ex Scythiæ paludibus egreſſa paulatim alia atque alia appetendo primum in Perſas atque Medos duxit. Inde opibus circa Perſidem auctis Saracenos ad eam deſperationem adduxit, ut fide Mahometi ab his ſuſcepta, paſsi ſint eos in Perſide regnare: ita ut neſcias utra gens majorem jacturam fecerit, quæ tanto regno ceſſerit, an quæ eam ſibi peſtem inculcari paſsa ſit regni cupiditate. Unius ſanè fidei vinculum ita utramque gentem copulavit, ut Sara- *Turcæ orbi innoteſcunt. 625.*

ceni pro Turcis & contrà Turci pro Saracenis ſine diſcrimine ſint vocati. Nunc Turcorum nomen adeò invaluit, ut alterum pene ſit abolitum, incrementis occaſionem præbente Chriſtianorum diſcordia. Quamvis autem Heraclius imperator tum deſertus fuit, die tamen duodecimo menſis decembris illius anni 626, multa Perſarum haud incruento prælio confecit & Coſrohem regem fugavit.

*Arnulphus & Pipinus Regis Dagoberti conſiliarii.*

Anno autem 628, Clotarius ejus nominis ſecundus Rex Francorum filio ſuo Dagoberto partem Auſtraſiæ regendam tradit, adjunctis ipſi Arnulpho Metenſium epiſcopo, & Pipino Landeſio Brabantiæ Duce conſiliariis. Erat autem Arnulphus vir doctus & ob vitæ ſanctimoniam apud omnes in honore: Pipinus verò prudentia atque opibus præſtabat: uterque ad propagandam Chriſti religionem ſupra modum propenſus. Qui videntes in proximo feliciter regnare Beroaldum Friſiæ regem, ſed paganiſmo deditum, ſtudio pietatis, uti veriſimile eſt commoti, Dagoberto auctores fuerunt, ut provincias Friſiorum invaderet & cum regno ſuo conjungeret. Tenebant autem jam tum Auſtraſii omnem Saxoniam ſuperiorem cum Thuringia, ad Rhenum & Coloniam Agrippinam uſque, ut & ſuprà diximus: Reſtabat ſola Weſtphalia, cujus partem maximam Friſii eo tempore per præfectos obtinebant: Conſilio igitur comprobato Dagobertus, ut & ſuæ fortitudinis ſpecimen aliquod ederet, Suſatum præſidio Friſiorum munitum caſtellum in Weſtphalia obſidere ſatagit, ut proxima quæq; primum capiat: ſed in primo ſtatim congreſſu à Friſiis repulſus & ab Yglone Galamæo ita percuſſus eſt in capite, ut galeæ partem cum parte capillitii amitteret. Eo periculo & dedecore territus Dagobertus pedem eveſtigio retrahit. Sed & patri ſtatim ſuam ſtragem denuntiat, oratque ut periclitanti ſuppetias ferat. Lotharius autem venationi tum temporis intentus

*Dagobertus ab Yglone Galamæo vulneratur.*

de impetit Detionem Fris. westph.

tus-

tus in ſilva Langelaria erat, apud Galliam Lugdunenſem: ſed de filii caſu certior factus, ea omiſſa celeriter omnes quas poteſt copias ex omni regno ſuo contrahit, eaſq; ſecũ in Auſtraſiam ducit, & in Friſiam ex improviſo irrumpit, ut imparatum Beroaldum opprimat. Beroaldus contrà ſuis in unum collectis, quos in tanta feſtinatione habere potuit, pedem cum eo confert: & cõſpecto Clotario, quẽ mortuum inaudierat, ipſum acerbiſsimo convicio perſtringit, ſua lingua inquiens: *Ah, du ade ſchiere bulle biſtu dir ſælm*? Hoc eſt, ah tu vetule incane taure ades tu ibi ipſe? quo ipſum importunæ militiæ & libidinis abſurdæ propter ſenectutem arguebat. Convicio autem illo per exercitum diſseminato, tanta Clotarius exarſit iracundia, ut ſummis viribus in Beroaldum iret, nec prius à pugna deſiſteret, quàm Beroaldo occiſo victoriam reportaſſet. Ut autem convicii probrum vindicaret, victoria ſua tam eſt uſus crudeliter, ut milites per Friſiam toto triduo graſſati, omnes mares, qui gladii menſuram ſtatura corporis excederent, gladio perimerent. Commiſſum eſt autem hoc prælium in Weſtrachia, (pro quo nomine Gallici ſcriptores Weſeram dixerunt, manifeſto errore, ut alibi oſtendimus) parte Friſiæ occidentali ad vicum Engelhemum, quem illuc veteres Angli condiderunt, non longè à Burdone fluento mediterraneo, quod olim Weſtrachiam ab Auſtrachia ſeparabat, nunc autem alluvione oppilatum terra nova vulgariter appellatur. Angli autem illi qui ibi ſedes fixerunt & nomen vico dederunt eo prælio, quo Horſus à Vortimerio cæſus eſt, cum Hengiſto ex Britannia veniſſe primum perhibentur: Proinde in faſciculo temporum non malè Warnerus Roclevinck reliquit ſcriptum. " Dagobertus rex Franciæ interfecit " Anglicos, qui tunc Saxones dicebantur, omnes exceden- " tes menſuram gladii ſui. Putant quidam quòd hæc cru- " delitas Francorum fuit cauſa æternæ invidentiæ & diffi- "

*Clotarius Beroaldum regẽ Friſiæ occidit & omnes mares gladio ſuo majores.*

Clotarius impugnat Friſiam

apud pugn Engl

dentiæ Anglorum contra Francigenas. Igitur cùm hæc ille ſcribat ad annum Chriſti 630, quo hic conflictus inter Dagobertum primum belli auctorem, ſive patrem ejus Clotarium & Beroaldum Friſiæ regem accidit, & nulli Anglici in continente exſtiterint eo tempore, qui Saxones appellarentur, dicente Beda Angliam Iuthianam uſque ad ſua tempora fuiſſe deſertam, quam hi in Friſia ad Burdonem ſiti: pugna quoque illa ab omnibus ſcriptoribus referatur in Saxonia pugnata, ſine ulla adjectione ſuperioris aut inferioris; & in confeſſo ſit Friſiam ea ætate Saxoniam fuiſſe nominatam inferiorem: conſequens eſt ut annales patriæ ſecuti, nuſquam alibi, quàm in Friſia & contra Friſiæ regem, hoc à Clotario bellum eſſe geſtum affirmemus, idque ea de cauſa multo magis, quòd nemo in ſuum dedecus mentiri ſoleat, quodque ea, quæ poſt ſecuta ſunt hanc Friſiorum cladem, id ipſum clariſsimè demonſtrent & ob oculos ponant. Ex eo enim tēpore victor Dagobertus multas provincias à regno Friſiorum detraxit & ſuæ ditionis fecit, aut aliis donavit: Religionē ſanè Chriſtianam indidem diſſeminare in Friſia magnoperè ſtuduit, ut in Adgillo Beroaldi filio mox audiemus. Ceſus autem eſt Beroaldus anno Chriſti ſexcenteſimo trigeſimo, cùm præfuiſſet utrique regno Friſiorum annos ſexaginta: qui quamvis pacificus & natura ſuis rebus contentus, alienæ tamen avaritiæ libidinem evitare non potuit, quin tam infortunato exitu vitam concluderet ſenex annorum duorum & nonaginta, ut annales tradunt.

*Beroaldus Cæſus 630.*

*Negat ... II.E.*

## CAPUT QUINTUM.

### *De Adgillo Friſiorum Rege quinto.*

ANno igitur ſexcenteſimo trigeſimo Adgillus Beroaldi in acie cæſi filius in regnum utriuſque Friſiæ à Clotario Francorum rege ſufficitur, adjunctis illi quatuor curatoribus ex gente Friſica, quos à religione Chriſtiana

non

630

non abhorrere cognoverat: qui tanquam ephori regi eſſent à conſiliis, ejuſque negotia inſpicerent ac obſervarent, ne qua in poſterum rebellandi occaſio oboriri poſſet. In hoc Clotarius adverſus victi filium benignus fuit & prudenter in futurum proſpexit. Regnum tamen integrum illi non reliquit. Ad orientem quidem ei nihil ademit, eo quod Saxones illa in parte Friſiæ vicinos creſcere nollet: verùm ad occidentem omnia abraſit, quę ultra medium Rheni brachium jacebant: ſicut & ea quæ ultra mare auſtrinum ultraque Drentiam & Dubantiam à Friſiis poſſeſſa fuerant. Adhæc & tributum annuum victis impoſuit boum ſexcentorum, quibus actis in Franciam cum triumpho rediit, ſed non diu ſupervixit. Anno enim ſequenti eſt mortuus: quo & Mahumetus totius orbis Chriſtiani pernicies hominem exuit decima octava Junii, cùm vixiſſet annos 63, anno imperii ſui nono: Hegiræ decimo, Chriſti 631.

*Clotarius Adgillo regnum reſtituit imminutum & tributo obnoxium.*

*Mahometus moritur 631, 18, Junii.*

Adgillus autem in regni ſede confirmatus, cùm recordaretur, quadriennio ante patris mortem inundatione oceani totam Phriſiam maximis affectam detrimentis, ut in poſterũ ei malo obviam iret, docuit ſubditos ſuos terram aggerere & ex aggeſta colliculos cõponere, qui patria lingua Terpen vocati, tam hominibus, quàm pecudibus, adverſus aquarum pericula, confugium pręſtarent, ſi fortè aggeres marinis fluctibus reſiſtere non poſſent. Dagobertus autem Auſtraſiam cum Neuſtria & Burgundia ſibi retinens, Ariberto fratri Aquitaniam & quicquid intra Ligerim fluvium & Pyrenæos montes jacet conceſsit: Proinde cum Vinedi populus Slavorum in agros Saxonum ac Thuringorum, qui Auſtraſiis parebant, excurſiones quotidie facerent, exercitum ex Alamannis, Auſtraſiis, Francis, aliiſque populis Dagobertus contrahere coactus eſt, quo eos in præſens quidem fudit & fugavit, expellere autem ſedibus non potuit. Itaque cùm illi nullum excurrendi

colles. aggesta v. terpen

*Dagobertus Regnũ cum fratre Ariberto divisit.*

currendi & populandi finem facerent, nec Saxones, etiam remiſſo tributo, quingentorum boum, quod in ſingulos annos Francis debebant, eos compeſcere valerent, quemadmodum ſe facturos Dagoberto Regi promiſerant, & Dagobertus tum temporis cis Rhenum in Celtica degeret, expedire viſum fuit Sigebertum filium natu majorem adhuc puerum Auſtraſiis regem dare, ut Tranſrhenanis populis ſimul imperans Slavorum impetus ſua præſentia facilius reprimeret. Adjunxit autem ei Chunibertum Coloniæ Agrippinæ præſulem, & Pipinum Landeſium prætorii Auſtraſiani præfectum, ut pueritiæ ejus moderatores, qui prudentia ac fortitudine validi & ferociam Slavorum contuderunt & Auſtraſianos reddiderunt invictos. Tantæ tum utilitatis præſentia regis & bona conſilia fuerunt. Dagobertus autem uſque ad annum regni ſui ſeptimum juſtus admodum & probus apud omnes populos in precio ac honore fuit: Deinde verò fæminarum amoribus illicitis irretitus, repudiata Gometrude conjuge, novercæ ſuæ ſorore, ob ſterilitatem, ut ajebat, primò duxit monialem Nantildem nomine, deinde aliam atque aliam, ita ut tres uxores uno & eodem tempore in matrimonio haberet, præter ſcorta, quæ ſecum quotidie circumducebat innumera. Quin inſuper, nequid ſuæ libidini deeſſet, inſtituit certa quædam formoſarum collegia, quæ in modum reginarum excultæ, in omni loco quo proficiſceretur, præſto eſſent. Quamvis autem talis eſſet, in ſacrum tamen ordinem valde propenſus & liberalis fuit. Nam & in ditione Spirenſi Wiſenburgenſe monaſterium condidit, & circa Pariſios alterum S. Dionyſio Areopagitæ aliiſque in locis alia, quę omnia regificè excoluit & dotavit. Exſtruxit quoque in loco, cui Viltenburgo nomen antiquitus fuerat, caſtellum, quod medio Rheni brachio adjacens Trajectum appellavit, & S. Chuniberto Epiſcopo Colonienſi poſtea donno

*Sigebertus Dagoberti filius imperat Auſtraſiis*

*Dagobertus ſcortator religioſus.*

no dedit. Apud Trajectum verò Theloneum inſtituit, ut ibi portorium ſolveretur pro mercibus, quæ ab oceano per medium Rhenum in Bataviam, aut inde ad Germanos deportabantur. Locus autem prius Phriſiorum, fuerat Adgillo ademptus. Amandum verò Epiſcopum, quòd ipſum ob ſcortationem reprehenderet in exilium miſit, qui In Belgium abiens Gandavenſes ad Chriſti fidem convertit, ſed nato Sigeberto, Amandum Dagobertus revocavit ut filium baptiſmo initiaret. Chunibertus autem Archiepiſcopus Colonienſis Trajecto donatus, apud oratorium D. Thomæ à Dagoberto rege ædificatum inſtituit ſeminarium piorum virorum, ad prædicandum Phriſiis adhuc paganis verbum domini, cui poſteà Sigebertus mortuo patre Dagoberto S. Komochum præfecit, qui ſecundus, poſt S. AEgiſtum Friſiorum apoſtolus fuit.

*Viltenburgum mutatum in Trajectum.*

Dagoberto autem mortuo, filii ejus teſtamentum habuere ratum: quo caverat ut major natu Sigebertus Auſtraſiæ & Tranſrhenanis ditionibus imperaret: utq; minor Clodovæus, quem alii Ludovicum vocant, Francos & Burgundos regeret. Erat autem Sigebertus non ex Nanthilde uxore ſed ex concubina Ragentruda Dagoberto natus: proinde & facilè aſſenſit, ut frater Legittimus majorem regni paterni obtineret portionem. Sigeberto autem aderant Chunibertus Archiepiſcopus Colonienſis & Anſegiſus Pipini Landeſii gener, tanquam curatores & aulæ præfecti. Pipinus enim eodem anno, quo Dagobertus, mortem obierat, relinquens à ſe Grimoaldum filium, Brabantiæ Ducem, Beggam filiam Anſegiſi uxorem, & Gertrudem virginem ditionum ſuarum hæredes. Gertrudis autem Nivigellis deinde monaſterium condidit, cujus ipſa primam egit antiſtitam, ob ſanctimoniam & vitæ integritatem poſt mortem divis adſcripta. Quin & pater ejus Pipinus propter juſtitiam, probitatem

*Teſtamentum Dagoberti regis à filiis habetur ratum.*

*Pipini Landeſii proles.*

ac in omni vita conſtantiam haud ingratis cœlo donatus eſt, Brabantiæ patriarcha à poſteris appellatus, ejus mores filius Grimoaldus non eſt uſque quaq; imitatus. Nam cùm Brabantiæ Dux ſecundus eſſet & Anſegiſus Beggæ ſororis ejus maritus Auſtraſiæ prætorio præfectus, & illi ambo quotidie cum rege Sigeberto degerent, nec Sigebertus liberos gigneret, facilè apud regem ignavum ac luxui deditum ſuo obſequio impetrarunt, ut rex Grimoaldi filium Hildebertum adoptaret: quod illis vitio vertendum non eſt. Sed cùm poſteà ex uxore ſua Sigebertus filium ſuſtuliſſet, nomine Dagobertum, eumq; Grimoaldo moriens commendaſſet; Grimoaldus rege defuncto filium ejus Dagobertum ab Auſtraſiæ regno excludere & Hildebertum filium ſuum in regem inaugurare voluit: id verò illi ſummam inuſsit animi ingrati maculam. Quamobrem & eo nomine bellum à Francis ſuſceptum & filius Grimoaldus ab illis cæſus, & ipſe in carcerem datus in eo turpiter vitam amiſit.

*Grimoaldus Brabantiæ dux ſecundus.*

658

Sigebertus autem rex naturæ conceſsit anno ſexcenteſimo quinquageſimo octavo, ipſis calendis februarii: quo anno etiam Anſegiſus à Godmo ſuo, quem ut pater fiduciarius baptiſmo obtulerat, ſceleratè interfectus eſt, relicto filio Pipino, qui poſteà craſſus & Herſtellius vulgo eſt dictus.

*Adgillo Friſiæ regi naſcitur Radbodus F. 652.*

Regi autem Friſiorum Adgillo inter has Francorum turbas pacem ſtudioſe colenti anno 652, natus eſt filius, quem Radbodum nominavit, quaſi conſilii nuntium, qui ei deinceps in regno ſucceſsit. Habuit etiam Rex Adgillus ex uxore ſua filiam Heilam, quæ videtur fuiſſe nupta Ariberto Vrſino: qui à Conſtante Conſtantini filio, Heraclii nepote ex Italia in Germaniam miſſus, ut vicarius Cæſaris, in Saxonia ad Viſurgum conſedit, ut Sorabos atque Henetos (qui & Vinidi) finibus arceret & antiquam ditionem à Beringo ad Hercyniam cõſtitutam

occu-

occupavit, & ex Heila reliquit filium Radbodum cognomento Vrſinum. Hic Radbodus patre Ariberto ad annum 669, mortuo, uſq; ad annum 695, in vivis fuit, ut Saxonici ſcriptores affirmant, fuit autem dominus ad Viſurgim & Albim fluvios Hercyniæ, Aſcaniæ & Ballenſtedii, princeps ob elationem animi atque onera, quibus ſubditos ſuos premebat, à proceribus ſuis deſertus, qui ab eo ad Francos tranſierunt: ſobole tamen felix, utpote quæ non tantùm in Germania, verùm etiam in Italia principatus avitos recuperavit, retinuit & propagavit, ut Hiſtoriæ teſtantur. Avunculus autem ejus Radbodus Friſiæ rex ut moribus ei ſimilis, ita fortuna diſsimilis fuit. Nam uterque ſubditos oppreſsiſſe dicitur: At Vrſinus avita repetivit, & obtinuit: Friſius autem vetera non ſolùm non recuperavit, ſed & ſua ob tyrannidem amiſit, ut poſteà audiemus. Cauſam amiſsioni dedit Auſtraſiorum vicinia, qui & Friſiam & Franciam paulatim ad ſe traxerunt. Utrumque regnum à Pipinis occupatum, & eodem fere tempore Friſiæ regnum Idololatria perdidit: Franciæ regnum luxuria regum concidit; Indulgentia Clotarii ſecundi primum lapidem fundamento regni Franciæ ſubtraxit: alterum ſubduxit Dagoberti Regis immodica ſcortatio, ruinam juverunt aulæ præfecti, qui regum ſuorum mores imitati rempublicam negligenter habebant.

*Aliquid mali propter vicinum.*

*Luxuria Reges Franciæ Merovingos perdidit.*

Sigeberto in Auſtraſia mortuo, Clodovæus frater rex Franciæ ſucceſſorem dat Childericum filium ſuum ſecundo genitum, ejuſque aulæ Vulphanum virum apud Auſtraſios nobilem præficit. Clodovæo autem mortuo, in regno Franciæ ſuccedit Clotarius tertius. Hic Ebroinum hominem impium & crudelem palatio deſtinat. Clotario poſt quadriennium in fata concedenti, Ebroinus auxilio factionis ſuæ Theodoricũ Clodovæi filium natu minimum, excluſo Childerico Auſtraſiæ rege, in regnum Franciæ ſubſtituit. Theodoricus vix anno ver-

*Regum in Francia viciſsitudo.*

tente ob incontinentiam atque ſcelera regno dejectus, S. Dionyſii monaſterio includitur: ſed & Ebroinus ob eandem cauſam Luxovii in Burgundia monachum induit. Accerſitur à Francis Childebertus Auſtraſiæ Rex cum Vulphano aulæ magiſtro. Childebertus verò, cùm eſſet juvenis & fratrum veſtigiis inſiſteret, multoſque per vim opprimeret, tādem anno regni ſui duodecimo quendam Bodillum nomine virum nobilem palo alligatum flagris cædi jubet & ab illo occiditur. Cùm enim Bodillus tantam injuriam concoquere non poſſet, Regem Childericum cum uxore gravida ad Calam vicum Pariſiorum anno Chriſti 671, ex inſidiis intercipit & neci dat: Vulphano ejus præfecto ad Auſtraſios elapſo. Hinc Theodoricus monaſterio exemptus in regnum reſtituitur & Leudeſius Ercenbaldi filius aulæ præficitur, ſed dum parum circumſpectè imperant, ab Ebroino ſupradicto circumveniuntur. Ebroinus enim homo verſutus & in omnem occaſionem intentus anno regni Theodorici ſexto cucullam exuit, & collecta ſceleratorum manu clam ex aula monitus, ut reginæ Fredegundis memor eſſet, ſumma celeritate & hoſtes ſuos opprimit & regis theſauros intercipit. Hinc regis & regni gubernatione recepta Leudeſium præfectum aulæ inter colloquendum perfidioſe necat: quamplurimos Epiſcopos in exilium propellit: plæroſque etiam, ut animum crudelem vindicta expleat, jugulari jubet: Leodegarium Heduorum Epiſcopum, quòd Leudeſium commendaverat, poſt longa carceris tędia, erutis prius oculis & toto corpore miſerè dilaniato tandem capite multat, cùm fratrem ejus Gucrinum jam anteà lapidibus obruiſſet. Lambertus autem Tongrorum Epiſcopus in exilium abire juſſus ad Auſtraſios divertit: Eum ſequuntur multi alii, qui opibus aut potentia apud Francos clari impiam Ebroini ſævitiam meritò ſuſpectam habebant. Intereà apud Friſios pax erat, Radbodo

*671.*

*Ebroini aulæ præfecti crudelitas impia.*

bodo

Bodo Adgilli regis filio commorante apud Danos. Adgillus enim etſi paganus eſſet & antiquo idolorum cultui deditus, natura tamen ita erat leni atque placida, ut ſe bellis vicinorum non miſceret: cumque beneficio regum Franciæ regnum Friſiæ obtineret, nihil prius habuit, quàm ut ipſorum voluntati obſequeretur. Hinc etiam pios viros, qui Chriſtum prædicabãt, quamvis in contemptum religionis ſuæ, non difficulter admiſit.

Nam & S. Koniochum D. Thomæ flaminem in Friſia concionari paſſus & Vilfridum Archiepiſcopum Eboracenſem, tempeſtate in Friſiam delatũ hoſpitio ſuſcepit & totam hyemem apud ſe hibernare eſt paſſus. Vilfridus enim anno ſexcenteſimo ſuptuageſimo octavo Romam iturus ex Britãnia in Friſia eſt deſcendere tempeſtate compulſus, & ibi tota hyeme Chriſtum docuit, multoſq; baptiſmo initiavit, & auctore S. Marcellino primus opus illud Euangelicum prædicando inſtituit, quod egregii viri & Pontifices Willebrordus & Suidbertus poſteà cum magna devotione compleverunt. Erat autem Vilfridus Ripponenſis, in ſeptentrionali Anglo-ſaxonum regione apud Britannos natus, primum Lindisfronenſis ſive Auguſtaldenſis, deinde Merciorum & noviſsimè Eboracenſis ob vitæ ſanctitatem electus Archiepiſcopus, qui invidia inimicorum ſede ſua pulſus pontificem Romanum cùm appellaſset, ab Agathone Papa, cauſa cognita, eſt abſolutus & in ſedem ſuam remiſſus. Erat eo tempore Romæ congregata centum viginti quinq; Epiſcoporum Synodus contra eos, qui unam in Chriſto ſervatore voluntatem atque operationem ſtatuebant & Monotheletæ dicebantur. Ei Synodo Vilfridus etiam interfuit & inter teſtes Synodalis decreti juſſu pontificis eſt adſcriptus, ut teſtatur Beda presbyter hiſtoriæ Eccleſiaſticæ lib. 5. cap. 20. Facta hæc ſunt anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo nono: quo eodem anno Friſiorum rex Adgillus vi-

*678. Vilfridus Eboracenſis Epiſcopus ab Adgillo R. hoſpitio ſuſcipitur.*

*679. Adgillus R. Friſiæ moritur.*

tam cum morte commutavit: & Stavoræ in Weſtrachia ſepultus, cùm regnaſſet annos quadraginta novem.

## CAPUT SEXTUM.
### *De Radbodo Friſiorum Rege ſexto.*

679 ANNO ſexcenteſimo ſeptuageſimo nono Radbodus Adgilli filius defuncto patre in gubernationem Friſiæ ſuffectus eſt Rex ex ordine ſextus.

Hujus verò regis adminiſtratio nec ipſi nec ſubditis tam ſalutaris fuit quàm fuerat patris. Erat enim animo irrequieto Radbodus ac tyrannico, ut qui pacem ac tranquillitatem videretur quodammodo averſari. Itaq; cùm cerneret patrem Adgillum domi pacem colere, Francis vectigalem, & ex ipſorum gratia regnare, nec audere quicquam, quod novam Chriſti religionem jam paſsim in Friſia pullulantem refrænaret, ipſe paganus annum agens viceſimum ad Daniæ regem pro more patriæ ſe contulit, ut ibi militiam addiſceret & in veteri Deorū cultu confirmaretur. Nam pater ejus Adgillus ingenio placidus etſi Chriſtianam religionem in regno ſuo toleraret: Idolis tamen antiquis & eorum culturæ erat addictior, ut non invitus filium ſuum in Daniā miſiſſe videri poſsit. Quod ideo dico, quòd eo tempore nec Olaus Rex Daniæ nec Omundus ejus præfectus in vivis fuerit, ut ab iis bello laceſsi aut capi potuerit, præſertim Adgillo patre etiam tum ſuperſtite. Intercedebat autem Friſiorum regibus cùm Danis antiqua quædam neceſsitudo, ut liberos ſuos lubentes eò mitterent ad capiendam diſciplinam. Radbodus ſanè uſque ad patris ſui mortem videtur in Dania hæſiſſe, ejuſque regni moribus imbutus, inde crudelitatem & Idolomaniam in patriam retuliſſe. Reverſus enim patre defuncto, nihil prius habuit, quàm ut ſuperſtitionem veterem renovaret ac ſtabiliret, utque regnum ſuum à Francis imminutum redintegraret & priſtinis ſuis reſti-

*Radbodus Daniæ mores addiſcit.*

reſtitueret limitibus. In eam rem cùm exercitu opus eſſet, & ad eum alendum pecunia, nec eam, niſi ex ſubditorum fortunis poſſet conficere: ipſa neceſsitas huc ipſum compulit, ut novis vectigalibus ac tributis ſubditos premere cogeret, & numellis ligneis non parentes aſtringere, ut tanquam ſervi vel jumenta capi ac duci poſſent, quò vellet. Friſii enim ingenio cùm contumaciores ſint, ubi ratio deficit cogi volunt. Igitur regiam ſuam Radbodus Stavoræ tum collocavit: quandoquidem ea tum civitas, & amplitudine & amœnitate reliquas anteibat & finibus imperii dilatandis admodũ erat opportuna. Hinc enim ille confeſtim in Vltrajectum duxit, quòd eum locum avo ſuo Beroaldo per vim ademptum à Clotario Francorum rege noverat; omneſque ſacri ordinis viros inde expulit & ipſum oratorium D. Thomæ à Dagoberto Clotarii filio conſtructum evertit ac diruit. Caſtellum quoque Viltenburgum tunc occupavit & præſidio impoſito in uſus ſuos communivit.

*Radbodus Friſios ſervitute opprimit.*

Stavora Regiam habet

Radbodus capit Ultrajecti

Carebat autem tum temporis Auſtraſia rege proprio, Childeberto ad Franciæ regnum evocato: Deinde & Vulphanus aulæ Auſtraſianæ magiſter vita exceſſerat. Multi quoque exules è Francia cum Lamberto Tongrorum Epiſcopo eò venerant, qui reditum in patriam ſummo deſiderio exſpectabant. His rebus moti Auſtraſii, ut communi fortunæ mederentur & Ebroini hoſtis ſui rapinas atque injurias evitarent, duos ſibi belli Duces creant, fratres inter ſe patrueles: quorum alter Martinus Cleodulphi filius apud Moſellanos plurimum poterat: alter Pipinus Anſegiſo natus apud Brabantos & in inferiori Auſtraſia opibus præſtabat: uterque S. Arnulphi Metenſis Epiſcopi nepos erat. Igitur hi duo proceres collecto exulum Francicorum aliorumque magno numero, dum evocati ſinguli apud Franciæ regem Theodoricum comparere negligunt, in agrum Laudunenſem faciunt impetum, ſed

*Martinus & Pipinus belli Duces apud Auſtraſios contra Ebroinum.*

in ipſo conatu ab Ebroini copiis celeriter coactis ex improviſo funduntur fuganturque. Martinus cùm in tutum ſe recepiſſet, ab Ebroino ſub ſpecie colloquii evocatus, falſo juramento ab illo decipitur & contra datam fidem interficitur. Pipinus Auſtraſiam repetit, exiſtimans ex longinquo ab inſidiis ſcelerati & perjuri hominis ſe tutiorem fore. Intereà verò dum Ebroinus nullum ſuę crudelitatis finem facit, vivendi finem ſubitò accipit, ab Ermenfredo Egæ quondam Franciæ prætorio præfecti genero noctu ex inſidiis in lecto ſuo jugulatus. Ea cæde perpetrata Ermenfredus, quem exuere fortunis omnibus Ebroinus ſtatuerat, in Auſtraſiam ad Pipinum profugit, à quo in tutelam ſuſceptus fortiter contra violentiam defenditur. Franci in locum Ebroini, Varatonem aulæ præficiunt, qui cum Auſtraſiis pacem facit: ſed paucis poſt diebus à Giſlémaro filio, magiſtratu deturbatur. Qui, non diu ſuperſtes, divinitus punitur & patri locum ſuum reſtituit. Sed & is brevi moritur & Bertarium generum ſuum in aulæ præfectura ſucceſſorem accipit. Interim Auſtraſii amiſſo Martino rerum ſuarum arbitrium uni Pipino deferunt. Pipinus morte Ebroini recreatus, exulum Francicorum nomine legatos ad Theodoricum Regem in Frãciam mittit ut illi patriæ reſtituantur: ſed opera Bertarii nihil impetrat. Itaque viribus recuperandum ratus, quod precibus obtinere nequiverat, exercitũ cõparat, ac collatis ſignis regis Theodorici aciem vincit ac in fugam conjicit, Bertario mox à ſuis interfecto, Pipinus totius Galliæ moderationem rege illi ſe committente, ſuſcipit. Cùm primum Galliæ regnum à Francis occupatum eſſet, pro numero filiorum regis Franciæ plærumque in regna ſingularia diviſum fuit, quæ ſuos etiam peculiares aulæ præfectos habebant, quos majores domus appellabant; qui omnia regum munia obibant, regibus in utramque aurem ſecurè dormientibus. Pipinus itaque

*Pipinus legatos in Franciam pro exulibus mittit ſed non auditur.*

690.

*Pipinus totius Galliæ magiſter.*

rerum

rerum potitus, cùm ob tumultus Slavorum ac Suevorum in Auſtraſiam revocaretur, vicarium ſui fecit Nortbertum virum probum & amicum ſuum, qui Franciæ prætorio, quod erat Pariſiis, præſideret: filium ſuum natu maximum ex Plectrude uxore natum, Drogonem nomine, Campaniæ Ducem dedit: Ipſe Auſtraſiæ & ſummæ rerum intentus Suevis atque Slavis ad obedientiam revocatis adverſus Radbodum Friſiæ regem proficiſcitur, & eundem Vltrajecto pellit, idque in gratiam Willebrordi & ſociorum ejus qui ex Anglia in Friſiam digreſsi Euangelium Chriſti ibi ante biennium cæperant prædicare, ſed à Phriſiis inde ejecti erant teſte S. Marcellino. Quum enim Vilfridus Archiepiſcopus Eboracenſis anno 678, in Friſiam tempeſtate delatus, apud regem Adgillum hibernaret aliquos ibi crebris concionibus Chriſto erat lucratus, quamvis regem ipſum aut proceres ejus convertere non potuiſſet. Id cùm homini pio ſummopere placeret & eſſet gratum, facere non potuit, quin ad ſuos in Anglia perſcriberet, tactus adverſus Phriſios miſericordia, qui à Satana in Idololatria faſcinati & in Chriſto rudes, apti tamen ad diſcendum erant, ſi magiſtros nanciſcerentur ad docendum idoneos. Quod cùm audiſſet S. Egbertus, qui ut ſacerdos Chriſti jam diu in inſula Hibernia ob regnum Dei fuerat peregrinatus, magno ſtudio accenſus eſt ad prædicandum verbum Dei iis gentibus, à quibus Angli ſive Saxones, Britanniam incolentes, erant oriundi qui in Germania Phreſones, Rugini, Dani, Hunni, Saxones & Boructuarii appellabantur: Quocirca & magna cura dabat operam, ut ſibi itineris ſocios adjungeret, & ea pararet quæ ad proficiſcendum erant neceſſaria. Sed cùm ipſe Egbertus & oraculo in ſomnis moneretur ne eò iret; & tempeſtate ſubita itineri accinctus repelleretur, invitus ſanè à propoſito deſtitit & patriæ utilitati ſe reſervare coactus fuit. At unus ſociorum ejus Vigber-

*Pipins*

693.

*Radbodus Trajecto depellitur.*

*Willebrordus et Socii*

*S. Egbertus in Friſiam cogitat, ſed divinitus retinetur.*

Euang: nun.



Vygberto in Frisia Egbe pred:

tus, qui & ipſe contemptu mundi & doctrina inſignis erat, continuato itinere in Phriſiam pervenit, ſed docendo totum biennium apud duros & præfractæ cervicis homines & regem eorum Radbodum cùm proficere nihil poſſet, in Britanniam reverſus eſt. Ab eo cùm audiret S. Egbertus in Phriſia meſſem quidem eſſe permagnā, operarios verò paucos, ex animo indoluit, attamen propoſiti ſui tenax, quo ſtatuerat illas gentes ad Chriſti fidem adducere cùm ipſe adire eas non poſſet, ſitiens & affectans ſalutem omnium hominum & præcipuè Phriſonum atque Saxonum, eo quòd Angli ab eis, & ex eis propagati eſſent, ut ait S. Marcellinus, eò rem deduxit, ut ex diverſis monaſteriis ad inſtar Apoſtolorum Chriſti, duodecim viros virtute & eruditione præclaros conquireret, qui illuc profecti verbum vitæ æternæ ſtrenuè & fideliter prædicarent. Inter eos primum locum obtinebat Willebrordus presbyterii gradu inſignis, hunc ſequebatur Suidbertus ejus ſobrinus, ambo ex ſtirpe Hengiſti Friſii Anglo-ſaxonū ducis originē trahentes. Hengiſtus enim primus Cantiæ in Britannia Rex hæredem reliquit Orichium: ex quo nati ſunt Ebiſſa, Octa & Edelredus. Edelredus filiam reliquit Oſtridam quæ nupta cuidam Dynaſtæ Anglo ex eo peperit Oroniam & Bertam filias. Ex Oronia nupta Villegiſo viro nobili ac pio natus eſt Willebrordus. Berta ex Sigeberto Comite de Nortigam peperit Suidbertum: itaque ex duabus ſororibus hi viri nati cùm eſſent, eandem quoque fortunam ſemper inter ſe concordes ſortiti ſunt. Eos comitabantur Acea, Vigbertus, Villebaldus, Vinibaldus, Levinus, Eualdi duo à capillis dicti albus & niger, Verenfridus & eorū hiſtoricus S. Marcellinus, qui omnes more Romano presbyteri & ſacerdotes audiebant. At S. Adelbertus filius regis Deirorum erat levita, qui pro Chriſto demittēs regale patrimonium cum prædictis viris ſanctis à S. Egberto electus peregrinum inivit

*S. Egbertus viros apoſtolicos conquirit duodecim quos in Friſiam mittat.*

travit

 Euang: nunc:

travit exilium. Et quoniam hi ſancti doctores propagati erant in Anglia ex ſtirpe Phriſonica & Saxonica, ideò convenienter prædicare potuerunt Euangelium Chriſti in lingua Germanica ut S. Marcellinus & venerabilis Beda ſunt auctores. Erant autem Deiri in Nortanhumbrorũ regno populi, qui antiquitus Brigantes dicti, poſteà comitatu Eboracenſi, Epiſcopatu Dunelmenſi & Lancaſtrenſi, Veſtmorlandia & Cumberlandia fuêre comprehenſi. Saxones enim teſte Camdeno, has regiones Nortanhumbrorum regnum dixerunt, & in duas partes diviſerunt, Deiram ſcilicet, quæ cis Thinam fluvium, & Bermiciam quæ à Thina ad fretum uſque Scoticum pertinebat. Quæ partes ſuos reges hoc tempore habebant, ſed poſteà in unum regnum coaluerunt. Deiræ autem rex erat pater S. Adelberti: qui unà cum Willebrordo & aliis ad prædicandum Euangelium in Friſiam deſcendit. Willebrordus autem & ſocii ejus fauſtis precationibus à S. Egberto Eboracenſi Archiepiſco ex Anglia demiſsi anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo, per medium Rheni oſtium Trajectum, quod & Viltenburgium dicebatur & à Friſiis tum poſsidebatur, feliciter ingreſsi ſunt, ibiq; rerum ſuarum domicilio conſtituto ad imitationem Apoſtolorũ Chriſti & primæ Eccleſiæ ex communi ita vivebant, ut nemo illorum quicquam haberet proprium quod ſuum diceret. Memores autem ſuæ legationis, ut erant pietatis ſtudio fervidi, ita ſe confeſtim ad prædicandum verbum domini accinxerunt, & totam Phriſiam citeriorem ſedulò obiverunt. Sed cùm Phriſii falſo Deorum cultu excæcati, eorum conciones non admitterent, ſed mortem ipſis niſi deſiſterent, atrociter intentarent: parum illic promovere opus Domini potuerunt: Proinde Deum Opt. Maximum precati, ut Phriſios ſua luce illuſtrare vellet, ne tam pulchræ perſonæ diris orci faucibus crudeliter abſorberentur, illinc diſceſſerunt, tempori ſervien-

*Deiri qui?*

*690. Willebrordo duce viri Apoſtolici Trajectum appellunt.*

Euang: nuncii

tes, vagatique ſunt per Phriſiam & vicinas regiones, ut aliquos ſaltem Chriſto lucrarentur. Anno autem 694, venerunt in inſulam maris oceani à Foſta Idolo dictã Foſtelandium, quæ aliter appellata Heiliglandt, vel ut magiſter Adamus in Bremēſi hiſtoria ſcribit, Farre, in confinio Danorum atque Saxonum Albis fluvii oſtio objicitur. In ea aliquot dies commorati cæperunt annunciare incolis Chriſtum, ut ab idolis abſiſtentes vitæ æternæ fierent hæredes, verùm obſiſtente paganiſmo tres tantùm homines convertere potuerunt. Et cùm Iovis & Foſtæ ſtatuas ibi confregiſſent, à Radbodo rege inde ſunt exterminati, S. Vigberto mori juſso ac interempto, quòd ejus inſtinctu ſtatuarum facta eſſet everſio. Erat verò anno ſuperiore à Pipino Craſſo expulſus Trajecto Radbodus, & in hac inſula quaſi exul ſe continebat, per ſe Chriſtianis infenſus & propter confracta Deorum ſimulachra multò infenſior factus. S. quidem Vigbertus martyrii coronam, quam jamdudũ ſummis votis exoptaverat, hoc modo eſt conſecutus: ſocii autem ejus mœſti & perculſi ſine lõga mora recollectis ſarcinis atque animis ex inſula profugientes, ad Pipinum Craſſum Brabantiæ Ducem, & jam totius Franciæ magiſtrum ſe contulerunt: qui eos humaniter & benignè ſuſceptos apud ſe aliquandiu detinuit, & tandem redire Vltrajectum Euangeliique profeſsionem docendo urgere enixè mandavit. Scripſit autem Caſtellano ut eos adverſus violentiam ſubditorum defenderet, quòque tutiores eſſent, edictũ nomine regis Franciæ publicè propoſuit, quo incolæ jubebantur pacem cum ſanctis viris colere & nihil moleſtiæ illis in religionis negotio inferre. Erat enim tum pulſo Radbodo in poteſtate Francorum Vltrajectum, ut & in poſterum manſit. Inde res Chriſtiana illic incrementum quotidie cepit, multis à ſanctis viris ad Chriſtum concionando converſis. Qui convenientes ad caſtrum ejus urbis, quod olim Viltenburgum dice-

*Ameland 9f. 229*

*Vigbertus occiditur in foſtolandia.*

*Edictum de non violandis ſacerdotibus à Pipino Harſtallio propoſitum.*

 Euang: Nunc.

dicebatur, in ruderibus ſani D. Thomæ ſacri & à Friſiis e-
verſi, cæperunt anno à natalibus Chriſti ſexcenteſimo 695
nonageſimo quinto ædificare in honorem S. Crucis ora- oratorii S. Cruci
torium, in eoque fundare baptiſterium, ut qui Chriſto Trajecti
nomen dare vellent à Caſtellano defenſi ſecurum habe-
rent acceſſum, ad ſuſcipiendum baptiſmatis ſacramentũ.
Ea re peracta, cùm cernerent ſancti ſacerdotes meſſem
eſſe multam, operarios verò paucos, conſilio habito in-
ter ſe compararunt, ut bini aut terni more Apoſtolorum
in diverſas Germaniæ partes annunciatum paganis Euan-
gelium proficiſcerentur. Relicto autem apud Vltraje-
ctum S. Willebrordo cum ſociis aliquot, S. Suidbertus *S. Suid-*
divini amoris igne fervidus cum Verenfredo & Marcel- *bertus con-*
lino ſociis abiit Batavodurum, quod tunc Duroſtadum *cionatur*
appellabant. Erat autem vicus ſatis grandis, in quo mul- *Batavo-*
ta Idolorum delubra, multę ceremonię & ſacerdotes pro- *duri.*
fanorum Deorum complures verſabantur: quem ingreſ-
ſus S. Suidbertus cæpit eveſtigio palàm prædicare Chri-
ſtum, ut verum Deum, qui vitam æternam daret in ſe
credentibus, hortarique populum, ut abjecto idolorum
cultu pænitentiam ageret, ac Deo conciliaretur. Eſſe
enim idola nihil aliud, quàm dæmoniorum latibula,
manibus hominum in contemptum veri Dei fabrefacta,
nec poſſe conferre ſalutem ſuis cultoribus. Pagani ea
concione audita, jamdudum in Suidbertum magnope-
rè excandeſcentes, quandoquidem ea ratione omnem
Deorum religionem antiquam everteret, manus conti-
nuò in ipſum injiciunt, multiſque pœnis affectum verbe-
ribus in carcerem compingunt, ut eum poſtridiè clam è
medio tollant. Apertè enim occidere ipſum non aude-
bant, propter Francos, qui jam Chriſtiani erant & impe- *Suidber-*
rium in civitatem obtinebant. Suidbertus autem cum *tus in car-*
gaudio carcerem ingredi viſus, circa gallicinium orans *cerem du-*
ab Angelo monetur, ut egreſſus Deo confidat & verbi *ctus ab An-*
*gelo libera-*
*tur.*

Prædicationem ſtrenuè proſequatur: ſimulque ſpectante cuſtodia vinculis liberatus carcerem evadit. Poſtridiè ſtupente populo longè conſtantiùs, quàm prius Chriſtum annunciat, nec quicquam mali amplius ab incolis patitur aut timet, multis ob mirificam ejus ex carcere eductionem ad Chriſti fidem converſis & cultum idolorū abjicientibus. Hinc Vltrajectum revertitur ſociiſque rem geſtam cum lætitia refert: nec tamen diu apud eos moratur, ſed invocato Dei nomine iterum exit in opus Euangelicum, aſcitis ſecum Verenfrido & Marcellino comitibus: totamque Friſiam citeriorem, Hollandiam & Teiſterbantiam obit, ubique gentibus Chriſti benignitatem intrepidè annuncians, quamvis infinitis paſsim afficeretur injuriis. Cùm autem veniſſet Hagenſteinum villam Hollādiæ meridionalis ab Vltrajecto ad auſtrum uno milliari diſtantem, cœpit & illic ipſis feriis paganalibus, de Chriſto publicè concionari, cumque ejus virtutes mirum in modum extolleret, adderetque, quæ ſigna ſequerentur eos, qui Chriſto haberent fidem: populus ipſius oratione commotus, ut rei periculum faciat, adducit ipſi juvenem à die nativitatis ſuæ cæcum, cum pacto ſi eum illuminaſſet, ut ipſius dictis parerent: ſin autem, ut ipſe daretur neci. Proinde inter ſacrum & ſaxum (quod dicitur) conſtitutus S. Suidbertus, ſine mora flexis genibus cum ſuis comitibus precatur Ieſum Chriſtum, ut cæco illi viſum ob gloriam ſancti nominis ſui reſtituat, quo per illius corporalem illuminationem in cordibus gentilium, ſpiritualis lucis gratiâ accendatur, & confundantur omnes, qui adorant ſimulachra & gloriantur in iis, ac intelligant ipſum ſolum eſſe Deum & nullum alium præter ipſum.

*Suidbertus cæco viſum reſtituit.*

„ Ea finita precatione ſurgens S. Suidbertus plenus
„ fiduciæ, oculos cæci cruce ſignat atque alta voce, in nomine (inquit) domini noſtri Ieſu Chriſti veri Dei, quem prædico, præcipio tibi ut videas & confitearis cre-

atorem

 Cuang. nunc

atorem tuum: & eveſtigiò cæcitatem lux alma depulit. Mirati omnes qui aderant, maximam partem ad Chriſtum converſi relictis idolis baptiſmo initiati ſunt. His rebus lætus ac luculentus S. Suidbertus Vltrajectum regreditur: quo cùm & alii ſocii aliunde conveniſſent, ea quæ geſta eſſent commemorantes, pro inſtituto & more ſui temporis, communi decreto conſtituerunt duos ex ſuo numero creandos Epiſcopos, qui templa conſecrarent, ordines conferrent & populo Friſico concionando præirent. Elegerunt autem S. Willebrordum & S. Suidbertum viros omni pietate & doctrina præſtantiſsimos. Igitur S. Suidbertus eodem anno 695, in Britanniam navigat ut Epiſcopus conſecretur, aſſumptis ſecum Acca, duobus Eualdis & Marcellino comitibus Quo cùm appuliſſent à S. Vilfrido Merciorum tunc Epiſcopo honorificè ſunt ſuſcepti & bene habiti. S. Suidbertus autem in feſto S. Bartholomæi ab eo creatus eſt Epiſcopus. Acca ab eo retentus, duo Eualdi ſui negotii cauſa in Hiberniam profecti paulò poſt redierunt Vltrajectum. S. Suidbertum cum Marcellino dimittens cum oſculo pacis S. Vilfridus diligenter admonuit, ne labori aut calumniæ ſuccumberet, ſed conſtanter opus Dei peragendo, æternæ ſalutis ſibi proponeret & exſpectaret mercedem. Eodem anno S. Willebrordus Vltrajecto abiit ad Pipinum Auſtraſiæ principem, qui illum anno ſequenti Romam miſit cum literis ad Sergium pontificem maximum, à quo ille in natali & baſilica S. Cæciliæ anno demum 696, die quarto decimo poſtquam eò veniſſet, ordinatus eſt Archiepiſcopus Friſiorum, hoc eſt eorum, qui hodiè vocantur Friſii, Groningenſes, Tranſiſulani, Trajectenſes, Hollandi, Zelandi atque Geldri. Ac novo nomine dictus eſt Clemens. S. autem Suidbertus ex Britannia reverſus ultra annum integrum, Vltrajecti priuſquam Roma rediret S. Willebrordus boni paſtoris officio eſt functus docendo,

*Suidbertus in Britanniam navigat ut Epiſcopus conſecretur.*

*VVillebrordus ad Pipinum Brabantiæ ducem abit & inde Romam ut Epiſcopus creetur.*

monendo,

Euang: Nunc

monendo, conſolando & confirmando novellum Chriſti gtegem: Quin & oppida, rura, caſtella, vicos & tuguria vicinorum Apoſtolico more pedes obivit, ut cæptum Euangelii opus fideliter adimpleret: cumque eſſet valde affabilis ac benignus, totam fere Theiſterbantiam ad fidem Chriſti ſua ſuaviloquentia ac probitate convertit. Idolorũ ſanè delubra aut deſtruxit aut in Chriſti & ſanctorum ejus honorem commutavit: Quod effecit in Zandvvyck prope Tielam, in Arckel, in Hornaer, in Schoenrevoort, in Autheuſden, in Aelborch, in Woudrichen, in Gieſen, in Ryſvvijck, in Almkerck, in Malſem, in Arckom, in Aerzaet, aliiſque pluribus in locis, ubi plebem converſam aſsiduis orationibus protexit, & ſaluberrimis admonitionibus ad cæleſtia provocavit. Anno autem 696, cùm S. Suidbertus in Malſena Theiſterbantiæ vico ad Lingam fluviolum ſito templum ejus eſſet conſecraturus, inter ceteros qui eo ſpectatum ceremonias ibant, properabat etiã accedere Splinterus Guntheri Domini in Andigein viri primarii apud Batavoduranos unicus filius: Is Leccam Rheni rivum trajecturus cùm ruminaretur, cymba excidit hora circiter ſeptima matutina, ac ſequẽti duodecima à piſcatoribus ſagena extractus, Batavodurũ relatus eſt mortuus. Ibi ejus cadaver à patre ac matre cæteriſque eorum amicis in Martis templum eſt illatum, ut factis ſacrificiis à deaſtro vitæ reſtitueretur. Quod cùm Guntherus magnificè diu feciſſet, ſed fruſtrà, ita ut jam conclamatum putarent, quidam ex Chriſtianis acceſſerunt, qui S. Suidberti ſanctitatem & viſa miracula commendarent, hortarenturque Guntherum propter unicum ſuum filium extrema ægritudine laborantem, ut S. Suidbertum accerſeret, ſpondentes ejus precibus haud dubiè filium ipſius in vitam revocatũ fore, ſi ipſe modò in Chriſtum crederet & Idolis renuntiaret. Guntherus audito Chriſtianorum cõſilio, etſi paganus adhuc eſſet, quoniam filium

*Hi pagi omnes in Batavia.*

*S. Suidbertus reſuſcitat mortuum.*

N

 Evang. Nunc

filium unicè diligebat eveſtigio paret & equo conſcenſo, Malſenam properat, ipſumque S. Suidbertum conſecratione peracta in loco nactus, tamdiu orat, quamvis ſæpius recuſantem & ſe piè excuſantem, donec unà cum ipſo tandem Batavodurum proficiſceretur. Iam hora erat poſt meridiem ſexta cùm S. Suidbertus & Guntherus Leccam multo populo in ripis exſpectante trajicerēt: cadaver quoque Splenteri è Phano Martis domum patris ſui erat tranſlatum. S. Suidbertus autem ad cadaver accedens ſtatim in conſpectu omnium & coram Idolorum flaminibus adeſſe juſsis, flexit genua & alta voce precari cœpit his verbis: Domine Ieſu Chriſte, qui refugium « factus es nobis, inclina aurem tuam ad preces noſtras, ut « reveletur hominibus iſtis gloria tua, & prædicetur & glo- « rificetur ab incredulis nomen ſanctū tuum, ut intelligant « non eſſe vanam fidem noſtram & non eſſe alium Deum « præter te, cujus pietas non habeat finem, nec dona mēſu- « ram: & reſuſcita ad gloriam & honorē nominis tui hunc « ſervum tuum Diabolica fraude deluſum, ut ſciant, om- « nia Idola, quæ pro Diis colunt, ſtatuas eſſe dæmoniis ple- « nas, & videntes virtutem pietatis tuæ credant ac in te ſal- « vi fiant. Quibus enixè dictis, ſurgens S. Suidbertus « plenus in Chriſtum fiduciæ, ait: Domine Ieſu Chriſte mœ- « ſtorum conſolator, qui dixiſti: omnis, qui credit in me, « opera quæ ego facio & ipſe faciet & majora his, Domine Sapientiſsime Deus qui ad fletum ſanctarum ſororum Mariæ Magdalenæ & Marthæ Lazarum jam quatriduo mortuum reſuſcitaſti, reſuſcita & hunc in nomine tuo, oſtendendo potentiam divinitatis tuæ: ſimulque accipiens ſubmerſi dexteram, in nomine (inquit) Domini noſtri Ieſu Chriſti crucifixi Dei omnipotentis dico tibi, ut ſurgas & vivas & confitearis creatorem tuum. Ad quæ verba defunctus confeſtim aperiens oculos ſuos, quaſi de gravi ſomno experrectus, ſuſpirans reſurrexit, amplectenſque

Euang: Nunc:

ſancti viri pedes cum gemitu magno clamavit : Non eſt Deus alius in cœlo nec in terra quàm Ieſus Chriſtus Crucifixus, quem prædicat ſanctiſsimus ſervus ejus Suidbertus, ad cujus preces ille me pro ſua miſericordia vitæ reſtituit. Cæteri, qui aderant, novitate tantæ rei attoniti primùm ſtupere, deinde ſummam Dei potentiam in Chriſto Ieſu magnificis efferre præconiis & ſe tandem ad Chriſtianam fidem amplectẽdam cum gaudio præparare. Scribit enim S. Marcellinus eodem die Splenterum cum parentibus ſuis ac propinquis, numero ad centum viginti ſex præter pueros, ſacroſancto baptiſmo perfuſos: & poſtridie concionantem S. Suidbertum de lapſu primorum parentum ac reparatione ejus deque piorum præmiis ac impiorum pœnis totam fere civitatem ad Chriſti fidem oratione ſua convertiſſe & Lavacro initiaſſe. Erat autem tunc temporis civitas illa adhuc pagana, quamvis in ditione regis Franciæ & Ducis Pipini eſſet, ſæpiuſque de Chriſto inaudiverat à vicinis ſuis in Brabantia, Flandria ac Hollandia habitantibus, qui jamdudum Chriſto parebant & ſuo exemplo doctrinam Euangelicam commodè juvabant. Atque hæc quidem tum S. Suidberti opera erant
697. mirabilia quæ etiamnunc impios ad fidem habendam Chriſto permovere debeant. Anno autem ſexcenteſimo nonageſimo ſeptimo S. Willebrordus tandem Roma rediit in Germaniam à Sergio Pontifice Archiepiſcopus Phriſiorum, & mutato nomine Clemens appellatus: Ei Embricam Cliviæ civitatem uſque profectus eſt obviam S. Suidbertus cum clero & diſcipulis ſuis chriſtianis, ipsũque cum multa gratulatione & honore Vltrajectum reduxit: ubi cùm inter ſe cõſalutaſſent & quæ hinc inde evenerant commemoraſſent, unanimes conſtituerunt eodem anno in ruderibus phani divo Thomæ ſacri novum cum templo exſtruere cœnobium; idque conſummatum in honorem D. Martini Thuronenſis ſimul conſecrarunt,

*S. VVillebrordus à Sergio Papa Clemẽs dictus redit Vltrajectum Archiepiſcopus Friſiorum.*

S. Thomæ templ: inst: & Can:

prout

prout tum ferebat conſuetudo: S. Willebrordus quoque in illo Phriſonici Archiepiſcopatus cathedram collocavit, quemadmodum à Pontifice Romano & Pipino Duce erat juſſus. Quamvis autem S. Suidbertus S. Willebrordum tēpore præcederet & multa præclara in opere Domini ante ipſum effeciſſet, priores tamen partes ſemper is S. Willebrordo detulit, eò quòd S. Willebrordus ipſum dignitate vinceret, utpote, qui & Archiepiſcopus à Papa dictus & à Pipino oppido Vltrajecto eſſet donatus. Quamobrem nec ullum inter ipſos in tota vita diſsidium fuit. Enimverò S. Suidbertus non alio quàm coëpiſcopi nomine, & ut collega S. Willebrordi eſt unquam honeſtatus: quo titulo ille contentus citra æmulationem piè vixit nunquam modeſtiæ terminos tranſgreſſus.

Anno autem ſexcenteſimo nonageſimo ſexto, habitabat in VVarnza vico Phriſiæ non ignobili, bellicoſus quidam copiarum dux Gerlacus, qui Suſannam Radbodi Friſiorum Regis cognatam duxerat uxorem, & ex ea filium unicum ſuſtulerat Popponem. Is non tam ob rei militaris peritiam, qua plurimum valebat, quàm ob eruditionem & eloquentiam regi Radbodo jucundus erat & acceptus: Poſsidebat autem ditionem ſuam ad oceanum ſeptentrionalem circa Albis fluvii oſtia, tenebatque jure fiduciæ à Radbodo Foſtolandiam, quam nunc Heiligerlandiam appellamus: Conſtruxerat autem & in Warnza caſtrum, ut dicitur, firmiſsimum. Quum igitur Rex Radbodus ægrè admodum ferret Vltrajectum ſibi à Pipino duce nuper ereptum à S. VVillebrordo Chriſtianorum antiſtite poſsideri, nec modum inveniret, quo illud jam à Chriſtianis permunitum recuperaret, & tamen ulciſcendi ſui valde eſſet cupidus, inſtigante hoc Gerlaco principe, exercitum coëgit, & eo non in Vltrajectum ſed in Batavodurum movit, ſperans illud oppidum, quandoquidem magna pars civium illic adhuc pagana eſſet, faci-

*696. Gerlacus copiarum ductor apud Radbodum regem.*

697 Radbodus a Pipino vincitur et cogitur Ecclesiam admittere in Frisiam

lè venturum in poteſtatem ob religionis ſimilitudinem, & illo capto Vltrajectum, non longè ab illo ſitum, fame ad deditionem cogi poſſe. Verum ſpe ſua fruſtratus Radbodus à Pipino duce ita eſt inde depulſus, ut victo ſimilis dare manus & religionem Chriſtianā in ſuis ditionibus admittere fuerit coactus. Id factum teſtantur anno ſexcenteſimo nonageſimo ſeptimo, Fredegarius in appendice ad Gregorium Thuronenſem & Iohannes filius in ſuo Franciæ chronico. Pipinus Craſſus Brabantiæ Dux hac victoria lætus, cum multa præda ac ſpoliis domum quidem eſt reverſus, ſed paulò poſt filium ſuum natu maximum Drogonem Campaniæ Ducem fato amiſit, & Auguſtæ Mediomatricum in baſilica S. Arnulphi ſepelivit, ſic mœſta lætis miſcente divina providentia, ut animum ejus libidine incenſum ad rationes modeſtiæ revocaret. Verùm res ſecundæ animum ejus occupaverant. His enim elatior factus, poſthabito Dei metu, in vitium præcipitavit, & ex Alpaide concubina, Plectrude legittima uxore adhuc ſuperſtite, Carolum Martellum genuit, qui liberis legittimis morte extinctis, ei poſteà in bonis & dignitate ſucceſſor fuit. Sequenti anno divus Lambertus Trajectenſium ad Moſam Epiſcopus, ab exilio domum revocatus libidinem Pipini reprehendere eſt auſus, & viciſſet fortè admonitione ſua Pipini animum, niſi à pellice ſubornatus impius ejus frater Dodo Araniæ Comes ſanctum virum paſsis manibus ante aram Coſmæ & Damiani martyrum Leodici orantem per ſatellites ſuos è vita ſuſtuliſſet, & unà cum eo Petrum & Andoletum ſancti viri conſanguineos. Illo enim ſublato Dux Pipinus reſipiſcere non potuit, ſed in peccato perſeveravit: Imperavit tamen S. VVillebrordo, ut pro viribus Euangelium Chriſti in Phriſia promoveret, propoſitis etiam præmiis ad permovendum idoneis, ut quamplurimi Chriſto nomen dare vellent. Quod ejus mandatum S. VVillebrordus

*Pipinus craſſus libidinosè vivens à D. Lamberto reprehenditur.*

Euang: in Fris.

brordus ſumma cum diligentia exequi conatus fuit. Hoc enim eodem anno 698, & deinceps multos pietate & doctrina inſignes viros per univerſam Phriſiã dimiſit ad prædicandum verbum Dei, ſed propter populi obſtinationẽ & Regis crudelitatem parvos in eo fecit progreſſus. Qui enim miſsi erant aut à populo ſunt crudeliter necati, aut contumeliis affecti, aut à Rege ipſo provincia ejecti: perſeverantia tamen ſua hoc aſſecuti ſunt, ut Theodoſindà Radbodi filia à paganiſmo ad Chriſtum tranſiret, & anno ſequenti Grimoaldo Pipini Ducis juniori filio nuberet.

Theodosinda Radb. filia Christiana fit. nubit filio Pipini Grim.

699. Sacrilegus autem ille S. Lamberti interfector Dodo, paulò poſt cædem commiſſam toto corpore vermiculante in furorem actus, ſeipſum in Moſam fluvium dejecit: cæteri quoque ejus ſcelerati facinoris ſocii intra anni ſpacium miſerabiliter perierunt, clientem ſuum divina nemeſi ulciſcente.

*Dodo interfector D. Lamberti in furorẽ actus.*

700. Anno ſeptingenteſimo Dux Gerlacus nomine Radbodi regis ingentem rurſus conſcripſit exercitum, eumq́ue rectà in Vltrajectum duxit, ut victoriam ad Batavodurum nuper amiſſam melioribus auſpiciis repararet. Sed labor ejus irritus fuit, cùm rem omnem S. VVillebrordus Pipino duci aperuiſſet. Pipinus enim mox cum copiis ſuis præſto fuit & commiſſo prælio Gerlacum multis vulneribus confectum, ſoluta Vltrajecti obſidione in Phriſiam recedere coëgit.

*Gerlacus in Vltrajectum ducit*

Eodem hoc anno Vulfrannus Epiſcopus Senonenſis divinitus primum, ut putatur, in ſomnis admonitus, deinde juſſu regis Francorum Childeberti, & Pipini principis in Phriſiam eſt profectus, ut regem Radbodum & ſubditos ejus ad fidem Chriſti converteret & S. Willebrordi in opere Domini adjutor eſſet. Cùm autem regio diplomate adverſus violentiam eſſet munitus, & ipſi regi Radbodo commendatus, ab eo ad prædicandum Dei verbum non difficulter fuit admiſsus, cumq́ue eloquentia

*Vulfrannus Epiſcopus Senonenſis, in Friſiam venit.*

Evang: Fris: a Vulfranno

præſtaret, tantum apud populum atq; adeò ipſum regem effecit, ut multi Chriſto nomen darent, & ipſe Rex ad ſuſcipiendum baptiſmatis ſacramentum ſe ultrò offerret. Verſabatur autem tum temporis rex Radbodus Medenblici in Weſtphriſiæ oppido etiamnunc ſuperſtite. Die igitur conſtituto cùm Epiſcopus & rex urbe exiiſſent ad aquam baptiſmo diſtinatam, ibi rex ſtans altero pede in lacu Epiſcopum interrogat, ubinam eſſent majores ſui omnes qui hactenus vixerant, & aqua tincti non fuerant. Cumque reſpondens Epiſcopus retuliſſet eos, qui citra veri Dei cognitionem & ſacramentorum ejus eſſent mortui; in orco eſſe, quia extra Dei notitiam non eſſet ſalus, tum rex paululum meditatus: Plauſibilius mihi, inquit, & honeſtius erit unà cum majorum meorum frequentiori turba apud inferos verſari, quàm cum exili Chriſtianorum popello in paradiſo conſpici, ſimulque retracto ex aqua celeriter pede & Epiſcopum deriſit falſiſsimè & ab eo baptizari noluit.

*Radbodus Rex à baptiſmo ſe retrahit*

Humane Sacrifice

Non multo poſt hanc rem, evenit, ut tempus ſacri anniverſarii incurreret, quo ãtiqua cõſuetudine ſingulis annis homo aliquis diis patriis immolabatur, utq; in præſentia Epiſcopi pro more jacta ſors, ſuper quendã Onnonẽ adoleſcentem forma ac ſtatura egregium caderet, quem rex in honorẽ Deorũ mox ſuſpendi juberet. Eo conſpecto Epiſcopus ſummopere indoluit ob cęcitatẽ, populiq; errorẽ. Proinde regẽ ſollicitè admodũ & obnixè rogat, ut is adoleſcens ſibi condonaretur. Cùm autem reſponderet Epiſcipo rex inveteratam hanc eſſe conſuetudinem, quæ mutari non poſſet, interim tamen ſe eum ipſi condonare, ſi tantum apud Deum ſuum poſſet, ut ſuſpendio adoleſcẽs non periret, ibi Epiſcopus magna in Chriſtum fiducia concepta, votis ardentibus Deum precatur, ut hunc adoleſcentem innoxium in gloriã nominis ſui à morte conſervet, precibuſque à Deo impetrat quod ab impio rege

N

impe-

impetrare non potuerat. Nam & laqueo fracto adoleſcens decidit & Vulfranno Epiſcopo donatus ad Chriſtum perductus eſt, ab eoque inſtitutus & ſalutaris lavacri aqua perfuſus in Fontanellæ monaſterio presbyter Deo digna converſatione vitam terminavit.

*Ovvo ſuſpenſus per Vulfrannum à morte liberatur.*

Radbodus verò rex viſo hoc miraculo iterum commotus in ſe, petiit ab Epiſcopo baptizari: cæterùm Epiſcopus, veritus non ex ſyncero corde procedere hoc deſiderium, diu in ancipiti hæſit, quidnam faceret, tandemque ad S. Willebrordum ſcripſit ut ſuam in hac re ſententiam interponeret. Willebrordus autem paucis verbis reſcripſit ſe in viſione vidiſse regem catenis igneis conſtrictum, unde facilè intelligeret eum jam ad inferos eſse condemnatum. Vulfrannus id legens triſtitia affectus eſt & ſine mora regi indicavit, ſi fortè ille ſe adhuc converteret & acta pænitentia emendaret. Rex verò Epiſcopum ſuaviter deriſit & ſuum negotium agere juſsit, cùm multi ſubditorum ad ipſum cōfluerent & in Album Chriſtianorum referrentur. Vulfrannus autem poſt quinquennalem in Phriſia peregrinationem regis obſtinationem miſeratus in Franciam rediit, & Fontanellæ monaſterio ſe incluſit, ubi anno demum ſeptingenteſimo viceſimo eſt mortuus, ut ex Iona Fontanellio in indiculo Sanctorum Belgii Iohannes Molanus Lovanienſis eſt auctor.

*Vulfrannus poſt quinquennium redit in Franciam.*

Anno ſeptingenteſimo ſecundo Dux Gerlacus filium ſuum Popponem in aulam regis Radbodi introduxit, ubi primùm literis, deinde armis exercitatus eſt anno ætatis ſuæ nono. Is cùm eſset regis cognata Suſanna natus & adoleſcens eleganti forma præditus, regi admodum charus fuit & multa apud ipſum poſteà gratia valuit. 702.

*Poppo Gerlaci ducis filius ad aulam Radbodi deducitur.*

Erat Radbodo regi filia Bolſuina nomine, virgo formoſa & bene morata. Hanc Harialto Dockenburgico viro nobili dederat uxorem, & una cum ea ditionem

Tecken-

Teckenburgenſem commiſerat regendam : idque anno
707. Harialtus autem cùm eſſet pro generis ſui digni-
707. tate & literis humanioribus imbutus & militaribus exer-
citiis probè inſtructus, apud Radbodum regem, ut par e-
rat magni æſtimabatur; proinde, cùm anno 709, Batavi
magno numero Phriſiam occidentalem invaderent, & Dux
709. Gerlacus adverſa valetudine impediretur, Radbodus Ha-
rialtum exercitui ſuo præpoſuit, ut Batavos irruentes re-
pelleret. Quod quidem ille magna animi alacritate fe-
cit pro viribus: ſed cùm ad Auſtrozephyrum Medenblici
pugna commiſsa multi utrimque caderent, & victoria
potiti Batavi Friſiis fugientibus tanta contentione inſta-
rent, ut unà cum rege portas Medenblici occupaturi vide-
rentur, ſolus Harialtus adverſus vim hoſtium in ponte
ſubſtitit, eoſque tam diu ſuſtinuit donec rex cum ſuis ur-
bem eſſet ingreſsus. Eo ſervato Harialtus portas claudi
juſsit, & ipſe, ut erat armatus, de ponte in ſoſsam urbis
deſiliit, ſe enataturum confidens. Sed vulnerum multitu-
dine debilitatus & armorum pondere depreſsus, antequã
à ſuis habere poſset auxilium, in aquis cum ingenti regis
& omnium aſpectantium dolore ſuffocatus interiit. Rex
mortuum diu luxit & Medenblici cum maximo honore
ſepelivit, erecta in perpetuam nominis ejus memoriam
excelſa columna cum inſcriptione præſtitæ virtutis.

*Harialtus Bolſuinæ maritus Radbodũ ab inimicis tutatur.*

Erat Harialto filius unicus nomine Gordianus qui hoc
tempore in regis Daniæ aula verſabatur, eo à matre mox
in patriam revocatus & Stavoram ad regem avum miſ-
ſus in patris locum ab eo ſuffectus eſt. Qua de re Tec-
kenburgenſes maximè ſunt lætati quòd filium patri ſimi-
lem fore exiſtimabant. Nec eos ſpes fefellit. Anno
enim 712, Gordianus voluntate & conſenſu regis valido
712. congregato exercitu ad mortem patris vindicandam Ba-
tavos aggreſſus, magnis calamitatibus affecit, nullo nec ſe-
xus nec ætatis habito diſcrimine, omnes, quos potuit, in-
terfecit

*Gordianus Harialti filius Batavos ulciſcitur.*

terfecit, provinciam ipſam flammis ferroque vaſtavit, vaſtatam ſpoliavit ſpoliiſque ditatus ad ſuos reverſus eſt, non reverſurus alioqui tam citò, niſi legati Ducis Pipini in Suevos ducentis apud Radbodum obtinuiſſent, ut eum à progreſſu ulteriori revocaret, qui jam etiam Vltrajectum cingere obſidione cœperat.

Scriptum extat in annalibus ad annum 713, Bolſuinam 713.
Radbodi regis filiam oppidum condidiſſe dimidio ferè miliari à maris ſinu medio & de ſuo nomine appellaſſe Bolſuerdiam, quaſi Bolſuinæ inſulam. Dederat enim illi rex, ut ajunt, in eo loco amœniſsimum prædium ad habitandum, quandoquidem ob maritum amiſſum in Teckenburgo vivere jucundè non poterat. Sed mihi hoc non perſuadent, qui ſciam Bolſuerdiæ civitatis initia recentiora eſse, quàm ut ad Bolſuinam referri poſsint. Deinde & vetus ſcriptura aliud ejus etymon indicat: Scribitur enim plenis literis antiquè Bodelſvveerdt & non Bolſuinavveerdt. Fuit autem Bodel, quod profundum ſignificat, ut & Burdo, nomen priſcum ſinus illius mediterranei, qui tractu temporis alluvione oppilatus, nunc terra nova dicitur: ad quem Bolſuardia condita ab eo nomen accepit, ut quaſi Bodelis inſula vocaretur, quemadmodum in deſcriptione Phriſiæ latiùs explicavimus. Bolſuardia ſanè à parvis initiis progreſſu temporis valde crevit, cùm totus ille Phriſiæ tractus, qui ad occidentem ſinus illius poſitus Weſtrachia vocabatur, merces ſuas eò mitteret, ut inde porrò ad metropolim Stavoram tranſmitterentur: Variam verò fortunam experta, ſæpe à Danis, à Normannis, à civibus, ab hoſtibus incendio deformata, ſemper tamen reſtituta luculentior evaſit, tertiam à Stavora inter Phriſiæ oppida antiquitatis palmam ducens.

*Grimoaldus Pipini filius à Rangario Radbodi ſatellite occiditur.*

Eodem anno Grimoaldus Pipini Ducis filius minor natu à Rangario Friſio Radbodi regis ſatellite Leodici an-

753.



te aras D. Lamberti inter preces eſt trucidatus. Fama eſt percuſsorem à Radbodo ſubmiſsum, quia Grimoaldum ob nuptias cum filia Theodoſinda ſe invito contractas odio haberet, vel quia parum caſtè Grimoaldus in conjugio viveret & uxorem ſuam Radbodi filiam parvi faceret. Pipinus morte filii audita in magno luctu fuit: attamen Theobaldum nothum in præfectura regis Dagoberti Grimoaldo patri ſubſtituit. Erat autem Pipinus cum Alpaide concubina ſua tunc in arce Iopilia quæ ſupra Trajectum ad Moſæ fluminis dexteram ripam eſt ſita. Quocirca cùm ob filios legittimos amiſsos valde conflictaretur & non ſolùm animo, verùm etiam ſenio & corporis infirmitate laboraret adeò, ut in mortis periculo verſaretur: S. Suidbertum ad ſe evocari Verdâ juſsit, ut aliqua conſolatione in hac rerum adverſitate confirmaretur. S. Suidbertus autem nuntio accepto nihil cunctatus, priùs tamen Coloniam ad Plectrudem eſt profectus, ut & illius animum cognoſceret, ſiquid ad maritum perferri vellet: habebat ſecum itineris comitem Villericum preſbyterum. Plectrudis mulier prudens ac religioſa cùm cauſam adventus eorum didiciſset, Villericum apud ſe Coloniæ retinuit, Suidbertum cum Agilulfo Archiepiſcopo Colonienſi ad Pipinum ire voluit, cum mandatis ut virum extremè laborantem ſalutarent monerentque ut ſuæ ſalutis habita ratione pellicem Alpaidem demitteret, reducta ſua legittima conjuge, aut ſi id nollet, ſaltem ne committeret, ut cum detrimento procerum ac legittimorum hæredum filius ei nothus in principatu Auſtraſiæ ſuccederet. Archiepiſcopus & S. Suidbertus, ubi ad Pipinum acceſserunt humaniter quidem primò ſunt ſuſcepti & bene habiti, cùm ipſum in rebus ſuis adverſis ac mærore luculentè conſolarentur, at ubi data occaſione de Plectrude reducenda cœperunt verba facere, ægrè ſunt auditi: imò cùm eorum conſilia Alpais cognoviſset,

eos

eos abire extemplò juſsit & Iopilia ejecit: Quæ deinde Pipinum blanditiis atq; precibus eò induxit, ut Carolum filium ſuum omnium bonorum ſcriberet hæredem. Quo facto Pipinus etiam anno Chriſti ſeptingenteſimo quarto atque decimo, die decimo ſexto Decembris è vivis exceſsit: cùm in Auſtraſia & regno Franciæ totos viginti ſeptem annos principatum obtinuiſſet, & quamvis non regio nomine, regia tamen poteſtate ibidem eſſet dominatus. Reges enim Francorum jam inde à Dagoberto primo & Lothario ejus patre omnem regni curam in aulæ magiſtros transferre erant ſoliti, cùm ipſi ſe domi occultarent & totos crapulæ ac veneri dederent, nunquam prodeuntes in publicum niſi Kalendis Maii, carpento bobus tracto vecti, ut à populo velut Dii ex machina apparentes, dona ac munera caperent. Hinc illorum magiſtri in publico noti & illuſtres omnia pro poteſtate regia agere, bellum & pacem dare, leges & jura condere, & omnem rempublicam pro arbitrio gerere. Ea re factum ut domus Landeſia creſceret, quæ Pipinos atque Carolos Franciæ dedit viros ſtrenuos ac frugi, qui regis luxu perditos ſolio ejecerunt, ut ſuo exemplo poſteros admoneant, quàm periculoſum ſit in unam domum totius regni beneficia congerere. Enimverò non ſolùm ignavia & vitæ diſſolutio reges depreſsit & præfectos eorum extulit: ſed & religionis in magiſtris ſtudium & ſacri ordinis, præſertim Romani perpetuus cultus illas ad ſummas honorum apices pedetentim evexit: Quemadmodum & nunc hujuſmodi ſementes ſeri, etiam mutato pallio & meſſes meti, quotidie cernimus ab iis, qui ad magna contendunt.

*A.C.714. die 16. decemb. Pipinus craſſus moritur.*

Plectrudis autem audita mariti morte primò quidem magnopere doluit, verùm ubi de teſtamento ejus cognovit, admodum indignè tulit Carolum pellicis ſuæ filium Auſtraſiæ hæredem ab ipſo inſtitutum. Quia verò lo-

*Plectrudis vidua Pipini Carolum Martellum in vinculis habet Coloniæ.*

cuples erat atque potens & jam cum Theobaldo Grimoaldi filio notho, in adminiſtrationem regni Franciæ, ſub Dagoberto rege, ejus nominis ſecundo, ſe immiſcuerat, Carolum prædictum capi jubet & Coloniæ Agrippinæ in publica cuſtodia conſtringi, in eo à marito acceptam contumeliam haud dubiè vindicatura, niſi Deus obſtitiſſet. At Franci muliebre imperium non ferentes, ut rebus gerendis auctoritatem concilient monaſterio extrahunt Dagoberti fratrem Danielem, quem Chilpericum nominant, ſibique regem conſtituunt: Aulæ verò ejus magiſtrũ adjungunt Raginfridum, virum apud Francos nobilitate illuſtrem: qui citra longam moram officii ſui ſatagens, congregato exercitu apud ſilvam Cociam Theobaldum cum Plectrude in procinctu nactus, ſine magno negotio ſuperat & regni præfectura exuit. Radbodus etiam rex Phriſiæ ſive à Chilperico in fœdus aſcitus, ut plerique exiſtimant, ſive morte Pipini illectus, ut injurias ab ipſo acceptas ulciſceretur, in omnem occaſionem intentus, jam prope Coloniam armata manu venerat & prædis agendis illi viciniæ erat moleſtus: Tum Carolus Pipini nothus rupta cuſtodia, divino inſtinctu motus arma comparat & ſtatim in Radbodum ducit: Verùm ab Veterano Duce victus, non modicum ſui exercitus detrimentum accipit. Radbodus autem etſi victoria potitus, retrocesſit, & in Phriſiam cum ſpoliis eſt reverſus. Carolus ſtrage ſua major, mortuo tum temporis Dagoberto ſecundo, exercitum diſperſum recolligit & totum fere annum à pugna abſtinet. Anno vertente Chilpericus rex Franciæ & Raginfridus aulę prefectus magnis copiis in fines Colonienſium irruunt, regioneſq; Rheno vicinas prædis exhauriunt, & niſi muneribus à Plectrude placati, in Franciam revertuntur, intereà apud Phriſios Dux Gerlacus moritur ex tabe: filius ejus Poppo in locũ patris ſufficitur: & Sibblo Popponis fil. aulæ regis aſſcribitur. Carolus autem re-

*Carolus elapſus vinculis in Radbodum ducit ſed vincitur.*

Gerlacus moritur Poppo ſucc: Sibblo

colleсto

collecto exercitu amiciſque quamplurimis ſibi comiter adjunctis, in occaſionem recuperandæ paternæ dignitatis ſeriò intentus, ubi cognoſcit Raginfridum cum ſuo rege ſpoliis Auſtraſiæ onuſtum atque ſaturum diſſolutius in- 717
cedere, quàm militaris diſciplina patiatur, ſibi vigilandũ & properandum ratus, anno ſeptingenteſimo decimo ſeptimo, duodecimo Kal. Aprilis eos ex improviſo in Vinciaco circa Camaracum vico obruit, cædit & fugat, fugientéſque uſque Pariſios civitatem perſequitur. Victor ſpoliis ditatus comperto Plectrudem cum Theobaldo Coloniæ verſari eamque non difficulter in poteſtatem venturam, ſi vis adhiberetur, ſequenti anno copias ſuas eò convertit & per factionem ſuam intra mœnia tumultu concitato urbem ingreditur, Theſauros patris recipit, Plectrudẽ & Theobaldum in gratiã admittit, nec alia vindicta afficit, unum monet, ut otium agant, & a republica abſtineant; nec quicquam in ea commoliantur injuſſu ſuo. Ea ultio generoſo animo viſa eſt ſatis. Deinde ut & ipſe rerum gerendarum auctorem habeat, Clotarium Dagoberti filium ſibi regem adoptat, & quidem meliore auſpicio & jure quàm Franci, qui ſpretis defuncti regis Dagoberti liberis fratrem ejus prætulerant. Ex quo iterum apparet, quàm parvi reges fierent, ut qui nomine tantùm & non poteſtate reges eſſent, & à miniſtris regni conſtituerentur pro commodo ipſorum. Chilpericus autem rex Francorum & præfectus ejus Raginfridus anno ſuperiore victi ad Endonem Aquitaniæ ducem confugerant, ut ejus ſubſidiis adverſus Carolum juvarentur: quocirca hoc anno octavo decimo, poſt ſeptin- 718.
genteſimum ab illo copiis inſtructi in Carolum rurſus expeditionem ſuſcipiunt: verùm à Carolo celeriter ſuperati, terga vertunt & in diverſa diſsipantur. Eodem anno Radbodus Friſiæ rex Othildam filiam ſuam Gormoni Daniæ regi Harialdi filio deſpondet, deſponſamque magna

*Carolus vincit regem Franciæ Chilpericum.*

*Theſauros patris recipit.*

Radbodus filiam filio Reg. Dan. elocat.

ſolemnitate in Daniam tranſmittit . Anno ſequenti
Radbodus jamdudum æger animo, ac inde à morte Gri-
719. moaldi generi ſui conſcientiæ morſu totum ſexennium
æſtuans, ac mœrens è vita migrat, quemadmodum in vita
Lutgeri habetur ſcriptum, & alioqui per ſe & ex vita ejus
ſit veriſimile. Nam cùm videret Deos ſuos, quos im-
penſe colebat, paſsim à populo explodi, religionem con-
trà Chriſtianam efflоreſcere, hoſtes quoque ſuos, quos
ſummoperè offenderat, ubique vincere, ſe ſuumque re-
gnum ad tempus prædæ ſepoſitum; quid aliud de morte
ejus ſuſpicari poſſumus, quàm animi mærore eam pro-
veniſſe? Ambitioſus ſanè Radbodus erat & valde per-
tinax, cui quid potuit accidere triſtius, quàm conſilio
non reſpondere eventum? Quod autem plærique ſcri-
bunt ipſum triduo, poſtquam ex lavacro retraxiſſet pe-
dem, à diabolo faſcinatum, repente exſpiraſſe, id & tem-
poris ratione & perſonarum, quæ adfuiſſe memorantur,
non poteſt conſiſtere. Nam cùm dicant hoc apud Vul-
frannum Epiſcopum Senonenſem eſſe factum; Vulfran-
nus autem anno ſeptingenteſimo in Phriſiam venerit, nec
ultra quinquennium ibi ſit moratus; Radbodus verò an-
no poſt ſeptingenteſimum decimo quinto, cum Carolo
Martello apud Coloniam Agrippinam decertaverit, quis
non videt falſum eſſe id, quod de ipſius ſubita morte ſub
Vulfranno facta illi boni viri comminiſcuntur. Mor-
719. *Radbodus moritur.* tuum quoque eſſe Radbodum anno ſeptingenteſimo de-
decimo nono, & non decimo octavo aut viceſimo tertio,
ut iidem auctores volunt, auctor mihi eſt certiſsimus Re-
gino Monachus Prumienſis, qui ait Carolum Martellum
anno quadrageſimo primo, poſt ſeptingenteſimum è vi-
vis exceſsiſſe, cùm imperaſset annos viginti ſex: cœpiſſe
igitur anno decimo quinto exacto ejus principatum; cu-
jus anno quarto Radbodum ut tyrannum divino nutu
percuſſum ſcribit. Imperavit autem Radbodus rex Phri-

ſiis

ſtis ſuis annos quadraginta & unum: Medenblici mortuus & Stavoræ apud majores ſuos ſolenniter ſepultus: ſub quo Phriſia parum ad ſtatus ſui emendationem eſt progreſſa, bellis & oceani fluctibus ipſam quotidie quaſi exagitantibus. Nam & colles quamplurimos ad æſtus maris evitationem hoc tempore conſtruxiſſe dicitur & continenter cum vicinis, præcipuè Francis inimicitias ob religionem exercuiſſe, rege ipſius ſemper in militiam & paganiſmum intento. Fuere Radbodo liberi novem, quorum quatuor mares & quinque fæminæ. 759 Stavora ſepultus colles facta

Ex his Melchior ſive Melgerus & Radbodus patri cognominis, patris morte conſternati Chriſto dedêre nomẽ, ſed paulò poſt ſuſceptum baptiſmum reliquere vivos. Adgillus autem natorum maximus regno à ſubditis inauguratus Chriſtianam religionem ſuſcepit & eam propagari in ſuo regno eſt paſſus: Hornum quoq; fratrem nothum, quamvis præfractiorem ſuis monitis ad Chriſtum perduxit ut poſteà dicemus. De Bolſuina, Theodoſinda, & Othilda Radbodi filiabus ſupra mentionem fecimus: ea hic repetere non eſt animus nec operæ precium. Reſtant adhuc duæ, quarum altera Heila nomine Edelhardo Saxonum Duci Witekindi magni patruo nupta Albionem Holtſatiæ Ducem peperit, qui unà cum Witekindo patruele contra Carolum Magnum continenter bellum geſsit: altera, cujus nomen ſcriptorum memoriæ excidit, Bertholdo Angrivariæ duci in matrimonium collocata Diedericum & Aſvvinum principes ad Viſurgim reliquit, ut Saxonum hiſtoriæ magno conſenſu referunt. Vixit etiam ſub hoc Radbodo rege Virſungus Ado vir inter Phriſios ea ætate nobilis divi Lutgeri avus, qui tametſi Trinitatis divinæ notitiam non haberet, juſtitiæ tamen cultor erat præclarus. Nam cùm multi ſub Radbodo rege crudeli ac pagano quotidie multa injuſta paterentur nec miniſtri rege ſuo meliores eſſent: ſolus Wirſungus *Radbodi regis liberi* *Virſungus Ado vir nobilis ob juſtitiam Radbodo inviſus.*

opibus pollens atque animo fortis oppreſſos ſublevare ac defendere, ſolus improbitati miniſtrorum reſiſtere audebat. Quocirca etiam à rege tandem occidi juſſus, monitu cujuſdam amici ſui qui apud regem à conſiliis erat, ad Grimoaldum Pipini filium magno ſuo bono profugit. Nam & ab eo, humaniter eſt cum ſuis receptus & ſub ejus tutela Chriſtum doctus, cum uxore ſua Adelgarda & filio Nothgrimo baptiſmum ſuſcepit Chriſti, pro terrenis cœleſtia participans. Radbodus autem rex cùm & Grimoaldi cæde ureretur & felicitate Virſungi, qui jam apud Francos ad ſuum dedecus ob virtutem habebatur in precio, in morbum incidit, quo etiam poſt ſexennium è vita migravit. Intereà pænitentia ductus Virſungum revocare ſtuduit, promittens illi & patrimonii reſtitutionem & dona inſuper ampliſsima, ſi ſecum in gratiam redire vellet, ſed Virſungus Radbodi fidem ſuſpectam habuit; miſit tamen poſteà juramento ejus perſuaſus filium ſuum natu minorem Tyadgrimum nomine, qui bona patris recepit & munera quæ rex promiſerat. Ipſe autem Virſungus uſque ad Radbodi mortem apud Francos manſit, ubi ex uxore ſua Adelgarda præter Nothgrimum, quem in Phriſia genuerat, etiam filium Tyadgrimum & filias novem ſuſtulit. Ipſe à Carolo poſteà Martello apud Trajectum prædio donatus, quod Suabſna primum, deinde Zethne & hodiè Zeiſt vocatur, in eo domicilium collocavit, Sanctoque Willebrordo in religione Chriſtiana propaganda magno fuit adjumento, ut ait Alfridus tertius Epiſcopus Monaſterienſis in vita S. Lutgeri, qui hujus Virſungi ex Tyadgrimo nepos fuit. Cùm aũt & Nothgrimus uxorem duxiſſet Chriſtianã & tres Virſungi filiæ maritos eſſent nactę item Chriſtianos, tota Virſungi progenies & S. Willebrordo primum, ac deinde ejus ſucceſſori S. Bonifacio jucunda fuit, ob pietatẽ, & propter opes apud ſuos honoratiſsima, ut poſteà in Lutgero videbimus.

Virsungus [illegible] accepit a Car. Mart. prædium Zeyst.

An-

Anno autem Chriſti ſeptingenteſimo decimo ſeptimo Kal. Martiis ætatis ſuæ ſexageſimo nono feria ſexta hora duodecima in chriſto moritur S. Suidbertus in monaſterio ſuo Werdenſi, quod ex liberalitate Pipini ac Plectrudis uxoris ejus ad Rhenum, in inſula quam nunc Cæſariaↄnam appellant, conſtruxerat: cum ſua eloquentia & vitæ ſanctimonia multa millia Saxonum, Friſiorum ac Boructuariorum ad fidem Chriſti convertiſſet: poſt mortem & in vita miraculis clarus. Succeſsit ei in opere Domini Willericus presbyter, qui Werdæ præfuit annis decem. Extat adhuc ejus monaſterium & à Canonicis habitatur; ſed non tanta pietate, qua inſtitutum fuit primitus.

*717. S. Suidbertus apud Werdam Cæſaris moritur.*

## CAPUT SEPTIMUM.

### *De Adgillo ſecundo, Friſiorum Rege ſeptimo.*

ANno igitur Chriſti ſeptingenteſimo decimo nono Adgillus Radbodi filius patri ſuffectus, & ſeptimus Friſiorum rex ejus nominis ſecundus à populo inauguratus eſt. Ejus gubernatio pro ætate ſatis fœlix ab initio fuit, quandoquidem nullum bellum à vicinis eſt paſſus. Nam cùm fidei Chriſtianæ ſacramentis eſſet initiatus, pacem perpetuò domi coluit & Euangelii curſum, quoad potuit, in regno ſuo, non impedivit. Neque enim aut Saxones, quamvis pagani, neque Franci, illi moleſtiam fecerunt, carolo Martello in omnes vicinarum gentium motus ſingulari vigilantia & cura continenter intento: qui ideò quoque poſt Radbodi mortem in Friſiam non movit, quòd anno ſtatim ſequenti Lothario Franciæ rege defuncto, in ejus regno conſtituendo majoribuſque deinceps bellorum motibus conſecutis eſſet occupatus. Nam anno ſeptingenteſimo viceſimo, cùm & Hilpericus, quem ab Eudone, Aquitaniæ duce, ſuperiore anno receperat, in fata conceſsiſſet, nec ipſe regnum occupare vellet aut auderet, Theodoricum Calam ſibi Franciæ regem

*Adgillus pacificè in Friſia vivit.*

conſtituit, Ragmfredum Hilperici prætorio præfectum Andegavi capit, & ibidem vivere concedit, Saxoniam vaſtat, Alamannos & Baioarios ſubigit, & Eudone fugato Aquitaniam incendiis deformat, quæ omnia facere deinceps ordine non potuiſſet, ſi ad Friſiam ſubigendam adjeciſset animum. 725 Anno ſanè ſeptingenteſimo viceſimo quinto Friſiam facilè Carolus omiſit, cùm Dux Eudo prædictus armis ejus irritatus, ex Hiſpania Saracenorum auxiliares copias evocaret. Tanta enim illi multitudine Eudonem ſunt ſecuti, ductis ſecum & liberis & conjugibus, ut non bellandi ſed habitandi cauſa in Franciam evolare viderentur: quibus niſi ſingulari prudentia ac fortitudine Carolus tunc occurriſſet, & divinitus eſſet adjutus, de toto regno Franciæ actum fuiſſet ac conclamatum. Cùm enim Saraceni cum rege ſuo Abdirama Hiſpaniis egreſsi Burdegalam ſuperaſſent, templis ubique regni concrematis, populiſque conſumptis, Pictavum uſque veniſſent, ac ſancti Hilarii Baſilica exuſta jam divi Martini fano imminerent, Carolus re comperta, Eudonem anteà inimicum, miſsis legatis, erroris ſui admonuit, ac ut reverſus in gratiam ſimultate depoſita ſecum adverſus communem hoſtem pugnaret, adhortatus eſt, inſtructaque evestigiò acie, tanta alacritate & impetu in Saracenos invaſit, ut ex iis trecenta ſeptuaginta quinque millia unà cum rege ſuo in loco Martinus bellus etiamnunc appellato, trucidaverit, & reliquias eorum Hiſpanias fugâ repetere coegerit, ſuorum non amplius quàm mille quingentis amiſsis. Eo prælio Dux Eudo, Martelli conſilium ſecutus, etiam fortiter ſe geſsit & victoriæ adjutor commodus fuit. Hoc bello tam periculoſo Franciæ ex animi ſententia patrato, Carolus victor ſe otio non tradidit, ſed anno ſtatim ſequenti in Burgundos arma convertit, eoſque ad obedientiam reduxit, Lugduno etiam in ordinem redacto. Quun autem princeps Eudo anno ſeptingenteſimo

*Carolus aliis bellis in Francia occupatus Friſiam non attigit.*

Clades. 375000

teſimo viceſimo octavo, exceſsiſset è vivis, Carolus Aquitaniam ſine labore & ſumptu recepit, & regno Franciæ, cujus erat ac dicebatur princeps, fideliter adjunxit, hactenus de Friſiæ ſtatu parum aut nihil ſollicitus.

Anno ſeptingenteſimo viceſimo ſexto, in Friſiam reverſus erat Hornus illegittimus Radbodi regis defuncti filius, poſtquam ſeptem annis ac dimidio in aula regis Daniæ fuiſset versatus, hic quamvis eſset inſtar patris natura prorsus inquieta, fratris tamen Adgilli jam regis admonitu, factus eſt lenior ac ad fidem Chriſti conversus cœpit in angulo quodam Friſiæ occidentalis oppidulum condere, quod exili vallo & foſsa munitum, ex suo nomine appellavit Hornam: quamquam Occo Scarlenſis referat, ſuspicari quosdam oppido nomen eſse ex ipso angulo, in quo ſitum eſt, cùm primitus non Horne sed Herne vocatum ſit, quod lingua Friſica angulum ſignificat. Utcumque autem hoc ſit, oppidum ipsum anno 747, totum incendio conflagraſse dicitur, ita ut diu in cineribus jacuerit, antequam inſtauraretur: hodie sanè superat & egregium Friſiæ occiduæ habetur emporium.

*Hornus illegittimus Radbodi filius in Friſiam revertitur.*

Anno autem ſeptingenteſimo viceſimo octavo rex Adgillus fratri suo Horno deſpondit Guntherdam Gordiani Tecoburgenſis filiam, quæ hactenus pagana religionem quoque Chriſtianam addidicit ac ſuscepit. Cùm autem illis temporibus Vltrajecti cætus doctorum ac piorum virorum quotidie cresceret, qui religionis propagationem summo deſiderio meditabantur, S. Willebrordus eorum antiſtes, suæ vocationis haud immemor, hisce diebus rursus emiſit aliquot pios verbi divini præcones in Friſiam, ad gregem domini locupletandum, ſed illi quamvis rex ipse & frater ejus Chriſtum profiterentur, exiguum in ea fructum facere potuerunt, ob inſignem pertinaciam gentis in idololatria ſua prorſus obcæcatæ. Peragrabant illi quidem totam Friſiam ſtrenuè & ſecurè,

*Guntherda Gordiani filia deſpondetur Horno*

Euang: Fris.

Richoldum quoque Ducem Popponis cognatum jam Chriſto lucrati videbantur, cùm ille diceret ſe baptizari velle, ſed cùm aquam intraret, incidit ipſi dubitatio, qualem & de Radbodo referunt, ita ut pedem è lavacro retraheret, rogans baptizatorem ſuum plures ne majorum ſuorum apud inferos an apud ſuperos eſſent? cumque ipſi reſponderetur plures eſſe in orco, etiam alterum pedem aqua eduxit, inquiens ſibi honeſtius eſſe complures ſectari quàm pauciores: atque ita morte repentina oppreſſus & de medio ſublatus in Idololatria ſua ſuffocatus perhibetur. Domicilium ejus non longè diſsitum erat à Linga oppido, ubi in monte auguſtiſsimam arcem conſtruxerat, qui etiam arce à Vandalis diruta Richoldi mons appellatus fuit. Hoc tempore Leo Iſauricus imperator de ſuperſtitioſo imaginum cultu ex verbo Dei edoctus, eas publico edicto deponi ac ad ſe deferri juſsit. Hinc nata in populo ſimultas in duas factiones ſtatim abiit; quarum altera cum imperatore imagines damnabat: altera defendebat. Eccleſia Romana jam olim à Phoca imperatore caput atq; princeps omniũ Eccleſiarum declarata publicitus, hanc occaſionem propagandæ ſuæ poteſtatis nacta, imaginibus propugnandis adeò dedit operam, ut ejus flamen Gregorius ſecundus imperatorio edicto non tantùm contradicere, ſed etiam ipſum imperatorem ſua juriſdictione in Italia ſpoliare ſit auſus. Nam & populum ab ejus obedientia abſolvit & tributa ei pendere vetuit, Longebardoſque in provincias ejus invadendi poteſtatem conceſsit, rebus ipſis declarans nihil eſſe in imperio tam firmum, quod Pontifex Romanus tollere nequeat, ſi ipſius inſtituto ſit contrarium. Cùm autem hæc molitio adverſus ſuperiorem, papæ feliciter ſuccederet, Leone imperatore rem diſsimulante vel nolente eo nomine bellum ſuſcipere, papalis reverentia in immenſum cœpit gliſcere & quidlibet in adverſarios ſuos audere. Quocirca

*Richoldus Dux pedem ex Lavacro retrahit: alter Radbodus.*

*De imaginum cultu in imperio Rom. quæſtio.*

circa

circa cùm & in Friſia Poppo Dux & ut videtur regum procurator in paganiſmo perſeveraret, & ſua auctoritate Euangelii progreſſum fortè impediret, clerici autem Romani cum ſuo papa perſecutiones & crucem pertæſi, etiam arma in obſtantes adminiculo principum ſibi devotorum jam movere didiciſſent, quãvis ipſi manibus tractare ferrum vetarentur, Willebrordus quoque, etiamſi mitiſſimus, cerneret, operas ſuas in Friſia incaſſum laborare, meſſem tamen ibi eſſe valde opulentam & ſuæ diœceſi commodam, ſtudio religionis amplificandæ fervens ſine dubio, Carolum quoque Martellum literis induxit, ut Sarracenis jam ejectis, Burgundis & Aquitanis receptis in Friſiam duceret eamque ad obedientiam Chriſti ac Eccleſiæ ſuæ perduceret. Itaque Carolus à ſancto viro perſuaſus & alioqui regno Friſiæ infenſus anno viceſimo nono ingenti claſſe comparata, per Burdonem fluvium Friſios eſt aggreſſus: Popponem Ducem Gerlaci filium in eo ſuperavit: Auſtrachiam ac Weſtrachiam Friſiorum peninſulas vaſtavit: ſtatuas ac delubra Deorum gentilium evertit, conſcidit & incendiis planè ſuſtulit: Magniſque ſpoliis ac præda ditatus domum rediit. Adgillo regnum ſuum tamen permiſit, ſed ut videtur vectigale: quod ex eo apparet, quòd anno 1425, in penuario domus Adelææ inter alia monumẽta etiam nummus aureus eſt inventus qui ab una parte inſcriptum habebat: Adgillus ſecundus, Friſiorum rex, & ab altera: Moneta aurea civitatis Stauerienſis anno 733, Erat autem tum temporis Burdo fluvius, qui & Bodel appellatus, mediterraneo illo in ſinu, qui à parte arctoa apud Berlicomum vicum incipiens Snecam ac Bolſuardiam ultra, Oſtergoam à Weſtergoa diſterminabat, qui nunc alluvionum incrementis oppletus terræ novæ conſecutus eſt nomen, & loco fluctuum marinorum greges armentorum paſcit innumerabiles, vicis etiam quibuſdam egregiè excultus. Quòd autem Ianus Dou-

*Carolus Martellus invadit Friſiam.*

*Iani Douſæ errores.*

ſa Norduici dominus in ſuis Hollandiæ annalibus de repertis à ſe hujus fluvii natalibus gloriatur, id perridiculum mihi ſemper eſt viſum, cùm nomen ejus atque alveus apud Friſios vulgo ſit notiſsimus, quem tamen ipſe ignorat. Miſerandus quoque eſt in tanti ingenii viro manifeſtiſsimus error ibidem commiſſus, cùm ex Amiſtrachia Amelandiam facit, & Auſtrachiæ nec volam hodiè nec veſtigium (quod dicitur) apparere pronunciat. nec minus turpis eſt ejus in re geſta hallucinatio dum ſequutus vitioſam in Aimonio monacho ſcripturam Radbodū regem à Martello cæſum & non Popponem Ducem affirmat. Notum enim eſt illis, qui vitas ſanctorum Lutgeri & Anſcarii aliorumque ejus temporis æqualium legerunt, Auſtrachiam illis auctoribus dici eam Friſiæ partem, quæ nunc Oſtergoa appellatur, & Veſtrachiam pro Veſtergoa apud eoſdem intelligi: quæ ambæ Phriſiæ partes hodieque extant & ſunt nominatiſsimæ. Quemadmodum autem pro Amiſtrachia apud Aimonium Veſtrachia reponenda eſt, ita ex appendice ad Gregorium Thuronenſem, ex qua Aimonius illum locum compilavit, pro Radbodo Dux Poppo reſtituendus, qui utroque in loco fraudulentus, ut etiam videtur fuiſſe, conſiliarius dicitur: quod de Radbodo dici non poteſt. Verum quidem eſt Radbodum regem tertio poſt baptiſmi recuſationem die, ſubita morte non eſſe exſtinctum, quod tamen veteres ita factum retulerunt, verùm inde non ſequitur ipſum à Martello eſſe interfectum. Anno decimo octavo poſt ſeptingenteſimum Martellus Coloniam Agrippinam per factionem ſuam ingreſſus, theſauros patris à Noverca recepit, & in perſequendo Hilperico rege erat occupatus: nec habebat tunc claſſem qua contra Radbodum in Friſia ſuper Burdone pugnare potuerit, ut annales Francorum apertè demonſtrant. Anno quidem nono atque decimo ſupra ſeptingenteſimum

mortuus

mortuus eſt Radbodus non cæſus gladio, ſed ſexennali ægritudine confectus, ut ex vita S. Lutgeri ſuprà demonſtravimus. Si ſententia Iani Douſæ eſt vera, neceſſe eſt Martellum bis ſuper Burdone fluvio cum Phriſiis navali pugna congreſſum, vel ipſius Douſæ teſtimonio, quod tamen nemo antiquorum vel per ſomnium dicere eſt auſus: Uſus autem eſt Carolus in hac in Friſios expeditione inter cæteros etiam opera Eliæ Cralii primi Comitis Clivenſis ex cujus proſapia Teiſterbantiæ & Hollandiæ Comites enati ſunt, ut ſuo loco dicemus. Elias Cralis I comes Cliviæ

Paganis hoc modo in Phriſia à Martello caſtigatis, Willebrordus cum ſuis gaudere & negotium ſuum ſtrenuè ibidem agere, fana in honorem Chriſti & ſanctorum ejus erigere. Nec enim qui ſuperabant Phriſii, amplius ejus doctrinæ aut inſtituto refragari audebant, præſertim cùm viderent & ipſum regem religioni Chriſtanæ ſatis impensè deditum: quò pacem teneret cum Francis & quietem. At Carolus Martellus quaſi ad bellum haud temerè natus, quietem agere non potuit: ſed altero à Saracenis bello ſubitò appetitus ſtatim à pugna navali in Provinciam abire cogitur. Saraceni enim denuò Hiſpaniis exciti magnis agminibus in Galliam Celticam ſe effundebant, ut cladem à Martello acceptam ulciſcerentur. His Gothi in gratiam filiorum Eudonis Aquitaniæ ducis mortui, datis & acceptis obſidibus, ſe ſocietate jungebant: & jam Avenionem provinciæ urbem proditione ceperant. Quo comperto Carolus cum auxiliis & ingentibus copiis eò contendit, urbem captam obſidet & expugnat: multis millibus Saracenorum trucidatis: ſed rex eorum Athinus navicula elabitur, Narbonem occupat, ſed à Martello e veſtigiò circumcingitur. Quod cùm audiſſet Amoræus, Saracenorum alter rex, novas copias in auxilium Athino ducit, verùm priuſquam opem ferre poſſet ad Illiberim à Martello funditus deletur. Athinus re comperta, Narbonem

*Bella Saracenorū in Gallia.*

bonem deſerit, naves conſcendit, ſed in mari naufragium facit. Martellus reliquias Saracenorum terra perſequitur, Nemauſum & Agathen Gothorum oppida exſcindit & ſolo æquat, omnemque eorum regionem in poteſtatem redigit. Franci milites præda ditantur, & exercitiis clariſſimi evadunt. Hæc totis ſeptem continuis à pugna Phriſica annis in illis partibus acta ſunt, ut Annales Francorum à P. Pithæo editi ac Fuldenſis tradunt.

*Vbbonis Emmii errores & anachroniſmi.*

Mirum itaque mihi, quo modo Martellus, bello tam difficili in Saracenos diſtrictus, potuerit intereà cum pleno exercitu in Phriſiam deſcendere, ut bellum, quod anno viceſimo nono inchoatum reliquerat, trigeſimo quarto abſolveret, quemadmodum Vbbo Emmius lib. 4. Decadis primæ reliquit ſcriptum. De duplici Martelli exercitu apud auctores nulla eſt mentio: omnes quoque unius tantùm expeditionis in Phriſiam à Martello factæ meminerunt: quam quidem in diverſos conferunt annos: ſolus Verienſis Comes Hermannus Contractus duas recenſet: quarum alteram in annum viceſimum octavum, alteram in triceſimũ quartum conjicit: ſed contra fidem annalium Francorum, ut ſuprà retuli. Hunc nobilem ſcriptorem vir ſublimis imitatur qui anonymos & obſcuros non curat: quem tamen ob Popponẽ Ducem prehendit, ipſe reprehenſione digniſsimus, utpote qui tam multa in hiſce ſuis narrationibus cõturbet, dum ſine judicio rerum geſtarum tempora confundit: Cumq; ipſe fabulatur in Popponibus, Occonem Scarlenſem rerum patriæ antiquum ſcriptorem, ut fabulatorem hoc ipſo in loco contemnit ac damnat. Scribit Occo Hornum Adgilli regis fratrem anno 731, hoc eſt altero poſt pugnam navalem anno in gravem incidiſſe morbum, ex quo tertia hebdomade poſteà ſit mortuus: Deinde & Sibbonem Popponis ducis filium tertia deinceps hebdomade ſimiliter è vita migraſſe: Adhæc Adgillum regem mortem fratris ſui

magno-

magnopere luxiſſe, quia natura lenis ac manſuetus eſſet & reliquum vitæ, in pace quidem, ſed non ſine dolore tranſegiſſe: & tandem anno ſeptingenteſimo trigeſimo ſeptimo, exceſsiſſe è vita. quæ omnia Vbboni tam vana ſunt, ut ne ſpeciem quidem veri ullam habere videantur. Fatetur Gundobaldum & Radbodum Adgilli liberos patri fuiſſe ſuperſtites. De Adgilli morte dubitat, an ea ante patris Radbodi exceſſum acciderit, quod tamen magis credit, etiamſi ex fide digno ſcriptore hoc dicere non poſſit, ut ipſe, ait. Quaſi verò ipſe fide dignis ſcriptoribus ſit uſus in tot ab ipſo commiſsis in tempore erroribus, qui ex collatione notari poſſunt. Ecquis autem eſt ille bonæ fidei ſcriptor, qui narrat Popponem Wirdumenſem Martelli caſtra ſecutum Ducem pro fide Chriſtiana contra Saracenos in prælio occubuiſſe, Thuroni ſepultum, ac in divos relatum? Popponem item Ducem in acie à Martello cæſum, Adgilli liberis tutorem datum, tranſamaſanum fuiſſe & Vbbonis popularem? Verùm ad hiſtoriam redeo. S. Willebrordus cognomento Clemens Phriſiorum Archiepiſcopus poſt exantlatos in vinea domini ingentes labores, anno Chriſti ſeptingenteſimo triceſimo ſexto, fœliciter obiit, cùm Eccleſiam gubernaſſet ſumma fide ac induſtria annos quadraginta. Ei in cathedra ſucceſsit Vinofridus à Gregorio ſecundo Pontifice Romano dictus Bonifacius. Ex S. Willebrordi ſcola, quæ Vltrajecti tunc erat, velut ex equo Trojano, prodierunt multi Theologi & Chriſtianæ fidei excellentes doctores, qui inde emiſsi in plæriſque Germaniæ locis collapſam Chriſti doctrinam ac diſciplinam ſua moderatione inſtaurarunt. In quorum numero præ cæteris Vinofridus poſt S. Suidbertum facilè palmam obtinet. Vinofridus enim anno 704, ex Anglia primùm, ſtudio religionis promovendę, Vltrajectum venit, ibiq; cum S. Clemente tredecim annos conversatus eſt: inde Phriſios quadriennium do-

*Popp. Wirdumensis*

*736. S. VVillebrordus moritur.*

*Vinofridus S. VVillebrordi ſucceſſor poſteà Bonifacius dictus.*

Boniface

cuit: Quum autem videret ob ignaviam regum & crebra bella licentiam in populo gliſcere, ſacerdotes Chriſti ſuperbire, luxu diffluere, avaritia diſtendi, bona pauperum conſumere, & negotium, non Chriſti, ſed ſuum agere, nec admittere emendationem, ſummopere indoluit: ut autem aliquod huic rei remedium inveniat, ſua ſponte Romam contendit, & rem omnem ad Gregorium ſecundum Pontificem Maximum defert. Pontifex extemplò eum re cognita Chriſtianæ fidei magiſtrum Germaniæ gentibus deſignat, eique mandat, ut Chriſtum ſacraſque utriuſque teſtamenti literas doceat, ut ex diplomate apparet, quod ita ſcriptum eſt: *Gregorius Servus Servorum Dei Vinofrido religioſo ſacerdoti*: „ Ob pietatem ac ſtudium literarum, quæ ab ineunte ætate in te ſita eſſe comperio, docendi Francos & à malis falſiſque ſacerdotibus purgandi provinciam noſtro jure tibi demando. Tu verò non fabulas hominum, nec quæſtum tuum, ſed Chriſtum & ſacras utriuſque teſtamenti literas prædicato. Si qua graviora, quàm ut à te ritè beneque perfici queant, inciderint, ad me deferto. Datum Idibus Maii imperante domino piiſsimo Aug. Leone à Deo coronato, anno tertio imperii eius, indictione ſecunda.

*Anno Ch. 719, Bonifacius Romæ mandatum concionandi accipit.*

Vinofridus hoc mandato inſtructus in Thuringiam & vicinas ei regiones profectus vocationi ſuæ diligenter inſtitit: ac triennio poſt inde Romam ad Gregorium ſecundum pontificem redit, ſuæ legationis rationes explicat, ac dato ſingulari juramento fidelitatis, Epiſcopus Germaniæ ordinatur, mutatoque nomine veteri Bonifacius à Pontifice appellatur, ob beneficia gentibus à fide aberrantibus à ſe præſtita. Deinde literis Carolo Martello cæteriſque Germaniæ principibus ac Pontificibus commendatus, in Germaniam à Papa remittitur: anno Chriſti 721, indictione ſexta.

*721, Bonifacius Epiſcopus ordinatur.*

Bonifacius in provinciam reverſus, ſuum mandatum Pontificibus aperit, falſos ſacerdotes, avaros, impudicos, ſuperbos,

 Bonifac.

perbos, ſordidi quæſtus, libidinis, popularis gloriæ ſectatores, fabularumque præcones, ejuſdemq; farinæ complures exauthorat, dignitatibus movet & devitandos populo monet: veterémque diſciplinam in clero reſtituit. Quod autem fuerit ejus doctrinæ corpus, in literas relatum non eſt: quâ autem formula proceſſerit ex epiſtola Gregorii tertii ad Bavariæ Epiſcopos utcumque cognoſci poteſt. Eam hic quia brevis eſt & non indigna noſtris temporibus, non gravabor adſcribere. *Gregorius ſervus ſervorum Dei dilectiſsimis vobis Epiſcopis in regione Bavariæ:* Continuò, ubi noſtram receperitis epiſtolam, Vdilonem Ducem veſtrum à vobis adiri volo, ut illius edicto conventus ſacerdotum, antiſtitum, procerum, gentiſque indicetur: ibi veros ſacerdotes omnium ſuffragiis vobis cooptate, pravos & criminibus deſignatos exauthorate, concilia pro ſalute Chriſtiani populi bis quotannis juxta Danubium, ubi placuerit, cogite. In hiſce controverſiæ ac cauſæ omnium, ſecundum Chriſti ſervatoris noſtri legem & placita Euangelii Paulique legati Chriſti, cognoſcantur. Omnes concordiam & pacem Chriſtianam operibus comprobent, & juxta Euangelii doctrinam & more Chriſtiano vivant. In omnibus, quemadmodum à Bonifacio edocti eſtis, agite: Oves ſedulò paſcite: Parochos ſæpius viſant Epiſcopi: Presbyteros rectè vivere compellant. Dent denique operam ne lupi tecti pelle ovina ovile irrumpant: Archimyſtes communi omnium ſuffragio delegatur, iſque continuò Romam eat, ut, ſi dignus fuerit qui populo Chriſti præſit, à Romano Pontifice conſecretur. Nemo pravus atque ineptus ſacris admoveatur. Cum Eccleſiaſticis opibus cæleſti lavacro ita fieri par eſt, ſicuti Gregorius prædeceſſor meus ſtatuit. Nemo ſcortum aut concubinam alat: quiſque aut caſtè vivat aut uxorem ducat, quam repudiare fas non eſto. Nihil immundum in cibis judicetur, niſi

ſimulachris falſorum Deorum immolatum. Somnia, „ auguria, incantationes, dieſque nullus obſervet. Diſſi- „ dentium donaria aris ac ſacris ædibus arceantur, nec ea ſa- „ cerdotes recipiant, niſi illi reconciliati fuerint: Nemo „ ſe perfectum, nemo juſtulum, nemo ſanctulum eſſe con- „ fidat. Tota vita Chriſtiana pænitentia eſt & bellum: Im- „ becilli & homines ſumus. Omnes egemus clementia „ Dei optimi Maximi: quæ ſit cum omnibus vobis, amen. Hoc pontificium ſcriptum illicò ſeria Eccleſiæ reformatio ſecuta eſt, quam paulò poſt idem ille Gregorius tertius tali Epiſtola approbavit: *Reverendiſsimo ac ſanctiſsimo* „ *fratri Bonifacio coëpiſcopo Gregorius Servus ſervorum* „ *Dei*. Quòd tua opera & Caroli principis Francorum „ (quemadmodum ex tuis literis cognovimus) tot millia „ Germanorum ad bonam frugem & Chriſtum ſervatorem „ reducta ſunt, ſanè prout debeo, gaudeo vehementer. In „ Boaria ubi pravi ſacerdotes fabulis hominum, veritatem „ hactenus corruperant, ſceleribus religionem polluerant „ & plebem devorarant, bene ſapienterque egiſti. Et ne „ labor noſter fruſtra ſit, juxta Danubium conventus conci- „ liaque more chriſtiano celebrari jubeo. Tu, ut militem „ cœleſtis imperatoris decet, fortiter decertato, nemo tibi „ impedimenta paret. Data 4. Kal. Novemb. imperante domino piiſsimo Auguſto Leone, imperii ejus anno 23, ſed & Conſtantini filii ejus anno 20, indictione octava. Erat is annus ait Bruſcius, ex quo hæc deſumpſimus, à nativitate Chriſti 739, quo univerſa Bavaria à pravis ſacerdotibus purgata ac luſtrata eſt. Hæc igitur initia S. Bonifacii apud Vltrajectum cepta, eos poſteà fructus protulerunt, quibus tota in fide Chriſti refocillata eſt Germania, ut tempora oſtendunt. Anno igitur 736, S. Willebrordus ex hac vita in cœlum evocatus eſt, ſucceſſorem Vinofridum cognomento Bonifacium habuit. Adgillus autem Friſiorũ rex ſequenti anno, nempe Chriſti 737, ipſum

737. *Adgillus 2, Rex Friſiæ moritur.*

ipſum eſt comitatus, cùm regnaſſet annos octo & decem: & Stavoræ apud patrem ſepultus. Reliquit Adgillus filios duos duaſque filias. Gundobaldus maximus natu filius ipſi in regno ſucceſsit: Radbodus verò junior in Dania educatus, apud Othildam amitam fuit, & ibi uſque ad mortem fratris Gundobaldi manſit. Filiarum altera, Conovella nomine, nupta fuit Adelbrico viro nobili, qui arcem ſtruxerat in Veſtrachia prope Sexbierum, quam de nomine ſuo Adelburgum appellaverat. Erat is equeſtris ordinis, multoſque illic & in pago Weſterbierum fundos poſsidebat, quos ex liberalitate regis erat conſecutus: & quoniam liberos multos tolleret, quibus adhuc ſuperſtes ipſe poſseſsiones ſuas diſtribuerat, noluit ut ſe ab Adelburgo, ſed ab Adelen cognominarent ac ſcriberent, quòd ipſe illis jam partitus eſſet, quæ vellet, ſicut etiam ab Adelen ad extremum uſque cognominati ac ſcripti ſunt. Sandacilla autem filia Adgilli junior nupſit Vigberto Angariæ duci Witekindi magni filio, ut poſteà videbimus. Hic Adgillus Secundus dicitur condidiſſe apud Weſtphriſios contra Hollandorum incurſiones Alcmariam oppidum, quod ſua ſtructura formam caſtrorum refert, quippe cujus omnes plateæ per cardines & decumanos limites dirigantur. Nam aut ab oriente æquinoctiale in occaſum æquinoctialem recto tramite deſcendunt, aut ab arpactio in meridiem, nuſquam ullo obliquamento aut ambage, ut inquit Petrus Nannius civis Alcmarienſis. Sæpe Comites Hollandiæ hunc locum caſtris ſuis inſederunt, quia ſola ea parte ex Friſia in Hollandiam eruptio patebat. De ejus nomine magna eſt apud auctores ambiguitas, aliis eam ab Halecum mari nominatam exiſtimãtibus: aliis quaſi Almariam, hoc eſt omnino mariam, eo, quòd ingentibus undecumque lacubus, inſtar marium cingatur. Idiotiſmus enim ſtagna latiora vernacula lingua maria appellat, dialecto nonnihil immutato.

*Conovel-la filia Adgilli.* nupta Adelbrico Adelen

*Sanda-cilla filia Adgilli.*

*Alcmaria ab Adgillo condita.*

Aliis contrà dicta videtur quaſi Admaria, quòd non procul ſit ab oceano. Cæterùm facies loci nunc plurimum mutata eſt, ſtagnis quibuſdam exſiccatis, montibuſque arenoſis in paludes vi ventorum devolutis, ita ut nunc vitata Alcmaria per littora Oceani in Hollandiam aut Friſiam tranſire liceat. Sed de Adgillo hactenus ſatis.

## CAPUT OCTAVUM.

### *De Gundobaldo Friſiorum Rege octavo.*

737. ANno igitur ſeptingenteſimo trigeſimo ſeptimo Gundobaldus Adgilli ſecundi filius Friſiorum rex octavus publicitus inauguratur, regnatq; annos duodecim, patri ſuo moribus ac religione ſimillimus.

*Opes Eccleſiæ Romanæ unde nata*

Anno ſuperiore Vltrajecti deceſſerat Willebrordus ſive Clemens primus Friſiorum archiepiſcopus. Is tantum valuit apud populum atque principes vitæ ſanctimonia ac eloquentia, ut omnium favore conciliato, ab illis Eccleſia Vltrajectina multis & ingentibus ſit locupletata donationibus. Nam cùm jam inde à Gregorii Magni temporibus & citra, Romani Pontifices magno ſtudio docerent ſanctorum invocationem, & miſſæ ſacrificia pro defunctis prodeſſe ad animarum ſalutē, & jam publica auctoritate muniti Eccleſiam Romanam pro capite & principe omnium Eccleſiarum venditarent: ipſique vicarii Chriſti dicerentur, qui errare non poſſent, deinde & vita ipſorum cum doctrina conſentiret, cùm, quod docebant moribus exprimerent & cæremoniis adumbrarent: Non erat profectò difficile ab Idiotis religione captis pro redemptione vitæ æternæ magnas opes impetrare: quas alioqui ſine ullo ſuo fructu aliis, vel indignis etiam, inviti eſſent relicturi. Neque enim tunc ea ſacrarum literarum cognitio vulgo erat, quæ nunc eſt, cùm libri ſacri & profani calamis ſcriberentur, & omnis literatura apud ordinem Eccleſiaſticum eſſet, qui totus in eo erat, ut ſe confirmaret

firmaret, multiplicaret & ditaret, cæteris omnibus præ ſuperſtitione caligantibus, quemadmodum eventus eſt teſtimonio. Extant paſsim donationum à principibus atque aliis factarum exempla: quibus omnibus expreſsè donatores affirmant ſe largiri pro anima ſua, aut parentum, aut amicorum ſuorum. Innumera videre eſt apud Guilhelmum Hedam præpoſitum Arnhemenſem, qui ex Archivis Vltrajectinis omnia ferè diplomata recenſet, quibus Epiſcopis ejus Eccleſiæ aliquid eſt donatum: ad eum ego lectorem meum remitto, ne his chartam hanc fruſtrà onerare cogar. Quum igitur Willebrordus eandem cum Pontifice Romano, cujus creatura erat, ſementem faceret, eundem etiam cum ipſo fructum meſſuit & in horrea deportavit, factúſque eſt dives ſupra modum. Verumenimverò Willebrordus eximius verbi Dei miniſter fuit, inq; ſuo officio ſyncerè ac bona fide eſt verſatus: Deus etiam ipſius laboribus in convertendis ad Chriſtum paganis manifeſtò benedixit. Multum ſanè Phriſii noſtrates & vicini ipſi debent, qui ab eo Chriſtianæ pietatis initia acceperunt. Rexit autem Eccleſiam Vltrajectinam Willebrordus annis quadraginta: in quibus diverſa monaſteria condidit ac dotavit, inter cætera & Externacũ apud Treviros conſtruxit, in quo & ſepeliri voluit. Socii ejus, qui cum ipſo ex Anglia in Phriſiam venerant, alii aliò ab ipſo demiſsi diverſas obtinuêre conditiones atque munera. Ex quibus Adelbertus regis Deirorum in Anglia Northumbrica filius, ordine Levita & primus Eccleſiæ Vltrajectinæ Archidiaconus ab illo miſſus ad Caninefates (quos nunc Kennemarios appellamus) illic populum ita fideliter in religione Chriſti inſtituit, ut in Halhemo vico, cùm fanum condidiſſet, Eccleſia ejus, ob vitæ puritatem à S. VVillebrordo dicta ſit, Hæcmunda, quòd ibi primùm homines mundæ religionis, id eſt Chriſtianæ, inveniſſet, cùm anteà Engmonda diceretur, quòd ibi por-

*Sociorum S. VVillebrordi ſedes.*

tus

tus eſſet anguſti oris, ut Petrus Nannius vir doctiſsimus eſt auctor. VVerenfridus in Batavos delegatus in vico Elſta medio inter Arnhemum & Neomagum itinere, poſt multos labores requiem eſt nactus. Duo Evaldi in Weſtphaliam profecti à paganis illico ob doctrinam ſunt occiſi, & inde Coloniam Agrippinam deportati. Suidbertus & VVillericus VVerdæ Cæſaris in ripa Rheni tumulati ſunt, ut & ſuprà retulimus. Reliqui VVillebrordo ſuperſtites à Bonifacio & Gregorio poſteà ad altiora ſunt provecti. Bonifacius autem, quamvis VVillobrordo ex mandato ipſius & collegii in Epiſcopatu Vltrajectino ſucceſſerit, manſit tamen in Germania, ut Pontificis Romani juſsis in emendandis Eccleſiis ſatisfaceret, & Epiſcopatum Vltrajectinum, per Gregorium ſuum diſcipulum ac vicarium, & per Eobanum Coëpiſcopũ, qui poſteà unà cum ipſo à paganis in Friſia Doccomi eſt cæſus, adminiſtravit, ut Iohannes de Beka, qui ipſum Chorepiſcopum vocat, & alii videntur innuere. Carolus autem Martellus Franciæ princeps ab anno viceſimo nono poſt ſeptingenteſimum quo Auſtrachiam & Weſtrachiam evaſtavit, aliis bellis gravioribus in Gallia occupatus, Friſiam non attigit, ſed pacem cum Gundobaldo Adgilli ſecundi filio, quem vectigalem habebat, ſyncerè obſervavit. Anno verò ſeptingenteſimo trigeſimo ſeptimo, Saxones rebellantes Martellus compeſcuit & tributo ſubjecit. Inde Maurontum Ducem Saracenos invitantem provincia ejecit, totamque & omnia ejus maritima loca occupavit. Et
737. ſic tandem pax & quies regno Francorum per ipſum ad tempus eſt reddita, Gothis ſuperatis, Saxonibus & Friſonibus ſubactis, expulſis Saracenis, & provincialibus receptis, ut annalium Fuldenſium auctor loquitur. Quibus
741. rebus deinceps & ex ordine patratis, ipſe demum Carolus Martellus anno 741, undecimo Kal. Novemb. in fata conceſsit, cùm ante ipſum in Iunio rex Theodoricus Cala

*Lib. Miſcellaneorũ 10. cap. 2.*

Bonifacius Dokkomii occiſus p. 233

*Martellus Gundobaldo amicus.*

eſſet

eſſet mortuus: uterque in æde Dionyſii apud Pariſios eſt ſepultus. Theodorico regi Martellus ſubſtituerat Childericum, ingenio ſtupidum, ipſi verò ſucceſſerunt filii quorum Carolomannus Auſtraſiæ, Pipinus brevis Franciæ præfecturam obtinuit. Anno 739 reverſus eſt in Friſiam vir nobilis Saco Rodmannus: Miniſtraverat hic Gregorio ejus nominis tertio Pontifici Romano annis quatuor, & Venetorum Duci annis tribus, & anteà Leoni tertio Romanorum imperatori, partim in Græcia, partim in Italia annis ſex, eratque tam divina quàm humana doctrina egregiè politus, maximè verò diſciplina militari excultus, animo ad omnem belli eventum prompto & intrepido, ita ut in nullis principum aulis ejus ſimilem facilè reperires. Habebat enim præter vires corporis & animi fortitudinem, diſciplinarum omnium ſingularem peritiam, & rerum uſum, experientia diuturna cõprobatum: unde magnam ſibi auctoritatem ubique comparaverat.

739.

*Saco Rodmannus in Friſiam redit*

Rex igitur Gundobaldus cùm intellexiſſet ſe ejuſmodi virum ex ſubditis domum recepiſſe, de quo tam multa ac ſplendida audiret, eum miſſo nuntio ad ſe evocavit, advenientemque tanto honore excepit, ut qui magis perſonæ humilitatem quàm virtutis ſublimitatem in homine conſiderabant, admirarentur regem tanti illum facere, qui non niſi ex media nobilitate patriæ genus duceret.

Multis itaque verbis ultrò citroque inter ipſos habitis, rex multò plus in eo ſapientiæ deprehendit, quàm ex aliorum relatione præſumptam exſpectaverat. Ideóque cum precibus tum præmiis tantum effecit, ut ſecum in aula ſua maneret, ſibi non à miniſteriis, ut hactenus illis, ſed à conſiliis ac ſecretis, idque ad ſalutem patrię futurus. Quod Saco poſt modeſtã ſui extenuationem, ſe pro facultate ſua fideliter ac libenter facturũ tunc ſpopondiſſe perhibetur.

S. Rodman Consiliari aulici Regis

Poſtquam autem Saco aliquandiu in aula regis verſatus operam ſuam illi dignam præſtitiſſet, rex in hujus gratiam univerſam Rodmannorum gentem magnopere extulit, alióſque ex his aliis dignitatibus illuſtravit, ita ut nonnullos & dignitate equeſtri ornaverit. Diximus ſuprà Bonifacium Germaniæ Epiſcopum à Gregorio ſecundo declaratum, Willebrordo Vltrajecti mortuo in Archiepiſcopatu ſurrogatum, manſiſſe tamen in Germania ut legationis ſibi à Põtifice impoſitæ munus abſolveret. Itaque ut id diligenter faceret ac ſtrenuè expediret, advocavit in ſui auxilium multos ex Anglia & Trajecto, eruditione ac fide præſtantes cùm viros tum fæminas, quorum operis in pertexenda pietatis tæla prudenter & circumſpectè eſt uſus. Nam & hoc anno in Bavaria duos Epiſcopatus inſtituit, Salisburgenſem & Ratisburgenſem ut quidam ſcriptores in literas retulerunt. Burchardum cõſanguineum ſuum Wirtzenburgo prefecit Epiſcopum quem Zacharias Pontifex anno 742, confirmavit, ipſe cùm hactenus ſine certa ſede in Germania eſſet docendi cauſa peregrinatus, anno demũ 745 ab eodem Zacharia & Carolomanno rege Martelli filio Archiepiſcopus Mogũtiaci conſtituitur, & à Pontifice pallium, velut doctoris inſigne, gratis accipit, quum Gervilio propter cędem & vanitatem ſynodali ſententia eodem Epiſcopatu eſſet primùm deſtitutus. Hinc Wilebaldum cognatum ſuum Eichſtatenſem Epiſcopum facit, qui ſic dictus eſt, quòd oppidum ejus in querceto exciſo eſſet conditum, quod alioquin antiquitus aureatum appellabatur, unde & Aureatenſis Epiſcopus eſt dictus, fratrem autem ejus Wonobaldum cœnobiis quibuſdam in Thuringia abbatem dedit: necnon & ſororem ipſorum Walburgam congregationi monialium in novo cœnobio Heydenheimenſi præfecit, ut diſciplinæ in illis Chriſtianæ coſtodes eſſent, & avunculi ſui imitatores in propaganda Chriſti fide, ip-

*S. Bonifacius Epiſcopos in Germania ordinat.*

Ep: Salisb: et Ratisb:

*745 Bonifacius fit Archiepiſcopus Moguntinus.*

ſius

ctus veſtigia ſequerentur. Hinc anno ſequenti ad Fulſdam amnem in Buchonia apud Cattos, non procul à Viſurgi cœnobii fundamenta jacit, quod ab ipſo amne, Fulda appellatum corporis ſui ſepulturæ deſtinat. Hoc temporis progreſsu in eam magnitudinem crevit, ut abbas ejus totius Germaniæ atque Galliæ primus habeatur & cæteros omnes divitiis antecellat. Eodem anno Carolomannus Martelli filius pietatis ſtudio regnum Auſtraſiæ deſerit, Romam vadit, & cùm in monte Soracte aliquandiu eſſet, moratus, ob frequentiam ſalutantium, inde diſcedit, & in montem Caſsinum profectus monachum induit. Ob id Caſsinates à Zacharia Pontifice certis ornantur privilegiis. Prius autem quàm Carolomannus provinciâ ſuâ Auſtraſia abiret, jam ab aliquot annis cum Pipino Franciæ Duce fratre ſuo Odilonem Bavariæ Ducem vicerat, Saxones repreſſerat, & Alemannos, res novas molientes ſua virtute compeſcuerat, ſed Friſios vicinos Saxonum intactos à bello reliquerat. Itaque & verum arbitror quod domeſtici annales dicunt, Gundobaldum Friſiæ regem pacificè vixiſſe cum ſuis, & à Francis nullo bello aut moleſtia affectũ, idq; ideo eveniſſe, quòd Gundobaldus apud regem Francorum Theodoricum Calam educatus, Francorum moribus imbutus, religioni Chriſtianæ deditus, Carolomanno & Pipino fuerit notus, & ob vitæ moderationem eorum benevolentiam conſecutus. Gundobaldus ſanè in ſuo regno duodecim annos tranquillè vixiſſe perhibetur, & tandem anno 749 naturæ conceſsiſſe. Hoc tempore vixiſſe Gundobaldum teſtis eſt nummus aureus cui in una parte inſcriptũ: Gundobaldus primus Adgilli filius: & ab altera: Moneta aurea civitatis Doccumenſis anno Domini 739, in eadem domo Adelis inventus, de qua ſuprà in Adgillo diximus. Aliqui eum in Roncevalle pro fide Chriſtiana contra Saracenos prælianten occubuiſſe affirmant: ſed tempora

*A.C. 749, obiit Gundobaldus Rex Friſiorum 8.*

747.

Fuldense Cœn: 747

mon. Doccom 739

p. 213



Dokk: Mon.

non conveniunt: quæ magis ad Gundobaldum Radbodi filium pertinent. Ianus Douſa in Hollandiæ annalibus more ſuo natutus, contra fidem hiſtoriæ Adgillum ac Gundobaldum reges Friſiæ nec natos nec denatos exiſtimat. Sed cur exiſtimet rationem nullam adfert: cui nihil aliud reſpondemus, quàm plus annalibus, quàm inimicis & irriſoribus eſſe credendum. Reliquit autem Gundobaldus filios Gundobaldum ſecundũ & Iohannem cognomento Presbyterum, ob modeſtiam ſic dictum, & Teclam virginem, quæ Hajoni à Canga ſive Camminga poſteà nuptum data filiam genuit; cujus filia denique cum Odone Duce Sueco matrimonio conjuncta, illuſtrem Botnianorum familiam in Friſia excitaſſe dicitur. Liberis autem Gundobaldi impuberibus, & ob ætatem ad regni habenas ineptis: Ordines Friſiæ communi decreto patruum eorum Radbodum, Adgilli filium ex Dania evocarunt, ut fratri defuncto in regni adminiſtrationem ſuccederet, & liberorum ejus tutor eſſet: quod ille incunctanter fecit, ut annales teſtantur.

*Hajo à Cango*

*Botniana familia.*

## CAPUT NONUM.

### *De Radbodo ſecundo Friſiorum Rege nono & ultimo.*

ANno igitur Chriſti 749, Radbodus Adgilli ſecundi filius fratri ſuo Gundobaldo defuncto ſuffectus eſt & inauguratus Friſiorum rex, ejus nominis ſecundus, ordine nonus: in quo & Phriſiæ regnũ deſiit, ſceleribus ejus iram Dei provocantibus, ut ex infraſcriptis apparebit.

Hic enim Radbodus ſecundus cùm & natura crudelis ac ferox eſſet, & ob ętatem juvenilem affectibus magis, quàm ratione duceretur: natus enim erat anno (728) eſſetque inſuper prava Danorum educatione corruptus, & ſiniſtra inſtitutione perverſus: nec de divinis, nec de humanis rebus bene ſenſit, ac proinde optimis quibuſque earum cultoribus, peſsimè ſemper & voluit & fecit.

*Radbodi ingenium pravum.*

Nam

Nam & religionem Chriſtianam abolere & idolatriam veterem in Friſiam reducere ſummis viribus eſt conatus:

Unde & diverſis in locis Idola diverſa erigi rurſus curavit, inter quæ & in Amelandia Idolum Foſtæ, unde & ipſa inſula Foſtelandia ſæpius apud annales appellatur. Multos etiam, qui Chriſtiani jam facti erant, ad cultum Deorum gentilium amplectendum rurſus adegit, non modò præmia proponens illis, dignitates & honores, qui obtemperarent, ſed & pænas, qui refragarentur, mortem ſcilicet, exilium & bonorum publicationes. Itaque & Rodmannorum illam gentem à fratre ſuo nuper exaltatam, ille ita dejecit omnibuſque dignitatibus & honoribus exuit, ut & ex his alios contumeliâ, alios exilio, alios morte afficeret, ob id, quòd Chriſti religionem abnegare nollent. Qua de cauſa & Saco Rodmānus relictis omnibus bonis dignitatibuſque ſuis, ad regem Franciæ confugit, apud quem ad obitum uſque ſuum ſummo in precio deinde habitus fuit: Ubbo autem Hermana eadem paſſurus erat, niſi ob ſingularem ejus bonitatem ſubditorum precibus eum Radbodus condonaſset.

*Saco Rodmanus in exilium ſponte abit.*

Circa hæc tempora vixit in Phriſia vir, ut nobilitate ſtemmatis, ita & omnium diſciplinarum ſcientia inſignis Solco fortema, qui hiſtoriam Phriſiorum ab origine gentis ad ſuam uſque memoriam luculenter conſcripſerat. Hic cùm eo nomine ab invidis & improbis apud regem delatus eſſet quòd in hiſtoriis ſuis regem defunctum præſenti & adhuc viventi prætuliſſet, ea de cauſſa, quòd ille Chriſtianam religionem, hic diabolicas præſtigias coleret, ad regem vocatus & librum exhibere coactus eſt: quo lecto & re ex eo comperta, liber in auctoris præſentia combuſtus, auctor ipſe in carcerem conjectus, in eo tamdiu permanſit donec per Carolum Magnum devicto & fugato Radbodo inde eximeretur.

*Solco Fortema Friſiæ Hiſtoricus.*

750

Diederico rege apud Francos mortuo ſuffectus erat alter Dagoberti filius Hildericus: Carolo quoque Martello deinde mortuo ſucceſſerant Carolomannus & Pipinus filii: Carolomannus Auſtraſia relicta ad Montem Caſsinum ſeceſserat, Pipinus ſolus inde in Francia rerum potiebatur, adeò ut nihil ipſi ad regiam potentiam deeſset præter nomen regis, quod Hildericus ſtupidus & indignus tanto nomine ſuſtinebat. Pipinus igitur rei indignitate commotus, cùm videret Hildericum jam decimum ultra annum regnare, nihil tamen agere, liberos non habere nec ex eo ſperari, qui, quod lapſum in regno eſſet poſſent reſtituere, anno ſeptingenteſimo quinquageſimo Burchardum Wirtzeburgi Epiſcopum & Volradum Capellanum ad ſe vocat, eoſque Romam proficiſci legatos jubet, ut Zachariam Pontificem de ſtatu regni Francorum, de regis ingenio, vita & moribus, deque ſuo in idem regnum ſtudio ac induſtria edoceant, ipſumque interrogent, uter eorum ſceptro ſit dignior, iſne qui luxuriæ, crapulæ & veneri deditus, ſemel tantùm in anno in populi conſpectum veniat & nihil ob animi ſtuporem atq; ignaviam agere valeat aut velit, an is qui in populi oculis quotidie verſetur, omnia regni munia per ſe prudenter ac diligenter obeat, civibus ac ſubditis ſit gratus & hoſtibus ſuis formidoloſus. Zacharias verò ſic interrogatus in ſequentem annum reſponſum ſuum diſtulit, ac re cum multis deliberata, tandem legatos demittit cum Epiſtolis ad proceres regni Francorum deſtinatis. In iis Hildericum regem deponi & in monaſterium includi: Pipinum verò in ipſius locum exaltari ſuadet, & ne qua ipſos religio remoretur, populum univerſum à juramento, quod Hildericho regi præſtiterant, abſolvit. Intereà Zacharias moritur: ſuccedit Stephanus ejus nominis ſecundus: is Zachariæ conſultum ratum habet; anno igitur quinquageſimo ſecundo, poſt ſeptingenteſimum convocato concilio

*750. Zacharias Pontifex à Pipino conſultus regem Franciæ inutilem deponi ſuadet.*

cilio proceres Franciæ Pipinum regem renunciant. Bonifacius eò Mogontia accerſitus ipſum oleo ſacro Auguſtę Veſsonum inungit: ac officio peracto Moguntiam ad ſedem ſuam Archiepiſcopalem revertitur: Cumque audiſſet rem Chriſtianã in Friſia malè habere, & à rege Radbodo quotidie deteriorem fieri: ut ei medelam in tempore afferat, conſtituit eò deſcendere, atque opus ſuæ peregrinationis in Friſia complere. Amabat enim ipſe regionem illam, quòd majores ſui ex ea oriundi & ipſe jam anteà tredecim annis ibi verbum domini prædicaſſet, atq; adeò in ea Archiepiſcopo Willebrordo defuncto, ejus locum eſset conſecutus. Igitur Bonifacius eodem anno cùm Lullum ex conſenſu Pipini in ſede Mogontina ſibi ſubſtituiſset, Vltrajectũ proficiſcitur: Gregoriũ alumnum & vicarium in cænobii rectione ſuum Epiſcopum facit. Sic regnum Franciæ à nativis regibus Merovæi ſtirpe in præfectos tranſlatum, qui deinde Carolingi ſunt appellati. Cyrus Perſa apud Xenophontem inter pueros judex cõſtitutus, tunicam longam parvo ereptam procero adjudicavit, quòd ea proceri illius corpori magis conveniret & altior eſset: at à pædagogo propterea vapulavit, quòd diceret ſuum cuique ex lege non ex convenientia reſtituendum. Si cuiquam liceret auferre ab alio, quod ſibi melius, quàm alteri conveniret, multi reges de ſuo regno quotidiè periclitarentur. Sic tamen Pontifex ille Romanus tunc judicavit, Pipinus obtinuit regnum. Hildericus eo ſpoliatus Ratisbonæ apud divum Emerentianum in cænobio vitam finiit. Sed & Pipini progenies eodem fere modo deſiit, ut hiſtoriæ docent. Bonifacius ſedi Mogontinæ & Vltrajectinæ ſucceſsoribus datis, fervore pietatis in Friſiam accenſus, inſtare ſibi illic mortem præſaga mente jam anteà prædixerat: ſed confirmato adverſus pericula animo, nihilominus eò feſtinabat. Quoniam verò hac ſua expeditione nihil aliud quærebat,

*Pipinus brevis à S. Bonifacio ungitur Rex Francorum & domino depoſito famulus regnat.*

*S. Bonifacius in Friſiam proficiſcitur mortis præſagus.*

rebat, quàm ſalutem Phriſiorum & Chriſti gloriam; ut eam facilius effectam daret, aſſumpſit ſecum itineris hujus atque operis ſocios quinquaginta & unum: è quibus undecim tantùm ſuis nominibus expreſsi ſunt, Eobanus coëpiſcopus ſcilicet, & tres presbyteri Wintrugius, Walterus, Adalherus; tres Diaconi Stircbaldus, Hamuntius & Boſo: quatuor monachi, Waccarus, Gunderherus, Williherus & Adolphus: Quorum conſortio cùm delectaretur & cōfideret, ipſe conſcenſis navibus fluvium trajicit, Almenumque Weſtrachiæ oppidum appellit: ibi in terram deſcendens partitis inter eos operis, viros illos ſanctos in diverſos regionis pagos atque vicos ad docendum emittit: qui cùm induſtria & diligentia præſtarent atque in opus domini magno ſtudio incumberent, idola everterunt, templa nova condiderunt, aut pagana in uſum Chriſtianum converterunt, magnaſque tum in religione propaganda progreſſus fecerunt. Cùm autem aliquandiu in Weſtrachia morati eſſent, ut plures Chriſto lucrifacerent, Bonifacius Burdone fluvio enavigato, qui tum temporis VVeſtergoam ab Oſtergoa dividebat, & nunc terra nova dicitur, in Oſtergoam cum ſuis diſcipulis & collegis tranſit, ad Bornam antiquam, ibique fixis tentoriis ſe atque ſuos à labore ad tempus reficit. Cùm aūt multos in eo loco ad ſe confluentes baptizaret cathecumenos, nec omnia ſacramenta Eccleſiæ Romanæ uno & eodem tempore expedire fas eſset, mandat baptizatis, ut ad diem Pentecoſtes ad oppidum Doccū (quod Gundobaldus rex ſuo tēpore civitatis jure donaverat) comparerant, ibi more Romano confirmationis ſacramentum ab ipſo recepturi. Veniente autem condicta die, ipſe quidem cum ſuis in tempore adfuit: ſed loco eorum, quos confirmare in fide Chriſti ſtatuerat, advenerunt ipſi obviam latrones & ſicarii, qui ipſum & comites ejus inermes ex improviſo crudeliter obruerunt ac confecerunt. Nam etſi

etſi ſe cætus ille piorum ad defenſionem pararet, numerus tamen eorum tam exiguus adverſus multitudinem immenſam nihil poterat: quin & ipſe Bonifacius arma deponi jubebat & ad conſtantiā fidei hortabatur, ut vitam hanc caducam præ æterna pro nihilo ducerent. Cæde perpetrata, cùm pagani, tanquam re bene geſta, exultarēt & ſpolia legerent: Chriſtiani autem dolore mæſti Deum pro ſui defenſione ardenter orarent, vindicta divina, ſuos non deſtituit, ſed manifeſtò protinus eos eſt ulta. Cùm enim furor maleficorum conſediſſet, & ſe ad epulandum componerent, panes eorum in lapides converſi ſunt, & cùm vino, quod apud ſanctos invenerāt, ſe ingurgitaſſent, ebrietas eos in mutuam cædem exſtimulavit, adeò, ut eiſdem gladiis, quibus Chriſti miniſtros trucidaverant, ipſi perirent & viciſsim necarentur. Tumultu ſedato, Chriſtiani martyrum cæſorum corpora terræ commendaverunt, ac tredecim ex illis ſecum, itinere per Burdonem & Flevum repetito, Vltrajectum deportarunt, atque ibi in honore cōſervarunt, prẹter Sancti Bonifacii corpus, quod ad preces Lulii Archiepiſcopi Moguntini, ſucceſſoris ejus, Fuldam delatum & ibi honorificè habitum uſque ad noſtra tempora. Cranium verò Divi Bonifacii, quod abſciſſum erat, cum pedo, totoque officii ſacri habitu, Item calice, Euangeliorum codice & cypho argenteo Doccomi collecta, & poſteà in monaſterium recondita, nobis adoleſcentibus illic oſtendi conſueverunt cum magna cæremonia, ut & panes, qui in lapides fuerant converſi divinitus, uti perhibebant: Nunc autem ea omnia diſtracta atque perdita religionem amiſerunt.

Infauſta hæc ſanctorum virorum cædes anno Chriſti ſeptingenteſimo quinquageſimo quarto, die quinta Iunii Doccomi in Auſtrachia ad Lavicam accidit, uti pars hiſtoricorum melior ſuis ſcriptis prodiderunt: quibus & nos accedimus. Litem habebat in vita ſua Bo- 754. *Cædes S. Bonifacii & ſociorũ ejus.*

niſacius cum Archiepiſcopo Colonienſi, ob libertatem Eccleſiæ Vltrajectinæ. Colonienſis enim Archiepiſcopus illam ſuæ diœceſi ſubjectam dicebat, eo quòd Dagobertus rex Francorum oratorium Divi Thomæ à ſe ibi conſtructum Archiepiſcopo donaſſet: Bonifacius reſpondebat, oratorium quidem datum, ſed ea conditione, ut Phriſios paganos inſtitueret, & ad fidem Chriſti perduceret, quod ab ipſo non eſſet factum, ſed & oratorium à Phriſiis exciſum & ſolo æquatum; Eccleſiam novam à VVillebrordo ibi collectam, Friſios ab ipſo & ſe converſos; omnem Diœceſim porrò liberam à Pipino Craſſo in VVillebrordum et ſucceſſores ejus donatione collatam, ſui juris eſſe et Archiepiſcopatus titulo à Sergio Pontifice Romano omnium capite decoratam, Colonienſi præter æquum bonum ſubjici non debere: controverſia ad Stephanum Pontificem relata, ob mortem Bonifacii determinata non fuit, deinde cùm et Vltrajectina ſedes à Normannis fatigata, Colonienſi opibus pareſſe non valeret, in jure ſuo adverſus eam perſequendo, vel ingratis ei cedere coacta fuit.

*Homicidæ puniuntur à tráſlavicanis.* Triduo poſt cædem Bonifacii, quidam ejus diſcipuli, qui Chriſto nomen dederant, ex minore Phriſia Lavicam transgreſsi, ſine diſcrimine ſexus aut ætatis paganos fere omnes, qui tumultum ac cædem fecerant internecione ſuſtulerunt, aut exutos omnibus bonis patria exterminarunt, ut cæteri exemplo moniti, in poſterũ chriſtianæ religionis progreſſum in illis locis, impedire ne tentarent. Eo facto cùm ſanctorum manibus egregiè parẽtaſſent, ancillis, ſervis, jumentis reliquiſq; cæſorum aut profugorũ bonis, quæ ferre aut agere poterant, ſuprà modum ditati ad ſuos domum ſunt reverſi. Radbodo rege adverſus ea ob conſcientiam prioris ſceleris ne mutire quidem auſo.

*Gregorius S. Bonifacio ſuccedit.*

Ab anno autem quinquageſimo ſecundo, poſt ſeptingenteſimum, quo Bonifacius Moguntiaco Vltrajectum

venit,

venit, ſucceſsit ei Gregorius natione item Anglus, ſed in Francia magnam vitæ partem educatus, qui, ut erat natura probus & inſtitutione doctus, ita triginta duos annos Epiſcopatum Vltrajectinum laudabiliter rexit. Ipſe enim non tantùm concionibus & vitæ integritate ſuis profuit & prævivit: ſed & ſcolam multorum diſcipulorum habuit, ex qua innumerabiles virtute & eloquentia præſtantes viri prodierunt, qui concionando fidem Chriſti in Phriſia & alibi plantarunt, promoverunt, & pro viribus confirmarunt. Inter quos vel primo loco dicendus Ludgerus qui in Phriſia Viromi Tyardgrinum & Lyauff burgam parentes nobili familia Wirſungi Adonis ortos habuit, & poſteà primus à Carolo Magno Monaſterienſis factus eſt in Weſtphalia Epiſcopus. Hic cùm eſſet & ingenio ad diſcendum promptus & ſtudio valde induſtrius, à parentibus Gregorio Epiſcopo in diſciplinam commendatus, brevi tempore in tantum profecit, ut & æquales omnes virtute & doctrina facilè ſuperaret, & Gregorius dignum exiſtimaret, quem ad Alcuinum Eboraci tunc bonas artes docentem, cum Alberico in Angliam emitteret. Venerat autem Vltrajectum Albericus natione Anglus non ita pridem vir doctrinâ & vitæ ſanctimonia adeò excellens, ut Gregorius eum ſibi auxiliarem & in poſterum ſucceſſorem exoptare voluerit.

*Ludgerus primus Epiſcopus Monaſterienſis Viromi in Friſia natus.*

*Albericus Anglus.*

Quod cùm negaret ſe facturum Albericus, niſi à ſuo Epiſcopo Epiſcopus renunciaretur, Ludgerus cum eo admodum juvenis in Angliam profectus, Alcuino annum integrum & bonis literis operam dedit, ac anno vertente cum Alberico Epiſcopo deſignato Vltrajectum reverſus, apud Gregorium præceptorem ac Epiſcopum tamdiu precibus inſtitit, ut ad Alcuinum ſtudii complendi cauſa ab ipſo ſit remiſſus. Ibi annos quatuor & menſes ſex cùm expleviſſet Ludgerus, diutius libenter hæſiſſet, niſi ob cædem cujuſdam Angli nobilis, à Friſio occiſi, omnes Phriſii

Inſulanis exoſi, ad pœnam quæſiti, Britannia excedere ob vitæ periculum fuiſſent coacti.

Eo tempore Alcuinus Ludgerũ ſua vigilantia ſervavit & incolumem ad ſuos remiſit, ac poſteà Magni Caroli præceptor factus, eundem multa proſecutus eſt laude, ut ſuo loco audiemus.

Anno autem ſeptingenteſimo quinquageſimo ſexto, venit item ex Anglia presbyter Lebuinus vir ſanctus & integer, qui cùm diceret ſe divinitus admonitum, ut ad confinia Saxonum ac Francorum pergeret ac fidem Chriſti ibidem propagaret, à Gregorio, prout decuit, libenter eſt ſuſceptus & honorificè habitus. Gregorius autem ut viri ſancto deſiderio ſatisfaceret, miſit quidem ipſum eo, quo petebat, ſed ne temerè iret & in fraudem incideret, adjunxit ipſi Marcellinum ejuſdem ordinis presbyterum, qui jam diu in eo tractu fuerat verſatus: qui cùm ad Iſalam veniſſent, cui Saxones & Franci confines erant, invenerunt ibi homines planè barbaros & veri Dei ignaros. Et Marcellinus quidem aliquandiu ibi moratus Oldenzelam abiit in provinciam ſuam: Lebuinus autem eo digreſſo in gregem ſibi commiſſum diligenter incubuit eumque paulatim docendo, monendo ac orando ita mitigavit, ut ex eo quamplurimi Chriſto nomen darent, & à Dæmonum cultu ſe ſubtraherent. Cumq; eorum obſtinationem ac pervicatiam, morum ſuavitate ac facundia ſuperaſſet, apud ciſiſulanos, fanum Vulpam nomine condidit, ubi Dei verbum audirent & eo recepto baptiſmum ſuſciperent. Hinc Iſalam tranſgreſſus Daventriæ ſedem poſuit, uſus Davonis cujuſdam viri illic primarii hoſpitio. Quo cùm familiariter uteretur, multum in vinea domini fructum fecit Davonis favore apud barbaros Saxones ſublevatus. Condidit & ibidem Lebuinus templum in quo ipſe poſteà exantlatis multis laboribus, Anno Chriſti ſeptingenteſimo ſexto, ac ſexageſimo

756. *Lebuinus presbyter.*

Daventriæ templ. cõdit qd dein. a Ludgero Fr. inſtauratũ

eſt

eſt ſepultus. Ante ipſum quadriennium mortuus erat Marcellinus & in eodem templo Daventriæ tumulatus cùm ſeptuaginta duos annos in Teiſterbantia, Drentia at- 766.
que Tuentia ſummis laboribus Chriſtianæ fidei doctrinã continenter docuiſſet, & vitæ integritate apud barbaros & agreſtes homines confirmaſſet, centenario major. Hic eſt ille Marcellinus, qui ut ſocius & oculatus teſtis Suidberti, Werdæ Cæſaris ad Rhenum conditoris, & Willebrordi primi Phriſiorum Archiepiſcopi ſanctiſsimorum virorum vitas luculenter conſcripſit, & poſteritati conſecravit. Abſque eo foret & nos religionis Chriſtianæ in hiſce regionibus plantatæ initia ignoraremus. Hic gentilium doctor & magnarum virtutum ſacerdos (ut auctores loquuntur) magnam etiam Friſiæ partem ad Chriſti fidem docendo convertit. Hic ſenecta ætate & decrepita à Gregorio antiſtite Vltrajectum revocatus, ut ibi velut athleta emeritus & rude donatus in quiete vitam porrò traduceret cùm audiret in Tuentia provincia jamdudum ſua, multos à veritate doctrinæ ad cultum Idolorum revolutos, non recuſavit eodem Gregorio admonente reverti Oldenzelam, ut eos qui defecerant, ſua auctoritate ab errore in viam reduceret, ſuprà vires corporis ſenio confecti pro Chriſti gloria ad extremum uſq; depugnans.

*Lebuinus Daventriæ in templo à ſe condito ſepultus, & ante ipſum Marcellinus.*

Marcellinum verò defunctum quadriennio poſt ſecutus
eſt Lebuinus & apud eundem in templo à ſe constructo tu- 766.
mulatus, quod templum eo mortuo à Saxonibus dirutum ac diſsipatum, poſteà à Ludgero Friſio fuit inſtauratum, ut poſteà dicemus. Intereà Pipinus rex Francorum à Stephano Pontifice Romano contra Longobardos in auxilium vocatus, bis in Italiam proficiſcitur, ut Haiſtulphum illorum regem in ordinem redigat. Prima expeditione Pipinus Haiſtulphum Papiæ obſeſſum cogit, interpoſito juramento, promittere ſe Eccleſiæ Romanæ omnia redditurum, quæ abſtulerat: ſed obſidione liberatus & Pipino

*Pipinus in Italiam à Papa vocatus, bis Haiſtulphum Longobardum vincit & bona ei ablata Papæ donat.*

in Franciam reverſo, pacta conventa non ſervat: Imò Ravennam occupat, Romam obſidet & à Pontifice veluti dominus tributum exigit: Pipinus iterum à Stephano Papa evocatus, memor accepti à Zacharia Pontifice beneficii, maximo exercitu conflato rurſus in Italiam contendit, Haiſtulphum Papiæ includit & ad deditionem compellit: Provincias ab eo invaſas recuperat, & Pontifici Romano donat: ut ſe gratum ſedi Romanæ clientem declaret. Quemadmodum enim Zacharias Papa ſuo ſuaſu regnum Galliæ tanquam bonus Harmoſta à vero Domino in famulum tranſtulerat: ſic nunc Pipinus viciſsim Ravennam cum pentapoli aliiſque oppidis Conſtantino Copronymo à Longobardis ereptam, in Papam tranſmovet. Donatio Conſtantino adſcribitur, ſed non Copro-
756. nymo: facta autem eſt anno 756. Biennio poſt hanc Italicam expeditionem, Pipinus in Saxoniam movet, eamque ſubigit & ſibi tributariam facit, in annos ſingulos trecentorum equorum vectigali conſtituto. Victoriam hanc aliqui putant ipſum adverſus Friſios obtinuiſſe ſed annales Francorum refragantur. Qui etiam illud porrò teſtantur, Pipinum ab hac Saxonum ſubactione reverſum in Franciam, totis novem annis cum Waifario Aquitaniæ Duce bellum geſsiſſe, & demum anno 768, Waifario occiſo & omni Aquitania in poteſtatem redacta, Pariſiis exceſsiſſe è vita 8 Kalendis Octobris. A noſtratibus autem in annales relatum hoc anno Radbodum regem Friſiæ in Vltrajectinos crudeliter feciſſe impetũ, vexaſſe eos mirum in modum: Unde Epiſcopus eorum Gregorius multas Pipino lamentabiles ſcripſerit literas, quibus
768. Pipinus moritur. auxilium implorabat adverſus hanc Radbodi violentam injuriam: Pipinum quoque miſsis legatis Radbodum admonuiſſe, ut ab hujuſmodi cæptis abſtineret, alioqui ſe officii ratione cogi ad ſuppetias ſubditis ſuis ferendas: ſed à Radbodo Pipini monita cum ri-

Radbod, ultrajectū oppugnat

ſu

ſu excepta, flocci non fuiſſe æſtimata.

Cùm igitur ſtatim poſt iſta Pipinus Franciæ rex moreretur atque regnum ejus ad Carolum Magnum & fratrem ejus Carolomannum eſſet devolutum, invenerunt illi quidem illas ad patrem à Gregorio Antiſtite Vltrajectino ſcriptas epiſtolas & parati erant Radbodũ ulciſci, ſed negotiis aliis regni gravioribus occupati in aliud tempus vindictam diſtulerunt.

Anno 769, mortuus eſt tandem Ubbo Hermana, quem ſuprà ſcripſimus, ob virtutem & gratiam populo à Radbodo rege condonatum, verùm nullos reliquit liberos prærer unicum filium Iohannem Hermana, qui familiam propagavit. *Vbbo Hermana.*

Hoc tempore claruit in Friſia vir & ſtemmate nobilis & eruditione reique bellicæ peritia valde celebris Feijo Forteman, qui ob has ipſas virtutes columen ac gloria ſuæ patriæ dicebatur. *Feijo Forteman.* Hic primùm ſe ad Salvathium Scothorum regem contulit: unde anno 772, ad Carolum Magnum conceſsit: ubi & Chriſti baptiſma accepit, & perpetuò deinceps manſit, inter præcipuos ejus propugnatores & belli Duces ſemper habitus: Bello tandem Saxonico cùm in quadam pugna ſe fortiſsimè gereret, tredecim vulneribus lætalibus confectus glorioſè occubuit, poſt quam ipſe hoſtes plures viginti ſua manu trucidaſſet circa annum Chriſti 775, Hujus temporis æquales fuerunt duo viri pagani eruditione præſtantes, quorum alter Sinerdus alter Occo, ſed ambo ſapientes vulgo appellabantur ob eam, quam de diis gentilium colendis fovebãt opinionem. *775.* Fuerunt ambo præfecti Druidum ſcolæ in aula Dei apud Leovardiam, ut putatur: ambo Chriſtianæ pietatis hoſtes obſtinatiſsimi. Sinardus major natu & ordine ſuperior perhibetur evertiſſe Solconem Fortemannum hiſtoricum de quo ſuprà ſumus locuti, multoſque alios ob Chriſti fidem apud Radbodũ regem feciſſe ſuſpectos.

occo et Sinerdus Druides in aula apud Leov.

Adeò

Adeò enim Deorum veterum ſuperſtitioni erat deditus, ut libros Ciceronis de natura Deorum publicè exuſsiſſe dicatur, quòd ipſius judicio continerent inſynceram de diis gentium doctrinam: unde & ipſe ſcripſerit librum de Chriſtianorum doctrina penitus abolenda. Ejus ſucceſsor ſive diſcipulus Occo pari cum magiſtro in Chriſtianos odio flagrabat, unde & ipſe ad Radbodũ ſcripſit libellum de vindicando adverſus Chriſtianos Deorum contemptu, ut in collectaneis Huberti Schotti eſt relatum. Igitur Radbodus & ingenio & inſtitutione Danica depravatus, cùm hujuſmodi conſiliariis uteretur, Chriſtianos multis maleficiis quotidie afficiebat. Chriſtiani preces ad Carolum Magnum viciſsim deferebant, auxilium & ſuppetias adverſus tyrannidem implorantes: Carolus ſui officii tandem exiſtimavit, occaſionem propagandi Euangelii non negligere: putavitq; è re ſua eſse & futurum, ſi priùs Friſiam ſuæ poteſtatis faceret, quàm Saxones adoriretur, apud quos jamdudum nova contra Francos rebellio gliſcebat. Anno itaque 775, maximis contractis militum copiis, Carolus in Friſiam ſe confert, & duobus ingentibus præliis Radbodum ſuperat atq; eo anguſtiarum redigit, ut nec remedium, nec effugium præſentis periculi, inveniat. Quamobrẽ cùm nulla alia ratione ſe pacẽ apud Carolum habiturum cerneret Radbodus, quàm amplectenda religione Chriſtiana, quam nullo modo admittebat, eò quòd à teneris annis in idololatria enutritus & infatuatus eſset, tandem relicta Friſia ad regem Daniæ deſperabundus confugit; Ibi denique ita latitat ut in ipſo regnum Friſiæ defecerit, & finem acceperit ſuum. Nam etſi ipſe poſt longum exilium reverſus in Friſiam à quibuſdam dicatur: nunquam tamen deinde ad regni habenas iterum admiſsus fuit. Enimverò nec Gundobaldi regis liberi ad regnum, quamvis ipſis jure civili debitum, pervenerunt: ſed titulis ejus aliquo modo dicis cauſa hono-

*Carolus Frisiam invadit.*

*Radbodus II Regno profugus in Daniam seq: Regnum Frisiae evanescit.*

honorati ſint, ut poſteà videbimus.

In his tribus annalium libellis multa fortaſſe invenientur, quę apud Sycophantas in reprehenſionem cadant: quę tamen ſyncerus lector atq; candidus æqui boniq; consulat. Equidem Sycophantas non magni facio: lectorem benevolum rogo, ne plus apud ipſum auctoritas cujuſquam ficta & perſonata valeat quàm recta ratio. Nihil eſt in tota hiſtoria tam purum a nævis, quod ab invidis in ſpeciem falſi contortis argumentis deformari nequeat. Antiquitas autem per ſe eſt ſimplex, nec fuci indigens ad formandam fidem. De auctore hujus hiſtoriolæ jam ſuprà ad finem libri primi abundè ſum locutus: ea hic repetere non eſt animus. Eundem ſemper in ſerie perſonarum hactenus ſecutus ſum, nec ab ejus epochis prius deflexi, quàm temporum ratio hoc poſtulare videretur, ut in Udolpho Harone à me eſt declaratum. In regum ordine nihil fuit emēdandum præter tempora, quæ illic anticipant: ſed ex morte Beroaldi præclarè in viam rediguntur. Occo Scarlenſis Friſiorum hiſtoricus bellum Beroaldi cum rege Franciæ Clotario in annum Chriſti 593, confert: Regino abbas Prumienſis illud anno 572, adſcribit: cæteri omnes in annum 630, illud collocant, Occonis & Reginonis errorem ſequi abſurdum erat: Itaq; ad melioris notæ chronologos confugi & mortem Beroaldi in annum Chriſti 630, contuli: Quo facto reliqua omnia regum tempora juxta ætates ipſorum ſine ulla difficultate emendata reperiuntur: ut ibidem videre licet. Quod factum à me ideò improbari non debet, quòd in omnibus veritatis potior quàm auctoritatis ſit habenda ratio. Nec tamen ideo quoque damnandus eſt Scarlenſis quòd in temporum ſupputatione error intervenerit, cùm de facti veritate nulla ſit dubitatio, & is error non tam ipſius culpa, quàm ſcriptoris librarii committi potuerit. Multi reperiuntur in Euſebio, Reginone aliiſq; auctoribus anachroniſmi, qui à viris

Epilogus.

doctis quotidie tolluntur, hiſtoria nihilominus ſuam ſuſtinente dignitatem atq; auctoritatem. Illud miratur Ubbo Emmius Gretanus amicus noſter, quomodo aliqui Principum, Ducum atq; Regũ tot annos vixerint, quot eorum gubernaculis ab Occone adſcribuntur. Verùm ſi quis hiſtorias antiquas conſulat, mirari deſinat: cùm non tantùm in hiſtoria ſacra Iſraëlis ſimilia multa exempla ſint obvia, verùm etiam in Græca & Romana. De cenſura Veſpaſiani & Titi imperatorum diximus libro primo, quos illi tum & quàm longævos in tabulas retulerint. Nunc dico, extare hodieq; Phlegontis Tralliani de mirabilibus & longævis libellum, ante aliquot annos græcè & latinè Argentorati editum, in quo ille diſtinctim ex cenſorum tabulis enumerat, primò illos qui centum annos vixerunt: deinde illos, qui centum & decem: tertiò, qui centum & viginti: quartò qui centum triginta & quinquaginta ulteriuſq; vitam produxerunt. Quæ exempla ſi rectè conſideremus, non mirabimur amplius Friſiorum principes, duces aut reges ſeptuaginta, octuaginta aut nonoginta annos vitæ & ſuprà exigere potuiſſe. Nimis enim iniqui rerum noſtratium æſtimatores ſumus, ſi illud, quod multis aliis aliquando evenit, noſtratibus item contingere non potuiſſe arbitramur. Et ſanè malè judicat quiſquis ex noſtri ſæculi imbecillitate ac corruptis moribus, majorum noſtrorum ævitates examinat. Enimverò nec ætas noſtra tam eſt effæta, ut nullos ſenes alat. Etſi enim hoc noſtro ævo plures à gladio & crapula extinguantur quàm à ſenectute matura: ſunt tamen etiam hodie multi ſenes qui octuaginta & plures annos vitæ exſuperant: quorum catalogum hic contexere non videtur operæprecium. Unicum exemplum hic addo, quod mihi hoc ipſo die, quo hæc ſcribo, narravit civis quidam honeſtus Rudolphus cognomẽto cultrarius: qui patruum ſuum dicebat Rudolphum Iohannis filium, apud Silveſtres in Niengoa

*Pag. 77.*

*Exemplũ vitæ longæ apud Friſios recens. 1600. 7. Feb.*

vixiſſe

vixiſſe annos centum octodecim, eum ante menſes demũ quatuor mortuum, ante quadriennium citatum in teſtem à Curia Friſiæ provinciali, ad teſtimonii dictionem fuiſſe admiſſum: exceſsiſſe autem è vita ſenſibus integris & mẽte ſana, citra ullam ſenilis delirii notam. Addebat ipſius patrem fiduciarium, qui ipſum baptiſmo obtuliſſet, Rudolphum item nomine, expleviſſe vitæ annos centum triginta novem. Supereſſe adhuc ibidem amitam ſuam octagenariam virginem robuſtam: noſſe ſe item anum centenariam. His adde teſtimonium Michaëlis Rithii, qui libro de regibus Hungariæ primo ſcribit: Atthilam Italica præda opimiſq; ſpoliis onuſtum in Pannoniam ſe recepiſſe uxoremque ſuperduxiſſe regis Bactrianorum, nomine Milzolth, etſi plures alias haberet in matrimonio: eumq; cùm nuptiales epulas apparatiſsimè celebraſſet, liberiùs ſolito crapulatum in cubiculum ſe recepiſſe, erumpenteque è naribus ſanguine in os dormiẽtis extinctum eſſe anno ætatis ſuæ centeſimo vigeſimo quarto, regni ſui quadrageſimo quarto. Si tantam ætatem in hoc libidinoſo tauro ſcythico credamus, cur non & eandem Friſiis accidere potuiſſe cenſeamus? Quorum virtutes ſingulares, ſimplicitas, caſtitas & fortitudo, ab hiſtoricis celebrantur. Et ſanè tam erat majorum noſtrorum vitæ ratio, ſobria & caſta, ut nec vinum ad ſe deferri paterentur, quo virtus ipſorum elangueſceret, ut hiſtoria teſtatur. Sileat igitur amicus meus, nec ratione vivacitatis calũnietur hiſtoriam noſtratem, quæ ſimpliciter ſcripta inanis gloriæ fumum non venatur. Imitemur potius juriſconſultos, qui non ſtatim abiiciunt quod à majoribus conſtitutũ intelligunt, etiamſi conſtituti reddere rationes nequeunt: dicũt enim cùm tale quid occurrit; Durũ quidẽ hoc, ſed ita lex ſcripta eſt. Cogitemus & nos, ſi fortè in hiſtoria quid offeratur quod minus allubeſcat: hoc quidem videri minus rectũ, ſed, quia à majoribus ita eſt traditum, æquo animo eſſe

*Atthila vivit annos 124.*

accipiendum: Quæramuſque hic illud antiquum Caſsii, cui bono auctor quid ſcripſerit ſi de ejus fide dubitemus. Equidem nôn video, quæ ſpecies vel laudis vel utilitatis Scarlenſem movere potuerit, ut Principes, Duces atque Reges Friſiorum confingeret, eoq; ordine deſcriberet & quidem tẽporibus inter ſe rectè convenientibus. Quamobrem ei gratias habendas patriæ nomine, quàm maximas cenſeo; nec audiendos calumniatores, qui ejus ſcripta, ob neſcio quos, in tempore commiſſos, errores damnant. Ego interim Deum teſtor me nihil hic lucri vel honoris cauſa commentum, hoc ſolum prodidiſse, quod apud alios inventum ex animi ſententia verum credo & nullo mendacio obnoxium: paucis exceptis, de quibus ipſa hiſtoria dubitat.

*Libri tertii finis.*

## Errata ſic corrigenda.

*Pag.* 9. *verſ.* 20. *lege* Sogdianis *pag.* 14. *verſ. antepenultimo leg.* Regis Agathoclis *Pag.* 15. *verſ* 9. *leg.* phaleg. *verſ.* 11. *lege* filium ſuum *P,* 16. *verſ.* 2. *leg.* Creila *verſ.* 13. *lege* exemplis *Pag* 18. *verſ.* 29. *lege* clauſtris *Pag.* 29. *verſ* 23. *lege* ut 20. *verſ.* 18 *lege* Grunus 26. *verſ.* 20. *dele* Et, & *leg.* Suobinæ *P.* 29. *verſ.* 12. Friſus. *verſ.* 26. Vrongeſt & Vronlegeſt. *verſ.* 32. Manermanis. *P.* 30. *verſ.* 6. Non ab hoſtibus. *P.* 33. *verſ.* 10. Romanos. *P.* 45. *verſ.* 24. Tamfane. *P.* 47. *verſ.* 6. peti. *P.* 48. *verſ.* 24. Maroboduum & *verſ.* 25 filio. *poſt paginam* 47. *deinceps* 48. 49. 50. 51. 52 53. 54. 55. 56. *P.* 66. *verſ.* 5. Schakenboſch. *verſ.* 23. Nerviorum. *P.* 67, *verſ.* 1 *leg.* Germanias. & *verſ.* 7. audivit, *verſ.* 20. Petunt. *P.* 68, *verſ.* 27. Morinos. *P.* 70. *verſ.* 5. confoſſus *verſ.* 31. Audita. *P.* 86. *verſ.* 26. accuratius inquirantur. *P* 87. *verſ.* 25. Hoc edictum. *verſ.* 28. Romani. *P.* 101. *verſ.* 20. Dubravius. *P.* 103. *verſ.* 22. fuſis. *P.* 146. *verſ.* 29. Hoſce. *P.* 130. *verſ. ult.* poſt Martini. *P.* 141. *verſ.* 25. ſede. *Pag* 142. *verſ.* 18. Grunebergam. *Pag.* 143. *verſ. penult.* Vetgiſti. *P.* 154. *verſ.* 32. Danum. *P.* 155. *verſ* 20. propagandi. *P.* 166. *verſ* 10. Reges *verſ.* 26. eum. *P.* 169. *verſ.* 7. Norant. *Pag.* 170. *verſ.* 20. Quod ut. *Pag.* 172. *verſ.* 6. Perſarum millia. *P.* 182. *verſ.* 13. Nec audere. *P.* 183. *verſ.* 5. Cogeretur. *P.* 189. *verſ.* 28. multiſque prius. *P.* 192. *verſ.* 20. cum juvenaretur. *Pag.* 196. *verſ* 8. Iohannes Thilius. *verſ.* 14. lætis. *P.* 200. *verſ.* 27. is à matre. *P.* 220. *verſ.* 15. Ratisbonenſem. *P.* 228. *verſ.* 1. Gundeboldum Gundeboldi *Pag.* 231. *verſ.* 21. aptior. *Pag* 232. *verſ.* 9. flevum fluvium. *P.* 235. *verſ.* 24. Adoptare. *Pag.* 237. *verſ.* 1. quadriennio. *P.* 240. *verſ.* 4. diis.

*Diſtinctiones turbatas docti per ſe facilè corrigent.*

# ANNALIVM PHRISICORVM

TRIAS ALTERA,

continens eorum lib. Quartũ, Quintũ, & Sextum.

AD

*Illuſtres & præclaros origine, antiquitate, libertate & virtute univerſæ*

PHRISIAE ORDINES,

eorumque Proceres Reipub. gerendæ

*DEPVTATOS.*


*Auctore*

*BERNARDO FVRMERIO*

*Leowardienſi Friſio.*




ANNO 1612.


LEOVARDIÆ,

*EXCVDEBAT*

ABRAHAMVS RADAEVS,

TYPOGRAPHVS ORDINARIVS.

AD

Illuſtres & præclaros origine, antiquitate, libertate & virtute univerſæ

# PHRISIÆ ORDINES,

*eorúmque Proceres Reipub. gerendæ*

## *DEPVTATOS.*

*QVamvis (Illuſtres viri Friſii) ego non dubitē quin hæc mea de Carolo Magno ejuſque liberis in tres libros digeſta commentatio vobis omnibus adeo placeat ut longa præfatione ad ejus commendationem non ſit opus: tamen hoc tempore apud me conſtitui paucis atque brevibus rationē reddere quamobrē ea à me & ſuſcepta ſit & vobis omnib⁹ in cōmune dedicata. Latuit hactenus veſtrarū rerū veritas quaſi in profundo Democriti puteo miſerū in modū demerſa, diverſis obducta tenebrarū maculis, quas ego dum pro viribus conor diſpellere, immane quantā calumniam negligentiæ tarditatis & ignaviæ à malevolis ſim perpeſſus: Nam cùm mihi à patria hiſtoriæ ſcribendæ cura publicitus mandata eſſet, Multi urgebant meos labores, incuſabāt temporis longinquitatē, q̄ in eruenda verita-*

te cōſumebā; at interī nemo ferebat auxiliū, nemo ſubſidiū ullū præſtabat, ꝙ ad rem præſentē ullo modo videri poſſet cōducere: ſilebat archiva ſilebāt libri veteres. ſilebāt annales publici et tamē eruēda erat veritas: quæ ſcintillas tantū aliquas apud exteros ſui exhibebat: Quibꝰ adjutus cùm tandē longo labore ad origines & antiquitates veſtras feliciter perveniſſem, Eas ſuperioribus annis in lucē edidi. Quas non audio à quoquā invidorū hactenus arrodi aut in controverſiā meritò trahi. Sunt enim tales ut rebus, perſonis ac tēporibus conſentaneæ à veræ hiſtoriæ gloria non aberrent. At libertatis veſtræ dignitatē, etſi totus terrarū orbis eam jam antea ſæpiꝰ cognovit et rebus ipſis ſit expertus, multi ſunt tamen, qui in dubiū vocēt eo, quod diverſa de veſtrate diplomate ſint doctorū virorū judicia: Quorū alij illud aut ut falſum penitus rejiciūt aut alijs atq; alijs Imperatoribus adſcribunt. Et ſanè ut verū fatear, fui & ego aliquando in ea opinione ut cum multis errarē & parū auctoritatis illi tribuerē: nunquā tamen ita amens fui ut illud planè ex animo ut falſum abijcerem.

Cùm igitur noſtratia cum vicinis conferrē viderēq; & illa non minus à veritatis orbita deflectere, cœpi tādē eum in ſcribenda hiſtoria tenere modum ut ſingulos annos excuterē & quid in iis actū geſtūve eſſet diligēter annotarē. Ex hoc labore eam utilitatē ſum conſecutus

*ut Hollandiæ annales rimatus, ibidē ſtatim agnoſcerem ſcriptorū aberrationes in nominibus principū permutādis, ad quos privilegia & donationes referebātur. Nā ibi ſtatim à principio deprehendi & Carolū Calvū poni pro Carolo Simplice & Ludovicū Germaniæ regē pro Ludovico ſive Lothario rege Franciæ. Hoc comperto, cœpi & ego de noſtrate diplomate confeſtim idē ſuſpicari, videlicet Magnū Carolū non eſſe illius auctorē ſed alium quempiā ipſi cognominē Inveniebā apud annales Carolū Magnū ſubegiſſe Friſios eiſdem imperaſſe tributū, gubernationēque talem inſtituiſſe, quæ tum in Italia, Gallia, aliiſq; provinciis uſitata, per Duces, Comites & præfectos, exercebatur; duraſſe eandē ſub Ludovico pio, ſub Lothario cæteriſq; poſteris, donec perventū eſſet ad Caroli Craſſi tempora ſub quo multæ turbæ, multæ rerum cōmutationes factæ fuerūt ut ex hiſtoriis eſt notū. Nā et unaquæq; regio vel ducē vel comitē tum adſcivit hæreditariū, q antea tēporalis eſſe conſueverat & Friſii à Normannis liberati erexerunt ſe contra vicinos qui ipſorū libertati invidebant & tantū non inſidiabātur.*

*Itaq; in primis eum errorē hiſce in libris detexi, ut jam non amplius verū putent Hollandi Friſios à Theodorico primo ad annū 863. ſubactos & in Hollandiæ ditionē, ut ſubditos, deveniſſe. Oſtendi enim ipſorū correctis inſtrumentis, quibus donatio aſſeritur, eam totis*

*ſexaginta annis eſſe poſteriorē & Friſios non potuiſſe ſuperari ab Theodorico illo, qui tunc in rerū natura nullus fuerat. Et quamvis fatear multa ſub Carolo Magno Friſios perpetraſſe egregia in rempublicā facinora, nulla tamen certa potui invenire documenta quibus illis donatā libertatē præ cæteris vicinis prolixiorē cōfirmare poſſem. Hoc ſolū ex rerū geſtarū monumentis apparet, illos communi cum Saxonibus aliiſq; provincialibus Iure libertatis uſos, militiam Caroli ſecutos pugnaſſe contra Slavos trans Albim, contra Hunnos ultra Danubiū et cōtra Saracenos in Italia, promeruiſſe Romæ marmorea tabula expreſſam ſui nominis memoriam: q̃ etſi aliqui canino more allatrent, ego tamen à contumelia ſtrenuè defendi. Britannis deinde verā ſui nominis (ut puto) originationem ſincerè & ex animi ſententia declaravi. A. Gelria fabulam venenatæ beſtiæ depuli.*

*Eoq; demū progreſſꝰ ſum, ut inſpectis Carulorū titulis, quibus in diverſis ſuis inſtrumētis ſunt uſi, firmiter cōcludā nulli alij convenire illud diploma Friſonicæ libertatis, ꝙ vulgo circūfertur & Carolo Magno hactenus attributū fuit, q̃ Carolo tertio ꝗ cognomento Craſſus apud ſcriptores annaliū appellatur. Res videtur admirabilis tantū errorē in publicū ſcriptum potuiſſe irrepere tantumq; tēporis eundē durare potuiſſe: Sed nominū & cognominum ſimilitudo omnē admirationē facilè tollit.*

*Primus*

*Primus Carol⁹ ob res magnificè geſtas dict⁹ eſt Magnus, Tertius ob corporis obeſi formā dict⁹ Groſſus: q vocabulū facile noſtrates in errorē inducat, ſi ſignificationē ejus aſpicias. Nā grooſs, unde nomē groſſus dimanavit non craßum ſed Magnū itē ſignificat, ut ōnibus eſt notum. Craſſum en. Germani grobū vocant & non großū. Cùm igitur noſtrates vulgo audirent donatorē ſui privilegij Groſſum appellari, nomē ejus cum magno permutarunt; ut eo nomine illuſtrius eſſet privilegiū; induxeruntq; poſteros, ut inſtrumēti epochas ad Caroli Magni ætatē conformarēt ac pervertērēt: at titulū ejus atq; inſcriptionē mutare hactenus non potuerunt non ſine Dei ſingulari providentia, q illud ſuo auctori aliquãdo reſtitui voluit. Initiū enim noſtratis privilegij tam eſt cæteris Caroli Craſsi Inſtrumentis ſimile ut ovum ovo ſimilius eſſe non poßit. Deinde & res quæ in eo commemorãtur tam ſunt cum ejus ævo congruæ ut nihil magis: quēadmodum in eo explicando annotavimus. Cùm igitur audirē quoſdã novos ſcriptores à quibuſdã mercatoribus auctoratos, qui Regiones Germaniæ Inferioris deſcripturi ſunt: quorū alius Friſiam, alius Hollandiam, alius Geldriam, alius aliam ſibi partem adoptaverit: & timerem ne aliquis recens ſcriptor Friſicus origines & antiquitates patriæ communis ſilentio ex invidia tegeret vel ex ignorãtia præteriret, volui hunc*

*meum*

meum laborem publicũ facere & in commune conferre, ut aut veſtro judicio in perpetuum ſtaret aut concideret: atq; ego pro meo modulo tarditatem ſcriptionis bonitate operis apud patriæ Ordines excuſarem. Eſt ſanè hoc in confeſſo extare rerũ Friſicarum, ſcriptorẽ non ignobilem qui hæc quæ nos annis ſuperioribus de origine et antiquitate Friſiorum publicavimus ita pertractat, ut ea magis irrideat quàm probet, quíque Hollãdiæ res adeò leviter percurrat, ut nullam de cõſueta comitatus epocha quæſtionem moveat, de veritate ejus planè ſecurus: Is quoque hæc quæ nunc edimus jam anteà ſuo præjudicio improbavit, ſed hiſce meis rationibus quas pro illis nunc adtuli, nondum viſis.

Illum rogo ut animi rancore depoſito quoniam veritatis amator libenter audit hæc mecum bona fide conſideret & ad communis patriæ gloriam atq; commodum ſincerè dirigat: et ſi errem me erroris modeſtè admoneat & convincat. Errare enim potui quia & homo ſum & homo quidem ſeptuagenarius. Vobis autem viri Friſij qui origine, antiquitate & libertate cæteris Europæ gentibus communiter præſtatis hanc meam tenuem quidem ſed veram opellam, qua veſtras origines atque antiquitates in lucem protraxi, veſtræque privilegia libertatis ſuo auctori reſtitui, volens atque lubens dono, dedico atque conſecro, obnixè rogans quoniam in com-

munionem

*munionẽ antiqui fœderis bonis auſpiciis rediiſtis ut illud privilegiũ veſtrũ quaſi poſtliminio reverſum virtute ſolita adverſus obtrectatores atq; invidos defendere ac tueri velitis meque ut clientem in patrocinium veſtrum recipere ne didignemini. Ita vos Deus Opt. Max. in longa libertate felicitet conſervet atque beet. Datum Leovardiæ Friſiorum anno reparatæ ſalutis 1612. Nonarum Octobris tertio.*

Veſter ad omnia paratiſſimus cliens.
*BERNARDVS FVRMERIVS*
LEOVARDIENSIS FRISIVS.

---

CICERO

Hiſtoria inſtitui niſi præparato otio non poteſt,
Nec exiguo tempore abſolvi.

HORATIVS

*Non agimur tumidis velis Aquilone ſecundo:*
*Non tamen adverſis ætatem ducimus Auſtris.*
*Viribus, ingenio, ſpecie, virtute, loco, re*
*Extremi primorum, extremis uſque priores.*

OVIDIVS.

Paſcitur in vivis livor, poſt fata quieſcit;
Tunc ſuus ex merito quemque, tuetur honos.

IN

*Clariſsimi & Eximij viri*

# D. BERNARDI FVRMERII,

*FRISIAE HISTORIOGRAPHI*

## *ANNALES PHRISICOS.*

CVr, ſua ſtat populis geſtarum gloria rerum?
Cur nomen perhibent ſecla perenne ſuũ?
Cur gaudet priſcos reminiſci *Roma* triũphos,
Victáque belligerâ regna ſuperba manu?
Quæque nequit rapidas oſtendere *Troja* ruinas,
*Mæonio* æternum carmine nomen habet?
*Scriptorum* magni quia, non tacuere labores,
Qui Populi, Regum, geſta Ducumque canunt.
Hinc ô Palladiæ nondum cecidiſtis *Athenæ*,
Hinc floret *Spartæ*, non moriturus honor.
Vivit adhuc celebris *Pelleæ* gloria gentis,
*Perſarum*que decus fama ſuperſtes habet.
Hinc vobis *Phriſii*, (licet hactenus invida) docti.
Famam *Furmerij* penna dabit celebrem,
Qui primus patrios Heroes, ſanguine fuſo,
Vulneráque edocuit ſæva, neceſque virûm.

Qui

Qui *Fortemanni Magni* de marmore, *Romæ*,
Signáque cum tabulis, eruit è tenebris.
Et debellatos *Phriſiorum* robore campos,
*Hetruriæ*, & *Romæ*, prelia quaſſa monet.
Quorum pręſidiis, & quorum *Carolus* auſu,
*Craſſus*, *Saxoniæ* magna trophæa tulit.
Romanoſq; mala heu, *Comitum* q vota, ſequentes,
Iura recuſabant *Cæ*ſaris; edomuit.
Vt perhibet Diploma datum regale vetuſtæ
Laudis, & excelſi nominis, indicium.
Hæc quæſita diu, *Phriſiæ* monumenta, labore,
Edidit, & lucem juſſit habere novam.
Nam quia ſparſa, aliis incognita, quęque latebant,
Qui legeret rarus, quique tenerat, erat.
Ipſe ſuas patriæ laudes, atque eruta paſſim
Nomina, digna legi, fecit ubíque legi.
Scilicet ignotos *Phriſiæ* qui laudat honores.
Laudetur, vario carmine, *Furmerius*.

*Scribebat*
*HER. RASSIVS*,
Philoſophiæ & Medicinæ DOCTOR.

IN

*Clariſſimi viri*

BERNARDI FVRMERII,

*Iuriſconſulti, & patriæ*

HISTORICI,

*amici ſui* ANNALIVM *libros.*

OMNIA perpetuâ ſemper vertigine volvi
Inconſtans natura dedit memoriq́ue negavit
Stare diu ſpatio, quicquid cæleſtibus aſtris
Suppoſitum, Luneq́ue cavo ſublime tuetur.
Fati meta ſui eſt, alternaq́ue nomina rerum
Famæ munus habent, ſuperiſq́ue ea cura videtur
Mentibus æternis mundum occultare tenebris,
Et certum fixiſſe diem, quo gloria rerum
Staret, & ancipiti præcluſa ſcientia fato.
Scilicet humanis agnata ſilentia rebus
Obveniunt, cunctiſq́ue nocens annalibus ævum
Sollicitat, ſolos nullo raptore teneri
Cælicolas, legemq́ue ſui neſcire ſepulchri
Credimus, humanos actus momenta volutant,
Et puncto ſors noſtra ruit. Quid marmora nobis
Fingimus, & duro compactos ære Coloſſos,
Punctaq́ue pyramidum ſummi monumenta laboris
Mox fato ceſſura ſuo? date præmia faſtis
Queis rerum debetur honor, memorandaq́ue ſeris
Temporibus priſci remanebit gloria mundi
Communi peritura chao, ſignataq́ue ſcriptis
Acta triumphali ducentur ad ultima curru
Sæcula fatalem mundi viſura ruinam,
Et ſimili ponenda rogo: quis Friſica noſſet

Nomina,

Nomina,& antiquos primis in ſedibus ortus,
Armaque Romano proavorum ſanguine tincta,
Diſtractumque caput mundi,laceroſque Penateis
Veſtaleſque focos turbataque ſacra Deorum
Tarpejumque jovem niſi te ſcribente videret
Mundus Friſiacos in lucem ſurgere faſtos?
Queis poſſit ſibi Roma queri,priſcumque cadaver
Lamentis deflere novis, habere veteres triumphos
Ire ſub obscuram polluto nomine noctem.
Quid vetuit ſuperos reſerati limina Iani
Claudere? qualem olim læti vidêre Quirites
Fatidico regnante Numâ, ne Roma ruinam
Sentiret, fatumque ſuæ prænoſceret urbis,
Terrarumque caput peregrinâ gente ſubactum
Rideret Fortuna ſibi,mortalibus ævi
Ludibrium ſtagnum terræ, lacerumque cadaver
Imperij,quo nulla dies Auguſtius unquam
Vidit,& à longo venientis tempora mundi.
Sic rerum ſors ſummà ruit.quid nomina proſunt
Priſca,vel antiquis pendentia ſigna theatris,
Et vincti poſt terga Duces? quid gentibus orbis
Romanum poſuiſſe jugum, Phæbique meatu
Menſuraſſe ſuum diverſa per æquora nomen?
Abſtulit hoc ævi ſeries, Ianique biformis
Vna dies nunquam faſtis ſignanda Quiritum,
Prodigium ferale ſui. Si ſcribere Cannas
Noluit, & Latiis damnata eſt Allia ſcriptis,
Iuſtaque Theſalicæ meruere ſilentia clades,
Hoc ſileant monumenta malum, taceantque nepotes,
Vulnus Roma tuum, quo primi gloria regni
Interit, & magnis regum dominata trophæis
Victrix palma ruit,jam nunquam libera,nunquam
Iuris Roma tui es, victricia ſigna recedunt,
Fæliceſque aquilæ varium ducuntur in orbem
Et totum nunc Roma jaces,capitolia mœrent,

Et

Et recubant veteres iratis manibus umbræ,
Luſtraleſque animæ devotaque pectora bello
Etyſiâ ſub valle dolent, quæ ſurgere fato
Si vellent ſuperi, tetriſque exire ſepulchris,
Et cæli vidiſſe diem, jam priſca rediret
Auſpiciis fortuna novis, clypeoq; reſumpto
Olim depoſitis iterum pugnaret in armis
Vindex dextra tui. Superos quid Roma laceſſas
Hoc fatum fecere tuum, decretaque cælo
Triſtia præcedunt magnæ portenta ruinę
Quâ nudum niſi nomen eris tibi ſacra Deorum
Templa, vel evulſos undoſo Tybride muros
Projicient, urbiſque locum proſciendet arator
Et ſtabit tellure ſeges, dubitaſne furorem
Aut conjuratos in te deſcendere reges,
Et populos quos mundus habet? proch prodiga fati
Vrbs peritura tui, rigidum Venus ebria Martem
Neſcit, & in thalamis bellorum oblita voluptas
Fortunâ ſecura ſuâ eſt, præludia caſus
Hæc ſunt Roma tui, quo te ſibi Teutona tellus
Iungit, & auguſtus noſtro certamine Cæſar.
Iam ſpectrum, funuſque jaces, lacerumque cadaver
Orbis, & inſignis mundo ſpectante lacuna,
Fabula cælicolum, miſeranda Tragædia rerum,
Fortunæ pejoris opus, fuge nomina Romæ
Nunquam Roma prior, regni pereuntis Imago,
Scortorum ſtabulum, fratrumque inceſta ſuorum
Et facilis ſcelerum nutrix, populique ſepulchrum
Auſonij, vario victricia ſigna recedunt
Romanaſque aquilas alienæ ſumere gentes
Incipiunt, priſcique latent ſub nocte triumphi.
Tu noſtris manibus ſpolium, tu gentibus orbis
Dedecus, exemplum fati mortale tenentis
Triſte jaces, jam noſtra tuis Fortuna ruinis
Surgit, & antiqui Friſiorum gentis honores,

Et

Et mundo monumenta patent, quibus atra ſilere
Iuſſerat ante dies, & duri parca laboris
Impoſuit neſcire manus quid ad Albidos undas
Geſſerit, & Borean, Eoaque regna petentem
Danubium, celebres externis motibus Hunnos,
Normannumque trucem, turbataque ſceptra ſub Arcto
Preſſit ſæva dies, & longis Saxonas armis
Slavorumque feras acies, dominamque potentem
Orbis, & illuſtrem primævo nomine Romam
Friſiacâ cecidiſſe manu, quid marmora proſunt
Sola ſuis ſignata notis? ſi Roma peribit
Et perijt, referuntque ſuas monumenta ruinas,
In ſe cuncta ruunt, ſolis data gloria faſtis,
Et dextræ laus illa tuæ, quæ luce reperta
Omnia diſcutiens gravibus ſuppreſſa tenebris
Mundo pandit opus, quod ſera in ſæcula nomen
Provehat, extremo mundi ventura ſubjectu,
Virtus Cana viri, cui tantum patria debes,
Quantum juſta potes, flavi gaudete Britanni,
Genſque Caledoniæ prædatrix Accola ripæ,
Priſcaque confuſis obſcura Batavia faſtis,
Nunc mundo jus omne redit, cantataque noſtris
Gentibus immenſo virtus diffunditur orbi.

PIERI WINSEMI,
*Friſi I.V.D. & Advocati. Kal. Octob. 1612.*

# Annalium Phriſicorum
## LIBER QVARTVS,
### *Qui Carolus Magnus inſcribitur.*

ANNO ſeptingenteſimo ſexageſimo 768.
octavo die vigeſimo quarto Septembris, cùm Pipinus Nanus Rex Francorum in fata conceſſiſſet, duo ejus filii Carolus & Carolomannus, licet male concordes, univerſum Imperium inter ſe pacificè diviſerũt. Erat autem illud diſtinctũ in regnum occidentale & orientale: quorũ illud Neuſtria, hoc verò Auſtraſia vulgò audiebat: utrumque Schaldis Moſa atq; Rhenus nota flumina diſcriminabant. Carolomannus minor natu pro parte ſua Auſtraſiam & in ea Germaniam ac belgas accepit: Carolus, q̃ poſtea ob rerum geſtarum gloriam Magnus eſt vocatus, Neuſtriam; in eaq; Burgundiam, Narbonam Aquitaniam & Lugdunum provincias, cum Moguntiaco, Wormacia & Aquiſgrano urbibus. Diviſione peracta, Carolus Imperii ſui ſedem Novoduni collocat: Carolomannus verò Auguſtæ Sueſſonum.

Cùm autem anno 769. Carolus audiret, Aquitaniam, 769
Duce quodam Hunoldo, reliquias patrati à Pipino patre belli, recolligere & res novas contra fidem datam moliri, *1. Bell. Aquitanicum.*
re cum fratre Carolomanno communicata, ab ea ſubigenda bellorum initium auſpicari conſtituit. Itaque paſchate Rothomagi in Gallia celebrato, etiam promiſſis à fratre auxiliis deſtitutus, ſtatim in Aquitaniam ducit, primoque

ſuo adventu Hunoldum, qui ſe pro duce gerebat, eâ provinciâ fugat: confugientem ad Lupum Guaſconiæ ducẽ perſequitur & ſua poteſtati ſubjicit. Nam cum miſſis legatis Lupo denunciaret Carolus, ſe cum exercitu Guaſconiam ingreſſurum nec egreſſurum prius, quàm transfugam recepiſſet & ſuo ipſe Lupus obtemperaſſet imperio; Dux Lupus minis ejus territus, & Hunoldũ cum ſua uxore & ſeipſum in manus Caroli ſine cunctatione dedit.

At Carolus receptis legatis, cum transfuga Hunoldo, caſtellum in confiniis, quòd Francum appellat, ædificat eoque permunito revertitur in regnum ſuum; domini natalem in villa Duria apud Iuliarenſes: paſca autem apud S. Lambertum in vico Leodico celebrat.

*Marcodurum villa Duria Durẽ hodie.*

*Leodicum vulgo Luyck. Vide amales Cæſ. Baronii.*

Carolomannus autem Rex Auſtraſiæ Deſiderii Longobardorum Regis filiam habebat in matrimonio & à Carolo moribus ac ingenio multum diſcrepabat. Vt igitur fratres diſſidentes conciliet, mater illorum Bertrada apud Saluſiam primùm cum Carolomanno locuta in Italiã proficiſcitur atque alteram deſiderii regis filiam inde ſecum in Neuſtriam ducit Caroloque dat uxorem. Verumenimvero hiſce nuptiis anno 770. cõfectis ſummopere obſtabat papa Stephanus ejus nominis quartus, qui verebatur, ne ſi duplici vinculo affinitatis Francorum Regibus fuiſſet alligatus Rex deſiderius, majora contra ſedẽ Apoſtolicam tentaret, qui alioqui quotidie rem romanam atterebat & papæ erat moleſtus. Quamobrem Carolus papæ monitionibus obſecut⁹, altero ſtatim poſt anno uxorem ſuã deſiderii filiam temere ex conſilio pontificis Romani, à ſe repudiat, eam ob morbum liberorum procreationi ineptam cavillans ac Lutgardam Hiltebrandi Suevi Ducis filiam in ejus locum ducit conjugem. Poſt illa Carolomannus frater ipſius anno 771. pridie nonas. Decembris in villa Salmontiaca moritur & Rhemis ſepelitur. Ej⁹ viduaCarolum odio habens una cum liberis ſuis ad Deſideri um

*770.*

*771. Carolomanni moritur.*

derium patrem in Italiam fugit: Epiſcopi verò, Abbates, Comites atq; Duces: qui hactenus ab ea ſteterant, omnes ad Carolum tranſeunt. Sed & Stephanus Papa anno porro ſequenti Calendis Fabruarii è vita ad celites migrat, cum ſediſſet annos tres mẽſes quinq; & dies viginti octo. Ei Hadrianus civis Romanus familia nobili prognatus in pontificatũ ſuccedit vir ab ineunte ætate honeſtis ſtudiis & pietati impensè deditus, uti perhibent. *Hadrianus I. Papa Roma.*

*772.* *Bellum Saxonicum.*

Rex Carolus morte fratris totius Galliæ ac Germaniæ factus dominus, ad componendum & dilatandum Imperium cùm animum adjeciſſet, ſecundum ſui operis bellũ contra Saxones in Germania habet: quo nullum ab eo geſtum fertur atrocius aut diuturnius: quippè quod multis utrimque cladibus famoſum, totos triginta tres annos duraverit, & tandem non tam armis, quam religionis introductione ſit trãſactum. Erant autem jam antea Saxones à Carolo Martello primum, deinde à Pipino ejus filio bellis victi, & tributo ſubjecti: quòd cum Carolo ſolvere denegarent, ſua culpa & merito ejus arma in ſe provocarunt. Carolus igitur hoc anno 772. habito Wormaciæ concilio, de conſenſu ordinum atque procerum in rebelles Saxones exercitum ducit & quidẽ non tam ut eos priſtinæ obedientiæ reſtitueret, quã ut eoſdem ad Chriſti fidem à peganiſmo, quo hactenus dementati tenebantur, adduceret. Diſtinguebantur autem tum Saxones, ut ex Hiſtoriis liquet, in Tranſalbianos, Oſtphalos Angarios atque Weſtphalos. Quorum Weſtphali Rhenum ac Viſurgim contingentes antiqui Saxones dicebantur: Angarii inter Phriſios at Weſtphalos mediterranea obtinebant: Oſtphali, qui & Oſterlingi inter viſurgim & Albim fluvios conſidebant: Tranſalbiani verò eam regionem poſſidebant, quæ nunc Holſatia nuncupatur. Regebantur autem omnes Saxones per Satrapas (ut aliqui referunt) duodecim: qui tempore ingruentis belli ſimul congregati ſorte *Saxonum ſedes diverſa*

*Regimen.* ducta regem ſive Ducem exercitus creabant, q bello finito Magiſtratum deponebat, & in ſua redibat. Succeſſu verò temporis evenit, cum hoc bellum Caroli extenderetur latiùs atque in tempus longinquum, ut Widekindus *Duces.* Weſtphalis, Bruno Angariis, Heſſo Oſtphalis & Albio Tranſalbinianis præfecti atque Duces perpetui fierent. Hoc autem tempore militiæ præerat Bertholdus Angriæ ſatrapa, Widekindi Patruus, qui Chriſtianæ fidei hoſtis erat quaſi juratus. Carolus verò contractis ſuorum copiis Dinsburgi in Clivia belli ſedem capit: inde primo ſtatim impetu Eresburgum caſtellum in principio Weſtphaliæ ſitum natura & opere bene communitum expugnat & impoſito præſidio firmat. Hinc ad Lippiam oppidum progreſſus Arminii Cheruſci, Germaniæ quondam contra Quintiliam varum Liberatoris ſtatuam, quam Ermenſul vocabāt,una cū fano dejicit ac ſolo æquat. Quod cum triduo vix perficeretur, ſole multum æſtuante in regione ſabuloſa, evenit, ut milites aquam ſitibundi quærentes in torrentem forte fortuna inciderent,qui ſtatis tēporibus ſcaturire & iterum terræ ſe condere ſolebat, hodieque Bullerborne dicitur, non longè ab oppido Paderbornâ ſitus atque etiam nunc antiquum ſuum morem obtinet qui tunc improviſius ebulliens miraculi ſpeciem præbebat ꝙ Caroli Regis fortunæ à piis adſcribebatur. Saxones ſane hac tā repentina Francorū victoria perturbati,cum ad Viſurgum conveniſſent, & obſides duodecim confeſtim dederunt, & ſe in poteſtate Regis in poſterum ſemper futuros ſancte promiſerunt. Rex autem Carolus in Franciam tum reverſus, in caſtro Heriſtallio, citra Moſam à Pipinis cōdito,Criſti natalē& paſchra celebrat.Hereſtellum quidem ad Moſam flumem propè Leodicum eſt poſitum, hodieque extat: de Eresburgo autem docti ad huc dubitant,locum ejus quærentes,alii ad Luppiam, alii ad Viſurgim: Quorum opinionibus equidem nequeo accedere,

*Bullarborna torrens mirabilis.*

*Saxones victi obſides dant duodecim.*

cedere, eo quod, longius à Rheno, quam par eſt, diſcedāt: Mihi autem videtur Eresburgum accepiſſe nomen ſuum à mōte & ab eo quod in eo erat Saxonici exercitus præſidio, quod non longè à Rheno in confiniis cōtra Francos conſtitutum etiam hodie Heresberga, quaſi mons exercitus appellatur Comitatus titulo gaudens. Illud profectò Carolo prius expugnandum erat quam ad ulteriora progrederetur, ſi à tergo hoſtis incurſiones evitare vellet, ut erat conſultum. Bello autem cum Saxonibus flagrante, Deſiderius Rex Longobardorū in Italia, ob repudium filiæ Carolo iratus, apud Hadrianum pontificem ſatagebat ut filii Regis Carolomanni defuncti, ab eo Reges Frācorum inungerentur, non tam favore puerorum quamvis ex filia nepotum, quam ut Carolo invidiam & tumultum in Francia concitaret. Pontifice autem hoc ejus poſtulatum abnuente, Deſiderius ſtatim ejus civitates ac ditiones invadere, Romanam Eccleſiam multis detrimentis afficere Pontificemque ipſum eo anguſtiarum redigere, ut ſe muris urbis continere cogeretur, Pontifex verò miſſis ad Lōgobardum identidem legatis injuriam deprecari & pacē petere. Vbi verò cernit ſe nihil ęqui ab eo impetrare poſſe, re cum ſuis deliberata, ad exemplum ſuperiorum Pontificum confugere & Carolum tum Francię & Germanæ regem ſuppetias rogare conſtituit. Et quoniā omnes terreſtres viæ à Longobardis occupatæ erant, legatum ſuum maritimo itinere Maſſiliam mittit, qui inde porro ad Carolum terra profectus, ipſum in Theodonis villa convenit, coramque admiſſus, cum Longobardi injurias in ditiones ac patrimonium D. Petri prolixè commemoraſſet, ad extremum denique rogat, ut Carolus avi atque patris veſtigia ſequi, Eccleſiæ rebus miſerè afflictis ſuccurrere & Hadriano Papę in extremis conſtituto periculis, opitulari velit, ne ipſe invitus Carolomanni filios in ipſius præjudiciū atque damnum in reges Francorum inungere rogatur:

*3. Bellum in Deſiderū Regem Longobardorum.*

quòd Longobardus ſummopere flagitet. His auditis Carolus pro ſua ſingulari in Eccleſiam Romanam pietate extemplo reſpondet, ſe daturum operam, ut vel auctoritate ſua vel armis compulſus DeſideriusPontifici ſatisfaciat: Nec longum cunctatus è veſtigio ſuos legatos ad Deſiderium mittit, qui ipſum ab injuria abſtinere & pontifici Romano ſua reſtituere jubeant. Cum autem Rex Deſiderius fictis & inanibus promiſſis legationes Caroli ſubinde ludificaretur & ad extremum nec acceptis quatuordecim ſolidorum millibus, qui offerebantur, ſatisfacere pontifici vellet, Carolus indignatus rem omnem ad concilium procerum refert & ex ejus dereto arma in Deſiderium ſumit. Itaque copiis infinitis ex francia & Germania contractis & Genevam apud Allobroges convenire juſſis, menſe octobri iter in Italiam ingreditur, totumque exercitum in duas partes diſtribuit: quarum unam Bernardo Caroli Martelli filio patruo ſuo tradit eumque per montem Iovis præcedere, ad occupãdos alpium anguſtias jubet: ipſe cum parte altera per Ciniſium montem ſubſequitur. Deſiderius de Caroli adventu per emiſſarios certior factus, ipſe quoque ex toto ſuo regno exercitum cõparat, tranſitus alpium inſedet & præſidiis firmat. Quòd ubi Carolus ſenſit, validam ex ſuis cohortem per montiũ avia decurrere jubet, quæ Deſiderium à tergo circumveniat. Ea re comperta Deſiderius ſtatim caſtra deſerit & relictis utenſilibus fugam capeſſit, ut periculo tam manifeſto ſe ſubducat. Itaque Carolus ſine ullo obſtaculo alpes ſuperat, fugiẽti Deſiderio imminet, multoſque hoſtiũ in itinere contrucidat. Deſiderius autem cum aperto bello graſſari non auderet, Papiæ muris ſe includit: filium ſuum Adalgiſum cum Berta Carlomanni vidua ac liberis Veronam ire jubet. Carolus exemplo patris Papiam è veſtigio obſidione cingit: eamque, Hildegarde uxore & filiis è francia evocatis uſque ad diem natalẽ Chriſti perducit

*Ex concilii ſententia Carolus bellũ monet.*

ducit

ducit. Natalitiis Chriſti in caſtris celebratis ſub initiũ anni ſeptingenteſimi ſeptuageſimi quarti obſidionem Bernardo duci prædicto committit: ipſe Veronam cum delecta militum manu cõtendit. Adalgiſus Deſiderii filius rebus ſuis diffidens Veronâ deſertâ Conſtantinopolum evadit, ubi ab Imperatore Conſtantino Copronymo Patritius efficitur. Carolus eo digreſſo Veronam deditione capit, Bertam fratris ſui viduam & filios ejus ibi nactus in Franciã mittit & honorificè habet. Hinc cætera transpadana oppida non gravate in deditionem veniunt: quibus receptis ad Papiæ obſidionem revertitur: quæ cum jam ſextum menſem duraret, Bernardo iterum committitur: ipſe cum Epiſcopis, Abbatibus militibuſque delectis Romam vadit ac primo die paſcatis ab Hadriano Papa magnificè exceptus azymalia cum illo celebrat, ſalutatiſque Apoſtolorum Liminib⁹, quòd tunc magnæ pietatis inſtar erat, octavo demum die in caſtra ad Papiam redit: Quàm denique fame & peſtilentia exhauſtam, Deſiderius cum dedere cõpelleretur, ſe cum uxore & liberis regiaque tota in poteſtatem Caroli, permittit. Ejus exemplum omnes ſubito Lõgobardi ſine exceptione tum ſequũtur malentes magnanimi victoris clementiam, quàm vim extremam temere experiri. Deſiderius amiſſo regno cum uxore & Liberis Leodicum deportatur in exilium, cum ſtetiſſet Longobardorum in Italia potentia annos ducentos & ſex: Idque anno Chriſti ſeptingenteſimo ſeptuageſimo quarto: ut intelligant mortales Supremum in hominum regnis dominari, qui ea tradat, cui viſum ei fuerit. Carolus hac victoria potitus Modœtiæ per EpiſcopumMediolanenſem ferrea corona redimiri voluit & certa cæremonia rex Longobardorum declarari: quòd poſtea etiam in Impertorum inanguratione celebratum fuit. Quibus rebus Modœtiæ & Papiæ ſoleniter peractis, ad Italiæ, cujus jam & armis & jure factus erat dominus rempublicam
conſtituendam

*AC. 774.*

*Vidua Carolomanni cũ liberis Veronæ capitur.*

*Carolus Romæ paſcalia celebrat.*

*774.*

*Deſiderius ſe Papiæ Carolo dedit & Leodicum in exilium deportatur.*

conſtituendam animum adjicit. Itaque & Romam, ad cōſilia cū Hadriano Pontifice cūmunicanda, proficiſcitur & ab illo ſummus honoribus iterum ſuſceptus, in publico procerum conventu Patritius Romanorū adclamatur & Ius per ſingulas provincias Archiepiſcopos & Epiſcopos inſtituendi, Pontificem eligendi ſedemque Apoſtolicam ordinandi accipit. Dicebatur autem Patritius, Imperatoris quaſi pater, qui in ſummis conciliis etiam antè præfectum Prætorio, proximè Imperatorem ſedebat. Electio autem Epiſcoporum porrecto deceſſoris annulo & pedo conficiebatur: quam inveſtitutam barbare appellabunt à Germanico vocabulo Inveſtigen, quòd confirmare ſignificat. Hinc ad Italiæ diviſionem progreſſus, Apuliam Peucetiam & Calabriam Imperatori Conſtantinopolitano relinquit; Ducatum Beneventanum in quo tunc Apulia Daunia erat Agariſo Deſiderii genero: Spoletanum Hildebrando, foro Iulienſem Rotgando permittit Iure feudi, dominio ſibi conſervato. Exarchatum Ravennatem, Pentapolim, Ducatum Peruſinum, Romanū, Tuſcum & Campanum, Iure principatus & ditione excepta, Pontifici Romano donat: reliqua ipſe ſibi nomine regni Longobardici retinet. Duces vinculo feudi obligati cenſum annuum penderè juſſi, cetera liberi, jurabant ſe Carolo & filiis ejus fideles fore in tota vita ſine fraude doloque malo. Qui hoc inſuirandum falleret aut ſine filiis decederet, ducatu excidebat & ad alterū ejus fiebat tranſlatio, quæ itidem inveſtitura dicebatur. Quòd poſtea etiam in aliis feudatariis, in Comitibus, Capitaneis & valvaſoribus obſervatum fuit. Deinde regni Longobardici limites atq; oppida Comitibus adminiſtranda committit eiſq; omnem publicā & privatam Iuriſdictionem mādat.

*Carolus cō ſilia cū Hadriano Papa confert.*

*Patritius Romanorum appellatur.*

*Italiæ diviſio & conditio:*

*Limites Marchæ tunc dicti & eorum præfecti Marchæ Comites aut Marchiones appellati. Hinc & extra ordinem Legatos quoſdam majore, quam Comites, poteſtate ordinat, quos*

*Miſſos*

*Miſſos appellabant: qui quotannis nomine Regis in provincias profecti, magiſtratuū errata obſervabant & emendabant. Civitates quoq; præter fidelitatem jurabāt, ſe regis vitā membra, mentem & rectum ejus honorem ſervaturas. Feudatariis autem, civitatib9, Eccleſiis ac monaſteriis certa tributorum genera impoſuit, fodrum, paratam & manſionaticum appellata, quæ advenienti in Italiam regi per ſolverentur. Quoties vero in Italiam poſtea venit, conventus Epiſcoporum, Abbatum, ac procerum Italicorum habuit & cum iis de rebus regni graviſſimis Francorum more communicavit. Atque hæc quidem à Carolo non tantùm in Italia, ſed & in ceteris regnorum ſuorum Provinciis, Reipublicæ gubernandæ formula conſtituta tunc fuit. Itaquæ eâ illic firmatâ, Carolus Papiam munit & in Franciam lætus cum triumpho regreditur. Poſthæc Francorum Longobardorumquê Rex & patritius Ro: dictus: Interea, dum Carolus apud Papiam conſidet, Saxones ejus abſentia invitati, fidem temerè frangunt: Provincias Francorum invadunt, Haſſiam vicinam deprædantur. Enimverò ad Fretiſlariam, cum Baſilicam illic à S. Bonifacio conſecratam incēdio conſumere non valerent, terrore panico correpti, ob duos Iuvenes albatos, qui Baſilicam in aëre viſi defendere, retrocedunt & in fugam ſe conjiciunt: Ex Saxonum numero unus cum ligna comportaſſet, Iuxta Baſilicam flexis genibus igni incumbens, ſpecie flantis, repertus eſt mortuus: ut annales atteſtantur. Cum autem ex Italia redux Engelhemum perveniſſet Carolus, exercitum ſuum in quatuor partes diviſum, in Saxones emittit, ut injuriam populo ſuo illatam ſtrenuè vindicarēt: quod & fecerunt. Nam & ubique victores extiterunt & magna præda locupletati in Franciam ſunt reverſi. Atquæ hæc quidem omnia anno 774. à Carolo geſta ſunt.*

*Saxones ſecundò rebellant.*

Anno autem ſeptingenteſimo ſeptuageſimo quinto, 775. cum Saxones quieſcere nequirent, Carolus Cariſiaci in Campania Gallicana conventum procerum Franciæ habet: in quo multùm de Saxonum perfidia conqueſtus,

*Saxones tertio rebellant & vincuntur.*

hoc tandem obtinet, ut in eos bellum perpetuum decernatur, donec relictâ ſuperſtitione, religioni Chriſtianæ nomen darent, & Francis ſe ſubjicerẽt. Hoc decreto populi Carolus armatus extemplò militem conſcribit, & Marcodurum primo vere convenire jubet, quò rei bene gerendæ conſilia cum ducibus ineat & communicet. Habebat enim hoc in more ex veteri Francorum inſtituto, ut nullum ſine conſenſu populi bellum ſuſciperet, utque ſuſceptum conſilio ducum exſequeretur. Vere igitur appetente, Marcoduro ſolvit exercitus, & trajectoRheno, primo ſtatim Impetu caſtellum Sigeburgum, è regione Marcoduri in monte ſitum expugnat, & præſidio locato firmat. Inde deſcendens Eresburgum, ab accolis dejectum, ne Francis uſui eſſet, inſtaurat, & relictâ illic militum egregiâ manu, diligenter munit. Hinc ad Viſurgim pergit, ubi ad Brunonis montem ingens Saxonum occurrens multitudo ab exercitu ejus cæditur: quocirca, ſine ulla injecta remora, Viſurgim etiam tranſit, & caſtris ad Ovacrum fluvium (qui nunc de Oker dicitur) poſitis, pugnandi copiam Oſtphalis, qui & Oſterlingi appelantur, facit. Verùm Dux illorum Heſſo periculo vicinorũ monitus, cum populo ſuo in caſtra ſupplex venit delicti veniam petit, & datis obſidibus ſe in poteſtate Caroli ſemper fore promittit. Hinc ad Angarios ierum, qui item, ut ſuperiores, cũ Duce ſuo Brunone in fidem recepti. His ita fæliciter actis, reditũ parabat exercitus, ſed fraus Veſtphalorum ipſum revocat. Francorum enim quædam manus, locatis caſtris ad, Viſurgim ſui reparãdi cauſa ſubſtiterat: quæ cum ob recentem victoriam, ut fieri ſolet, ſecuriùs ageret, Saxonibus occaſionem dedit unà cum Francorum pabulatoribus, ſub noctis crepuſculum caſtra ingrediendi, & facinus aliquod egregium in hoſtes perpetrandi. Itaque eo modo, quo dixi, ingreſsi caſtra Saxones, ſopitis Francis, per tenebras cædem intentant, atque

faciunt

faciunt non modicam, donec Franci è ſomno experrecti correptis armis illos rurſus ejiciunt. Ea res cum cæteris Francis annunciata eſſet, totus exercitus iter ſuum convertit, & ſcelerati facinoris celeriter punitis auctoribus, Veſtphalos, item acceptis obſidibus, ſuæ poteſtatis facit.

*Saxonibus hoc modo ad obedientiam compulſis, reſtabant ſoli Phriſii, qui Francis ac Saxonibus prætexebantur & ditionem Caroli, quò minus ſolida atque continens uſque ad Oceanum Germanicum eſſet, denormabāt. Etſi enim Carolus hoc* 4. Bell. in Friſios. *anno ſibi Veſtphalos, Angarios & Oſtphalos, qui Saxones ſuperiores dicebantur, ſubjecerat, tamen Phriſios, qui in littore Oceani & ad oſtia fluviorum Rheni, Amiſij, Viſurgis, atque Albis, commorantes, Saxones inferiores, audiebant, nondum attigerat: ſed tantùm ſuperioribus devictis, magnùm eis terrorem injecerat, eo quòd ipſi cum Saxonibus ſentirent & in eodem luto Paganæ Impietatis obſtinatè perſiſterent. Patre quoque Pipino mortuo, haud dubiè inveneratPontificum Vltrajectinorum Literas, quibus Phriſiorum in ſuperſtitione pervicacia, & adverſus ſedem Epiſcopalem contumacia erat perſcripta: quibuſque contra eos ſuppetiæ ad fidei Chriſtianæ propagationem obnixè petebantur. Vrebat præterea Carolum Radbodi regis Phriſiorum, ejus nominis ſecundi in pios viros, tàm exteros quàm ſubditos immanitas, quòdque is, præter rationem ac modum, Francorum inſtituta contemneret. Quô igitur & ipſum Radbodum regem in ordinem redigeret & Phriſios à Paganiſmo, cui impensè dediti erant, ad Chriſtianæ fidei divina myſteria perduceret, ex uſu reipublicæ Carolus hoc anno 775. expeditionem quoque in Phriſios Saxoniæ vicinos ſuſcepit, & duobus cum Radbodo eorum rege prælijs congreſſus, cum victor extitiſſet, eô anguſtiarum Radbodum redegit, ut tertium experiri non fuerit auſus, ſed diffiſus rebus ſuis, cùm Chriſtianus audire nollet, ſolum verterit & in Daniam fugâ ſe ſubduxerit: quemadmodum & libro ſuperiore à nobis eſt perſcriptum. Carolus autem hoc modo Friſiâ potitus extemplô illam*

Carolus Frisios vincit

*in provinciæ formam redegit, impoſito 20. vel 30. Librarum auri tributo: & ex legibus inſtitutiſq; Francorum eandem gubernavit, ſicuti ex vetuſtis Friſiorum monumentis & annalibus liquidò probari poteſt. Nam & præfectum ei is dedit, quē ipſi Comitem, aut Ducem vulgò, veteres autem Romani Poteſtatem appellabant & Eccleſiaſticæ Diſciplinæ eoſdem ſubjecit: ut in omni vita honeſtatem ac pietatem conſectarentur. Comes autē ille habebat ſub ſe ſuos Iuridicos in ſingulis Pagis, qui populo jus dicebant, quique de criminibus & eorum pænis cognoſcebant, qui Scholtati volæſgæ dicebātur. Erant etiam Voigti id eſt, Procuratores, qui regis nominè tributa & feudorum Iura conſervabant. Qui omnes legitimè nati et nullius criminis affines ſi eſſēt, Iusjurandū dabāt de officio recte adminiſtrādo. Quin & ipſe Comes non admittebatur, ad munus ſuum, niſi & genere & vita integer, puruſq; ab ōni maleficio haberetur publicitùs. Cui & hoc juris deinde impoſitum ut fuit, niſi per portū meridionalem, quem Sudermude vocabāt, Stavoram navigio veniret, ibique mandatum ſuum ſcriptū & ſigillo Regis, à quo mitteretur confirmatū exhiberet: quo viſo & approbato Aeſgæ ipſū ſuſciperet, et ut comitē coli & obſervari juberet, adjectâ in cōtumaces certâ mulctâ, quē Bannum appellabāt: Quod non ſolum ſub Carolo Magno, verùm etiam ſub aliquot deinceps ſecutis Imperatoribus obtinuit, ut ex legibus vernacula Friſiorum lingua ſcriptis & Coloniæ ante aliquot ſecula impreſſis liquidò conſtat. Quin & poſteriorib⁹ tēporib⁹ conſtitutū ac ſedulo obſervatū fuit, ut Comes Sudemudâ Stavorā ingreſſ⁹, inde pergeret Cēpeneſſā in agrū curiæ ſuæ, vulgò, hoſlant dictū ab oceano nunc occupatum: Cēpeneſſa proficiſſeretur Almenū & Almeno Franækeram, ubi tanquā in publico Phriſiorum cōventu mandatum Regis ſui, à quo mittebatur, explicaret, & muneris ſui auſpicia caperet, utque de adventu illo ſuo ante ſex hebdomadas propoſito, edicto, populum certiorem faceret, ne quid ex novitate turbaret. Deinde & hoc obtinuit, ut quarto quoque anno conventum populi totius Comes celebraret, ubi ipſe pro tribunali ſedens de omnibus ante actis, tàm civilibus, quàm*

Ducem vulgo Poteſtatem [illegible]

*criminalibus, quæ deciſa non erant, cognoſceret ac judicaret. Atque hæc quidē ſub Corolo Magno tunc gubernatio primum inſtituta fuit qua populus in pace continebatur.*

Vt autem Friſii Paganiſmum exuerent, quo ad hunc uſque diem publicè faſcinati erant, ſedulò dedit operam Carolus, ut docti atque pij viri in Phriſiam mitterentur, qui plebem in fidei Chriſtianæ Myſterijs, prout ea tum ferebant tempora, diligenter inſtituerent. Phriſii quidem jam antea pietatis elementa à ſanctis Willebrordo, Bonifacio & Gregorio, Epiſcopis Vltrajectinis, aliiſque viris religioſis utcūque audierant: multique eorū Chriſto nomen dederant: Maxima tamen pars eorum ad exemplum regis ſui in Idolorum cultu perſeverabat: & ſuæ ſalutis incerta erat. De Willebrordo & Bonifacio, quomodo à Pontifice Romano ad Phriſios miſſi fuerint ſuperiori Libro indicavimus. Gregorius autem tertius Trajectinæ Eccleſiæ Epiſcopus mandato Regis Carlomanni, qui frater Pipini Regis Franciæ erat, à Bonifacio deſignatus fuit, ut teſtis eſt, ipſe Bonifacius in literis ſuis ad Zachariam Papam Romanum. Erat autem Gregorius natione Francus, gente Trevir apud ſuos honeſto loco natus, ut erant tum temporis plærique omnes, qui ſacris, atque bonis literis operam dabant.. Hic cum eſſet apud aviā ſuam Adulam antiſtitam monaſterij virginum, quod apud Trevires in ripa Moſellæ conditum erat, & eô S. Bonifacius ex itinere ſui colligendi cauſſa divertiſſet, in menſa legit pro more homiliam quandam, ita expeditè, ut S. Bonifacius ejus lectione delectatus eandem ſtatim repeteret & maxima cum facundia auditoribus ac convivis explicaret: qua explicatione ita tū Gregorius quindecim annorū adoleſcēs affect⁹ fuiſſe dicitur, ut relictis omnibus S. Bonifacij cōtubernio ſe cōfeſtim adjunxerit, idque anno ſeptingenteſimo decimo nono. S. Bonifacius autem cū ipſum per Thurnigos, Francos, ac Boioarios circumdux- *A.C. 719.*

iſſet, & longo tempore tâm voce, quàm vitæ exemplo, in religioneChriſti cõfirmaſſet, Gregorium in cœnobiũ divi Martini, quod á S. Willobrordo Vltrajecti conſtructum erat, ut. plenius in omnibus inſtrueretur, collocavit; in quo talem & tam induſtrium is ſe præbuit Diſcipulum, ut tandem anno 736. ibi fuerit conſtitutus, centum cœnobitarum Abbas, & totius Diſciplinæ Magiſter eximius. Qui deinde in eodẽ monaſterio inter cæteros & Lullonẽ Archiepiſcopum, poſtea Moguntinum S. Bonifacij ſucceſſorem, & Lutgerum Phriſium-primum Ermengardefordenſem Epiſcopum, in bonis Literis atque ſacris fideliter erudiunt: Et cùm plurima abſtinentiæ, caſtitatis atque fidei ſiſnceræ exempla quotidie ederet, multos ex ſuâ ſcholâ velut ex plantario quodam uberio, ac fæcundo Doctrina ac pietate excellẽtes viros emiſit; q. per Tranſiſulaniam, Drentiam, Bataviam atque Phriſiam pro modulo ſui temporis, Euangeliũ Chriſti ſummâ deligentiâ & fide prædicarunt & propagarunt. Functus autem S. Gregorius officio Abbatis ac præceptoris annos ſedecim uſque ad annum 752. fuit ab illo anno à S. Bonifacio ſuffectus, deinceps Epiſcopatum rexit annos viginti duos. Qui prius quàm è vita migraret, quod anno ſeptingenteſimo ſeptuageſimo quarto eſt factum, ex conſenſu collegij ſubſtituit ſibi in Epiſcopatu Albericum, natione Angloſaxonem, ordine Preſbyterum, qui ejus vices triennium ex artritide decumbentis jam antea egerat, & ob doctrinam atque mores omnibus erat jucundus. Vixit autem Gregorius annos ſeptuaginta; Trajecti in æde Salvatoris terræ

774. *Albericus Epiſcopus Vltrajectis Ecclesiæ 4. annis 10.*

traditus, vel, ut aliqui tenent, in monaſterio Suſterenſi. Albericus autem quartus Vltrajectinę ſedis Epiſcopus Angloſaxo, non minore fide ac gratia, quã ſuperiores Eccleſiã illam rexit annos decem. Sed & ipſe multos ſuorum emiſit, qui Chriſtianæ civitatis pomoeria quoquoversùm accuratè promoverunt. Inprimis autem emiſit S. Lutgerum Friſium, de quo ſuperiori libro locuti ſumus, ut Da-

ventriæ templũ à S.Lebinno cõſtructum, à Saxonibus autem vaſtatum inſtauraret. Qui cùm eô veniſſet, Saxones atque Francos inter ſe tum confines diligenter inſtituit & ad Chriſti fidem, à qua poſt mortem ſanctorũ Marcellini & Libinni exorbitaverant, ſtudioſè reduxit: corpus S. Libinni diu quæſitum fruſtrà, ſomnio tandem monitus invenit & pro more illorum temporum, fano honeſtavit: quod hodieque adhuc extat habens Epiſcopale palatium ipſis parjectibus templi affixum, domum ſanè principe dignam. Hoc peracto feliciter negotio, cum Albricus cerneret ſingularem Lutgeri in rebus agendis dexteritatem, in ſpem venit, majora per ipſum in vinea domini elaborandi. Itaque in Friſiam inde eum ablegat, ut & ibi Idola & eorum delubra, quæ tunc adhuc in honore illic erant, evertat, populumque falſo deorum cultu ſeductum, in viam veritatis reducat. Eam rem ſedulò aggreſſus S. Lutgerus tantâ conſtantiâ obivit, ut coram cultoribus eorum, ſimulachra dejiceret, templa dirueret, & ex gazophylacijs pecuniam ſacram tolleret, nullo contradicente, aut ſe opponento: vel quia Caroli Magni Regis auctoritate moverentur; vel quod virtutem S. viri ſuſpicerẽt: vel quod agnatos ejus timerent, qui alioqui in iis locis Phriſiæ erant potentiſſimi. Pecuniam quidem S. Lutgerus ita, uti dixi, ex fanis abſtulit: ſibi tamen non retinuit: ſed ad Albericum Epiſcopum deportavit, & porrò cum 777.
Carolo Rege communicavit: qui eam inter Epiſcopum & Pauperes dividi juſſit. Anno autem ſeptingenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo S. Lutgerus Eccleſiæ apud Doccumanos ab Alberico eſt prępoſitus, dignus planè vel tali loco ſacerdos, vel tali & tanto ſacerdote dignus locus, ut viciſſim vel locus ſacerdotem, vel locum ſacerdos commendaret, quemadmodum in vita ejus ſcribitur. Erant autem Doccomenſes ut & cæteri Phriſii, primùm inſtituti à S. Willebrordo & ſociis ejus, deinde à S. Bonifacio: Poſt cædem autem Bonifacii primus eorum Magiſter fuerat

*S. Lutgerus Friſius Tranſiſulanos & Friſios docet.*

erat

*S. VVilhehadus Angloſaxo Doccomēſes Chriſtum docet.*

erat Wilhehadus Anglus, qui ſtudio religionis Chriſtianæ propagandæ incenſus, à Rege, ſuoque Epiſcopo ex Britannia demiſſus anno 756. rectâ Doccomium venerat & ibi ſcholā aperuerat, in quâ nobilium liberos in bonis literis ac religione fideliter longo tempore inſtituerat. Cùm autem S. Lutgerus eo veniret jamdudum Wilhehadus ad Hugermercios & Trentanos abiverat: invenit tamē illic Diſcipulos ejus probè inſtructos, qui à teneris ungviculis veritatis ſucco imbuti ipſi in diſtruendis Idolis fidelem operam navabant, & rebus ipſis oſtendebant, ſe à ſuo præceptore non eſſe degeneres.

*AC. 776. 5. Bellum Forojulienſe.*

Anno autem 776. cùm Carolus in Frāciam è Saxonia & Phriſia eſſet reverſus, comperit, ſe abſente in Italia, Rotgandum Ducem Forojulenſem natione Longobardum, quem præfecerat, exuiſſe fidem & ſuos vicinos ad rebellionem ſollicitaſſe. Ne igitur hoc malum ſeditionis ipſi impunè ſit & latius exēplo ſerpat, Carolus ſtatim cum exercitu alpes tranſvolat & ex improviſo Ducem capit & capite punit, Vrbes quæ defecerant, recipit, eiſque præſidia imponit, additis Comitibus, qui eas impoſterum rectè gubernent.

*Saxones 4. rebellant.*

Hinc celeriter Franciam repetenti fama defertur, Saxones iterum ſpretis juramentis, arma induiſſe, cepiſſe Eresburgum ejeciſſe præſidium, quod ibi collocaſſet, deinde & obſediſſe Sigebergum, ſed eruptione ab obſeſſis facta à tergo circūventos & maximam partem aut cæſos, aut ad fontes uſq; Lippiæ amnis fugatos. Quo igitur hanc Saxonum rebellionem ordine puniat, conventum procerum Wormaciæ Carolus habet, & ex decreto ejus conventus exercitu conflato, ſine mora in Saxoniam contendit. Enimverò cum ad Lippiæ fontes veniſſet, habuit ibi obvios Saxonū quàm plurimos, qui ſuppliciter bellum ac pænam deprecantes, ſuperiorum veniam delictorum petebant, promittentes relicto idolorum cultu, ſe Chriſto nomina daturos & in perpetua ipſius fide permanſuros. Multi igitur Saxonum

onum eo tempore in gratiam à Carolo clementer recepti baptiſmi ſacramentum ſuſcẽperunt,& datis obſidibus,in libertatem reſtituti ſunt. Carolus,autem Eresbergo iterum probè communito, in Galliam revertitur,& in Heriſtallio ad Moſam fluvium hibernat. Inde primo vere anni ſeptingenteſimi ſeptuageſimi ſeptimi Neomagi paſcha celebrat,&cum Saxonũ fidem non temere ſemper haberet ſuſpectam,cum magno exercitu Paderbornam,locũ totius Weſtphaliæ ob fontium ſcaturigines nobiliſſimũ, proficiſcitur,generalem populi cõventum in ea habitur[9]. Eo autem cum veniſſet totum Saxonicæ gentis ſenatum atque populum, quem ad ſe venire juſſerat, invenit morigerum,& ſibi,ut videbatur,devotum. Solus aberat Dux eorum Witekindus,qui malè ſibi conſcius regem veritus, ad Sigebertũ Daniæ Regem,uxoris ſuæ fratrem profugerat. Cùm autem cæteri,qui venerant omnes ſe regis ſubmitterent poteſtati,adjecta conditione, ſi unquã impoſterum fidem regi datam fallerent,ut & patria,& libertate exciderent,non difficulter à mitiſſimo principe veniam impetrarunt qui nullum alium, armorum ſuorum ſtatuebat finem,q̃ ut gentem illam Chriſto lucrifaceret.Baptiſata itaq;& illic eſt maximaSaxonũ multitudo,q̃ ſe fidẽ Chriſti ſuſcipere verbis quidẽ, ſed ſimulatis ꝓmittebat, ut poſtea eſt cognitũ.Carolus,cõventu Paderbornę ſoluto,in Franciã regreditur,natalemq; domini inDutziaco villa celebrat

*AC.777.*

*VVitekindus Dux Saxonũ in Daniam fugit.*

Eo tempore Eccleſiæ Oſnabrugenſi Carolus præfecit Wihonẽ Epiſcopum natione Phriſium virum doctrinâ & ſtudio pietatis inſignem, qui ibi oves Chriſti verbo & opere diu fideliter pavit, & gregẽ earũ numero auxit, cum Paderborna nondum eſſet ędificata, ſed ejus accolæ de fide Chriſti ſuſcipienda bonam ſpem atque fidem Carolo feciſſent. Inſtituit quoque ibidem collegium clericorũ, in quo Latinas atque Græcas literas jugiter doceri voluit: cujus cum rectorem dederit Wihonem , de ejus doctrina ac moribus dubitare non poſſumus.

*VVibo Phriſius primus Epiſcopus Oſnabrugenſis.*

*Donationes Caroli Magni & aliorũ principũ in Eccleſiam ultrajectinã.*

Prius autem quam Neomago in Saxoniam pergeret Carolus, in Eccleſiam Vltraiectinam non exiguam exercuit liberalitatem, ut Wilhelmus Heda, præpoſitus Arnhemenſis reliquit ſcriptum. Nam prætérquam quod anno primo ſui regni omnes antecedentum principum Eccleſiæ eidem factas donationes, atque privilegia Grægorio Epiſcopo tertio confirmaverit: donavit inſuper Baſilicæ S. Martini, quæ in Trajecto veteri conſtructa eſt, ut loquitur diploma, villam ſuam Liſidunam in pago Flechite ad alveum Hemi fluminis ſitam, cum omnibus ad eam pertinentibus tam terris, manſis, domibus, ædificiis, mancipiis, ſiluis, campis, pratis, paſcuis, aquis, aquarum decurſibus, quam rebus mobilibus, & immobilibus, quemadmodum illa omnia Vigerus Comes jam ãtea jure Clientelari ab ipſo poſſederat, unà cum ſaltibus Hẽgelſchoto, Fornhorſto, Mocorotho, & Widocko, hinc inde ad Hemum jacentib⁹. Adhæc eidem baſilicæ S. Martini largitus eſt Eccleſiam Vberkerckam, quæ ſuprà Doreſtadium eſt, una cum centum agri perticis ab ea æqualiter circùm circà diſtãtibus: Nec non, & ripaticum, id eſt, ej⁹ ripæ, quæ ad Leccam eſt, portorium ſive trajectus naulum, unà cum inſula quæ inter Leccam & Rhenum ad orientem ſpectabat, ut ea omnia dictæ Baſilicæ rector, Albericus presbyter, ejuſque ſucceſſores jure optimo teneant atque poſſideant in perpetuum: prohibens ne quis magiſtratus aut alius quiſpiam eos in ſua poſſeſſione turbet aut moleſtet. In hac donatione Caroli Liſiduna villa eſt hodie Leuſdẽ ſupra Amerſfordiam civitatem ad meridiem: eſtq; Hemus ille fluvius qui Amersfordiam alluit: ad quem etiam ſaltus illi ſuprà memorati inquiri poſſunt. Donationes porro à variis principibus jam ante Carolum magnum Eccleſiæ ultrajectina erant factæ complures, quas omnes, & Carolus approbavit, & confirmavit: eas hic recenſere nimis longum foret: unas atque alteras referam ut quaſi per indicem appareat:

pareat unde illi Eccleſiæ tantæ opes primum advenerint. Anno igitur ſexcenteſimo nonageſimo octavo, Pipinus craſſus magiſter equitum apud Francorum regem donavit S. Willebrordo ejuſq; ſucceſſoribus ipſum (ut vocãt) Trajectũ vetus, unà cum omni adjacente territorio & juriſdictione. Carolus Martellus Pipini filius his adjecit Fechnam, Thielam, Eliſtã, & Benthemum, villas ac caſtella idque anno 732. aut circiter. Anno autem 752. ſub bonifacio Epiſcopo, Pipinus Nanus primus ex ſua familia rex Franciæ non ſolum ſuperiores omnes donationes in Virmerià palatio ſuo publico ratas habuit & confirmavit: verùm etiam illis adjecit decimas omnium rerum, quæ ad fiſcum ibidem pertinebant; ad hæc vetans atq; interdicẽs, ne qui magiſtratus in eam Eccleſiam, aut bona ejus ullam juriſdictionem exerceat. Quod deinde Carolus Magnus ſui regni anno primo, ſub Gregorio Epiſcopo tertio prolixè approbat ac confirmat: Extant apud Hedam Hiſtoricum ſupra nominatum multò plura à viris Illuſtribus S. Willebrordo donata, quæ ille pro ſuo arbitrio in diverſa à ſe condita monaſteria, tanquam fidelis œconomus ad ſuſtentationem monachorum diſtribuit ac diſpenſavit, ut in ejus vita eſt videre. Tantum relligio potuit ſuadere bonorum.

*698. Donatio Pipini Craſſi.*

*Caroli Martelli 732.*

*752. Pipini nani ſive Brevis.*

Eodem quoque anno, quo S. Lutgerus in Auſtrachia Doccomium ab Idolis repurgat, vir quidam inter Friſios apprimè nobilis, nomine Guſtavus Fortemannus religionis Chriſtianæ inſtinctu, Michaelij archangelo, almeni in Veſtrachià templum cõdit ex aſſeribus quod arundinibꝰ tegit; quo Chriſtiani conveniant & deo preces offerant. Hoc tenue initium templorum Chriſti in Friſia fuit: quæ illic poſtea mirum in modum multiplicata ſunt. Vocabatur tunc Almenum locus ille ubi nunc Harlingam urbẽ cernimus. Anno ſeptingenteſimo ſeptuageſimo octavo Carolus expeditionem contra Sarracenos in Hiſpaniam

*Guſtanus Fortemam templum cõdit Almeni, ligneum.*

*778. Bellum Heſpanicum*

778 ſuſcipit,promiſſis quorundam Sarracenorum eô inſtigat⁹. Anno enim ſuperiori venerant ex Hiſpania Sarracenorũ reguli tres, qui in conventu Paderbornenſi ſtatum ac cõditionem ſuam cum expoſuiſſent,ſe cum ſuis in amicitiam & clientelam Caroli dederant. Quamobrẽ cum & antea Imperii propagandi cupidus in Hiſpaniam arma ſua deportare Carolus cogitaſſet,ab his rei bene gerendæ ſpe impletus,occaſionem oblatã omittere noluit: Veſtgotthis jam olim Hiſpaniam habitandam conceſſerat Imper.Honorius:illos propemodum illâ totâ expulerant Sarraceni: quos Iulianus Comes ob ſtupratam á rege Roderico uxorem ſuam è Mauritania furore vindictæ, acciverat anno Chriſti ſeptingenteſimo nono. Sarraceni autem,occiſo Roderico tantos in Hiſpania progreſſus fecerant,ut Aſturum,Cantabrorum, & Callæcorum,fines Gotthorum reliquiæ vix defenderent ac tuerentur. Cùm igitur Ibinilarabi Cæſarauguſtæ præfectus cum duobus ſociis, ſuas civitates Carolo offerrent: Carolus ſuarum rerum ſatagens, ante omnia contra Saxones ne rebellẽt & provincias ſuas à tergo incurrant, in confiniis præſidia collocat: deinde Novioduni in Belgica concilium indicit, atque ex decreto illius,mox comparato exercitu cẽtum & triginta quatuor milliũ primo vere in Sarracenos ducit. Per vaſconiã ingreſſus,Pompolonem urbem in Navarris benè munitã expugnat,Saracenos ibi deprehenſos occidit,mænia dejicit & ſolo æquat,ne quando res novas aggredi aut in Frãcos reſurgere poſſet. Inde oppida omnia, quæ in vicinis erant, deditione capit,ac in fidem recipit: Cæſarauguſtã uſque ad Iberum Hiſpaniæ fluvium cum copiis penetrat: obſides ab Ibinilarabi, & habitauro Saracenorum præpoſitis accipit. Hac victoria feliciter potitus Milonem Angleriæ in Longobardia Comitem, ſororis ſuæ maritum, ulterius progredi jubet: verùm is à Saraceno Rege vincitur & deletur: Id cum cõperiſſet Carolus, cõfeſtim ſenſit

fortunæ

fortunæ ſuæ in Hiſpania aleam nutare: quamobrem eandem amplius periclitari prudenter noluit. Itaque Navarros atque vaſcones ſubegiſſe contentus, in Franciam redire conſtituit. Ipſe autem prægreſſus cum exercitus ſui parte maxima, pyrenæos ſaltus cum ſuperaſſet, perfidagẽs Vaſconũ ex inſidiis irruit, extremum agmen cum impedimentis carpit, diripit, ac occiſis omnibus, qui antecedẽtes ſubſidio ſequebantur, citra vindictæ periculum, in diverſa dilabitur & in tutum ſe recipit. Cecidit in eo prælio inter anguſtias montium, quàm Ronce vallen appellant, Rulandus Britannici Littoris præfect⁹ Milonis ſupradicti ex Bertha Caroli ſorore filius: vir, uti perhibent, omnium, qui unquam inter Francos fuerunt, militum longè fortiſſimus. Quanti autem eum fecerit Carolus vel ex eo æſtimari poteſt, quod ipſum & Epitaphio deflevit, & paſſim apud Saxones ejus juſſu in honorem Rulandi erecti coloſſi, ad huc hodieque extent et conſerventur. Ceciderunt etiam illic Eghartus regiæ menſæ præpoſitus, & Anſelinius Comes palatii ut in vita Caroli Eginhartus affirmat. Iohannes verò Turpinus Archiepiſcopus Rhemenſis, qui & ipſe Hiſpanienſi expeditioni interfuit, inter cæteros duces atque principes, qui Carolo tunc militarũt & in Roncevalle à Vaſconibus perfidiosè ſunt occiſi, recenſet etiam Gundoboldum Friſiæ regem, atque ipſum veniſſe ſuppetias cum octo millibus heroum, cæſum ac ſepultum unà cum Ogero Daciæ rege, & Araſtagno rege Britanniæ & Garino Lotharingiæ duce aliiſq; quàm plurimis Belini, in Aquitania & exclamat: felix villa macilẽta Belini quæ tantis Heroibus honoratur. Quamvis autem Turpinus ille, multa illic ſcripſit Hyperbolice, quæ fidem mereri non videantur: Nos tamen illi in hac narratione de Gundebaldo rege Friſiæ, quem Galdebodum appellat id eo credimus, quòd nullam hic cauſam mentiendi habeat, quodque certum habem⁹ ex Hiſtoria noſtrate Gun-

Gundobaldus Rex Frisiæ

deboldum, Friſiæ regem octavũ reliquiſſe filium ejuſdem nominis, quandoquidem dictus fuit ipſe, Gundeboldus ejus nominis primus, quod fieri non potuit, ſi nullum habuiſſet ſibi cognominem ſucceſſorem: quemadmodum ex moneta Doccomii cuſa ad annum Chriſti 739. ſupra libro tertio annalium noſtrorum declaravimus. Fuit autẽ hic Gundeboldus Friſiæ rex quidem ejus nominis ſecundus, ſed honorarius tantum & titulo tenus: quod nemo noſtratum hactenus animadvertit: habuit quoque iſte rex fratem Iohannem, qui ob probitatem, Vulgo preſibyter eſt cognominatus, ut poſtea dicemus. Etſi autem multi viri fortes inter anguſtias montium à perfidis Gaſconib⁹, qui & armis expediti & locorum gnari erant, crudeliter ſint interfecti: Carolus tamen omnia, quæ in deditionem acceperat, oppida atq́ue caſtella præſidiis firmata retinuit, eamq́ue Hiſpaniæ partem uſq́ue in Iberum fluviũ in provinciæ formam redegit: quæ deinde paſſim in Francorũ annalibus, Marca Hiſpanica, nominata fuit, ut in illis patet. Reverſus autem in Aquitaniam Carolus comperit uxorem ſuam Hildegardam, in villa Caſinogilo, quam gravidam abiens in Hiſpaniam reliquerat, peperiſſe mares geminos: quorum alter immatura morte præceptus Lotharius dict⁹ alter proſpero eventu materno elapſus utero, die luſtrico Ludovici nomẽ accepit & una cum illo, in quo natus eſt, Aquitaniæ regnum. Interea autem dum Carolus abeſt in Hiſpania, Saxones occaſionem nacti, iterum ſe commovere tanto impetu cœperunt, ut omnes vicinos ſuos Francorum clientes & religioni Chriſtianæ deditos, uſq; ad Rheni ripam crudeliter evaſtarent, exſcinderent, & neci darent, nulli parcentes ætati aut ſexui. Exurebant eorum oppida, templa, vicos, villas: inter quæ & werda Cæſaris S. Suidberti ſepulchro nobilis & Tuitium è regione Coloniæ Agrippinæ ſitum, in cineres verſa, miſerandum ſui præbuere ſpectaculum. Enimverò nec furor

*Saxones ſe rebellant.*

illorum

illorum hic conſtitit, ſed cum Rhenum tranſire, ob præſidia ad ripam poſita, non valerent, tanta acerbitate incaluerunt, ut omnia à Verda Cæſaris, atq́ue Rheno uſq́ue ad Salam fluvium intermedia, ferro & flamma paſſim conſumerent, ita ut liquido, appareret illos non prædandi, ſed potius ulciſcendi animo in Francos egreſſos. Earum rerum nuntium apud Altiſſiodorum civitatem cum Carolus accepiſſet, extemplo Francos Oriẽtales atq́ue Alemãnos ad propulſandum hoſtem feſtinare jubet: ipſe, cæteris copiis dimiſſis, Heriſtelliũ villam in hiberna concedit. At Franci & Alemanni, qui contrà Saxones miſſi erant, magnis itineribus ad eos ire contendunt: Ac in via illorum veſtigia odorati, in pago Heſſorum ſuper fluvium Aternã, quem Adranam Tacitus videtur appellare, iter agentes aſſequuntur: eoſq́ue ſtatim in ipſo fluminis vado adorti tanta ſtrage cædunt, ut ex ingenti ipſorum multitudine vix pauci domum fuga elaberentur. Atque hæc quidem anno 778.

Anno autem ſeptingenteſimo ſeptuageſimo nono Carolus hibernis egreſſus, primo vere Compendium proficiſcitur: unde confectis negotiis cum rediret, obvium habuit Hildebrandum Spoleti ex Italia ducem: qui exemplo Rotgandi Forojuliani ducis territus, oblatis muneribus, Caroli gratiam redimere tentabat & quidem non infeliciter. Nam & veniam ſuſpicionis illatæ meruit & à Carolo cum honore in ditionem ſuam liberaliter eſt remiſſus. 779.

Hinc Carolus Saxoniam cogitans, Marcoduri, quam Duriam vocant illius temporis annales, apud Gugernos, quos nunc Iuliacenſes appellamus, conventum, ſui populi more conſueto generalem celebrat: eoq́ue finito Rhenum in loco, qui Lippia dicebatur, cum exercitu tranſit. Deinde copias Saxonum prope Bucholdium oppidum, ad Aham fluvium nactus ſecũdo marte delet: Veſtphalos *Saxones 6. rebellant.*

in deditionem accipit: Hinc ad Viſurgim caſtrametatus Angarios & Oſtphalos ad obedientiam reverſos acceptis obſidibus,&fidelitatis juramentis in gratiam recipit. Saxones enim cum ruinam ſuorum ducum apud Bucholdiũ vidiſſent,facile feroces animos pro tempore deponebant: præſertim cum victoris jam antea clementiam haberent perſpectam. Ceciderat enim illic Hermannus Dux Angriæ,Ethelhardi filius,Albionis frater, qui ſæpius in Francos non ſine laude duxerat, deinde & Bertholdus ejuſdẽ, Ethelhardi frater poſt cladem acceptam, quia Chriſtianæ fidei juratus hoſtis eſſet & ſemper rebus novandis intentus,abipſis ſuis ſubditis erat interfectus: Captus etiam illic erat Videkindus Niger famoſus auratæ militiæ eques: qui in Franciam ductus & quinquennium detentus, cum tandem religioni Chriſtianæ nomen dediſſet à baptiſmo ſuſcepto Ludovicus audiit & primus Andium Comes à Carolo eſt effectus: à quo deinceps Hugo Capetus ortundus tertiæ Regum Francorum ſtirpi nomen & familiam dedit. Prius autem quàm ſecundam uxorem in Gallia caperet hic Videkindus, jam tum ex Agne conjuge ſua, prima Comitis Vinſenbergenſis filia, duos ſuſceperat filios: quorum major natu Videkindus primum & à baptiſmo Carolus nominatus, ab arce ſua quam in ſaltu Thurnigico ad Salam amnem condiderat, Comes Suartzenburgenſis eſt dictus: alter Valpertus & à ſuſcepto Chrſtianiſmo Ludovicus Comes in Glerchen: Item ab arce ſua quã ad inſtar fraternæ arcis condiderat eſt vocatus. Donaverat enim illis duobus fratribus Carolus,cum Chriſti myſteriis initiarentur, regionem jure perpetuo poſſidendam, quæ in longitudine viginti & in latitudine decem milliaria complectabatur: in qua illi arces inter ſe ſimiles conſtruxerant, à quibus ipſorum poſteri Suartzenburgẽſes & Glerchiani Comites uſque in hodiernũ diem publice habentur. Ita ex miſero captivo validi Comites atq; adeò

Comes Suartzenburgicq

adeò etiam reges ſunt orti divina res humanas ſic pro arbitrio diſpenſante providentia. Locus autem ille ad Rhenum, qui Lippia tunc vocabatur, ubi Caroli magni exercitus trajecit non eſt oppidum illud, quod Lippia hodieq; dicitur & à Rheno longius, quàm à Viſurgi abeſt: ſed eſt apud Cliventes ad Amiſium amnem hodie vicus obſcurus, qui olim emporiũ celebre fuit, à quo ericetum illud, quod inter Ruram & Amiſiam flumina interjacet, vulgo Lipperheide appellatur: uno milliari a Duisburgo diſtans & à Rheno tantundem: cujus nunc caput eſt Averhuſen Nobiliſſimi viri Roberti ab Hœva caſtellum non incelebre propter pontem, quo ibi Amiſia ſternitur & tranſitur. Ab illo loco Bucholdũ noſtro ævo, ut & olim, diſtat milliaria quatuor aut circiter. Quòd hic adjicere libet ut hiſtoriæ lucem infundam.

*Lippia non procul à Rheno Emporiũ aliquando celebre nunc vicus obſcurus.*

Hoc eodem anno Nortmanni rurſus claſſe in Friſiam delati circa vicum Veſterbieromum excenſione in terram facta omnia incendiis ac deprædationibus vaſtant occiſo Iohãne Hermana nobili & apud ſuos honoratiſſimo viro. Ejus mortem Veſtrachiæ populus adeò tulit indigne, ut multi jurarẽt ſe illam ulturos aut ſimul occubituros. Erat enim is Iohannes populo non minus jucundus, quam pater ejus unquam fuerat: quem precibus à Radbodi regis tyrannide non ita pridem liberaverant. Friſij igitur vindictæ cupiditate accenſi, tanta rabie in Nortmannos ſunt graſſati, ut occiſis illorum propè quadringentis, omnem prædam receperint & reliquos fuga ſalutem querere cõpulerint. Navibus autem ſolutis cum Friſij eos abjiſſe exiſtimarent & quiſq; domum ſuam repeteret, Nortmanni iterum alio loco terram capiunt & poſtridie Cornuertũ ac Hindelopam pagos incendio perdunt. Enimvero Stavorani manibus pedibuſque prius accincti, quam cæteri Friſij convenire poſſent, Nortmannos iterum in fugam conjecerunt, captis ipſorum navibus quinque, ita ut re-

*Normanni Friſiam deprædantur.*

Westerbeer[?]

Cornwert

Hinlopen p. 73[?]

pente altum peterēt & ſine præda & gloria in patriam redirent, qui ſupererant.

*Hajo Ludigmannus Friſius.* Vixit etiam hoc tempore inter Friſiæ nobiles belli artibus vir inſignis Hajo Ludigmannus: qui cum in familia ducis veneti diu eſſet verſatus hoc anno in patriam rediit. Sed cum operâ Caroli in Friſia pacem eſſe cerneret, longum tempus in ea durare non potuit.

Proinde anni ſequentis Calendis Februarii Friſiam iterū relinquit & aſſumptis ſecum Obbone Iohannis Hermana filio cum Tacone & Feicone fortemannis, ſororis ſuæ filiis, in Germaniam ſuperiorem proficiſcitur ac inde, *Achajus Rex Scothiæ 65.* cum & ibi pax eſſet, in Scothiam abit ad Regem Achajū, quo cum Carolus amicitiam tunc contraxerat, ut Saxonas piratas, qui tam ex Britannia quam ex Saxonia in Frācos graſſabantur, tanto commodius coerceret. Erant tum temporis etiam apud Schotos multi ad huc monachi, vetere diſciplina nōdum extincta, literis & pietate inſignes: quorum aliquot operâ Carolus ad inſtruendam Pariſienſem Academiam tunc eſt uſus. Illo è numero erant Iohannes cognomēto Scothus ſive Albinus, quod idem valet (Scoti enim ſe Albinos ſua lingua vocant) Caroli præceptor, qui plurima ingenii ſui monumēta reliquit & Clemens Schotus, qui eodem tempore Lutetiæ inſignis profeſſor literarum fuit, quemadmodum ejus ſcripta, quæ ſuperſunt, facile probant. Albinus autem aliis & à nobis ſupra Alcuinus eſt dictus. Ad Achajum igitur Regem cum veniſſet Hajo, militiæ ejus eſt adſcriptus & fidelem ipſi operam contra Hibernos, cum quibus tum bellum erat, navavit. Sed nec ibi diu conſiſtere potuit. Pace enim facta ſuam operam regi inutilem ratus miſſionem flagitavit & ea accepta quamvis ægerrime, commendatis Regi Obbone Hermana & Feicone Fortemanno, ipſe cum Tacone Fortemanno cognato ſuo relicta Scothia per Germanos in Italiam redit ad veterem dominum Iohannē Calbum

venetorum

Venetorum ducem, ut annales oſtendunt. *Qui alii Mauritius Galbajus.*

*Anno 780. Carolus Vormatia ex hibernis decedens, Eresburghum proficiſcitur: Inde ad Lippiæ fontem pergit, ubi aliquot dies ſubſiſtit, ut res Veſtphalorum cognoſcat. Hinc ad orientem tendens ad Ovacrum fluvium accedit: eô ad caſtra veniunt adeſſe juſsi, omnes Saxones Orientales, quorum maxima pars in loco, qui Horheim appellatur ſolita ſimulatione baptiſmum ſuſcipit. Inde ad Albis & Horæ confluentes progreſſus, tam res Saxonum, qui citra Albim, quàm Slavorum, qui ultra habitant, componit. Quibus omnibus ex animi ſententia confectis, Romam eundo conſilium capit, ſumptaque ſecum uxore & liberis ſine mora in Italiam contendit, Papiæque natalem Domini celebrat. Finitâ illic hyeme Romã porro vadit ac ab Hadriano Pontificè honorificè ſuſceptus paſchalia cum illo peragit. Romæ pontifex duos Caroli filios de Baptiſimo ſuſcipit quorum alterum ſcilicet Pipinum regem Longobardiæ: alterum verò Ludovicum regem Aquitaniæ juſſu patris renunciat: & utrique coronam imponit. Votis ſolutis, quorum cauſa venerat, Carolus in Franciam revertitur: verum in reditu Mediolani Thomas Archiepiſcus Giſelam ipſius filiam Baptiſmo admovet. Deinde Vormaciam pergit. Vbi Taſsilonis Bavariæ ducis adventum expectat. Miſerat enim ex conſilio Papæ in Bojoariam legatos Carolus, qui Taſsilonem Iuramenti, quòd Pipino Regi præſtiterat, admonerent & ad conſtantiam in fide hortarentur. Sed & Taſsilo accepta ſalutis ſecuritate ad Carolum tunc venit & juramentum fidelitatis, quod jubebatur, juravit datiſquæ duodecim obſidibus, qui imperabantur, ſalvus & incolumis in Bojoariam eſt regreſſus: verum tamen in fide non perſtitit. Carolus autem Cariſiaci hibernat ibique & natalem Domini & paſca celebrat.*

*Carolus Romam proficiſcitur voti cauſa.* 781.

Hoc anno Wittebergam à Vittekindo Saxonum duce conditam aliqui affirmant. Magdeburgum verò & Halberſtadium urbes anno ſequenti à Carolo conſtructas vo-

ſunt: fides penes auctores ſit: nos q; legimus recenſemus. Eodem anno 781. inter alia portenta ſignum ſanctæ crucis in veſtimentis hominum frequenter eſt viſum.

*Anno 782. Carolus Rheno apud Coloniã Agrippinam trajecto cum omni Frãcorum exercitu ad Lippiæ fontes caſtramẽtatur, ut & ibi conventum ſubditorum agat quemadmodum in Francia erat ſolitus. Ibi inter cætera & legatos Sigeſridi regis Daniæ & quos Caganus & Iugurrus Humorum principes pacis cauſa miſerant, audit & breviter abſolvit rebuſque confectis, quarum cauſſa venerat, in Galliam mature redit.*

Saxones rebellant auctore VVidekindo.

*Poſt ejus deceſſum Widekindus Saxonũ ductor ex Dania, quo profugerat, redux populo Saxonico ſuadet, ut fide conculcata, arma in Francos reſumat: quod & facit. Interea famâ ad Carolum defertur, Sorabos Slavos, qui nunc Miſnenſes ſunt & inter Salã & Albim tum conſidebãt, incurriſſe in Saxones, & Thurnigos hinc inde vicinos ſuos, eoſque affeciſſe damnis non exiguis. Vt igitur Sorabos ulciſcatur Carolus ſtatim Adalgiſum cubicularium ſuum & Wolradum Comitem Palatii & Gerlonem ſtabuli Comitem ad ſe vocatos hortatur, ut ſumptis ſecum Francis Orientalibus ac Saxonibus in Sorabos contendãt & illorum contumaciam celeriter comprimant. Qui mandatis obtemperantes dum Saxoniam ingrediuntur, ut inde auxilia comparent, extemplo cognoſcunt inſtinctu Widekindi Saxones in armis eſſe & pugnam meditari: Itaque omiſſis Sorabis eô ubi Saxones conſidebant cum copiis tendunt: in Itinere verò obvium habent Theodoricum Regis Caroli propinquum cum exercitu ſubitario quem ex Ripuariis collegerat. Is illos monet, ut ulterius progreſſi, diligenter primum explorent, quo in loco Saxones caſtra habeant & an ad ipſos facilis ſit aditus idque ſibi ut ſingnificent. Legati relicto Theodorico cum intellexiſſent ad montẽ Sunthal in ditione Brunſivicẽ ſi circa Munderam oppidum Saxones ſubſiſtere, Viſurgim tranſeunt & in ipſius ripa conſidunt & tandem habito inter ſe conſilio, ne Theodoricus in partem victoriæ veniat, ſoli in Saxones, qui à parte Septentrionali dicti montis in armis erant, magno inceptu*

*irruunt, verum ita ab illis; quos fugituros ſperaverant excipiuntur, ut pæne ad unum omnes in acie occumbant. Pereunt ibi Adalgiſus et Gerlo Regis legati, unà cum quatuor Comitibus & viginti viris nobilibus præter turbam promiſcuam, quæ parva non fuit. Ea re comperta Carolus ſtatim ex Gallia ipſe movet & cum exercitu in Saxoniam provolat vocatiſque ad ſe cunctis Saxonum proceribus de auctoribus factæ ſtragis graviter inquirit. Cùm autem omnes uno ore Widekindum incuſarent nec tamen eum exhibere poſſent eô, quod patrata cæde ad Normannos refugerat, traditi ſunt illi numero ad quatuor millia quingenti Saxones, qui Widekindi auctoritatem ſecuti arma ceperant: quos omnes ad Alaram fluvium in loco qui Ferda olim nunc Verda appellatur uno die decollari facit: Qua ſumpta de rebellibus vindictâ ad Theodonis villam regreditur ibíque & natalem & paſcha Domini peragit.* *4500. Saxones uno die decollati.*

Anno 703. pridie Calendas Maij Hildegardis Regina Caroli uxor è vita migrat. Illi cum juſta perſolviſſet Carolus iterum in Saxoniam ducit. Audierat enim omnes omnino Saxones à fide receſſiſſe atque aleam belli extremam in Francos meditari. Conſederant autem tunc Saxones circa Dietmoldam oppidum nunc Comitis Lippienſis aula nobile: non procul à ſaltu Teutoburgenſi ubi quondam Quintilius Varus occubuit, exſpectabantq; Caroli adventum. Quòd ubi Carolus intellexit, ſumma feſtinatione eodem contendit & mox ſigno ad pugnandum ſuis dato cum exercitu in illos impetum facit. Omneſque qui reſtitabant ad internecionem celeriter delet. Hac pugna feliciter functus Paderbornam cũ copiis proficiſcitur: Ibi audit Weſtphalos cupiditate in Francos pugnandi inflammatos ad Haſam fluvium coire & extrema experiri velle. Quocirca & ipſe eodem vadit, deſiderans bello iſti tam pertinaci ſemel finem imponere: Sed non tam facilem iſtic victoriam atque ad Dietmoldã conſequitur: vincit tamen cum totum triduum utrimq; *AC. 783. Saxones rebellant.*

*5. Hulpe vicus prope Diepholtum ad Huntam fl. in chartis notatur.*

fortiter eſſet dimicatum, Idque invocato Dei auxilio adeò miraculoſe, ut poſteritas in loco victoriæ ſacellum S. Opi condiderit & diem ejus quotannis habuerit celebrē. Cæſa eſt illic infinita Saxonum multitudo, manubiis locupletatus miles,captivorum ſimul magnum abduxit numerum. Hos captivos ſcribet Mejerus magno numero ductos in Belgicam & Lyderico Flandrici littoris cuſtodi attributos,ut per illum in fide Francorum continerentur. Loca hæc,ubi certatum eſt,videntur Saxonibus fuiſſe ominoſa. Nam & Haſa leporem ſignificat,qui occurſu ſuo exercitum turbare ſolet & Dietmolda idiotiſmo linguæ Germanicæ populi ſepulcrum denotat:nec id immerito. Ibi enim plurimi Romanorum ab Arminio Cheruſcorū duce ad terram dati fuerunt: cùm Quintilius Varus cum tribus legionibus ſuccumberet. His autem duobus præliis ,uno menſe & paucis interpoſitis diebus,Saxones ab ipſo Carolo adeò profligati atque domiti ſunt,ut ulterius ipſum provocare aut venienti reſiſtere,niſi aliqua loci munitione defenſi, non ſint auſi, uti Eginhartus in vita ejus conteſtatur. Carolus autem inde orientem verſus progreſſus victoriæ ſigna ultra Viſurgim uſque ad Albim fluvium extendit: omnia intermedia flamma & ferro vaſtat & demum victor cum triumpho in Franciam revertitur : ubi Faſtradam,Rodolphi Comitis filiam natione Francā ducit uxorem: ſed Bertradam matrem quarto Idus Iulii fato amittit: Deo lætitiam cum mærore benigniter temperante. In Heriſtellio hiemans natalem domini & paſcha agit.Fuit hæc Francis læta admodum victoria,ſed Friſiis pæne exitiabilis. Videkindus enim dux Saxonum cū hactenus in Dania latuiſſet audita hac ſuorum ingenti ſtrage è veſtigio rurſus emicuit ut Carolum ulciſceretur.

*784. Friſijà VVidekindo opprimuntur.*

Carolus autem primo verè cum exercitu ad locum, cui Lipperheim nomen eſt, in ducatu Clivenſi Rhenum trāſit & Veſtphalorum evaſtatis pagis ad Viſurgim caſtra locat.

cat. Inde cum intellexiſſet,in Aquilonares Saxoniæ regiones propter aquarum diluvia,non patere tranſitum,in Thuringiam iter inſtituit & Carolo filio in Veſtphalorum finibus juſſo ſubſiſtere,ipſe in campeſtria Saxonum, quæ Salæ & Albi fluminibus adjacent,impreſſionem facit: ac depopulatis illorum agris villiſque incenſis de Schaninga in Franciam regreditur. Carolus autem filius ejus dum in itinere eſt juxta amnem Lippiam,Saxonum exercitum habet obvium;cum eo equeſtri prælio congreſſus, hoſtib⁹ partim cæſis, partim diſſipatis Vormaciam ad Patrem victor revertitur. Enimvero pater Carolus inſiſtendum victoriæ ratus,collecto exercitu iterum in Veſtphalos ducit,natalem domini in caſtris agit, loca inter Ambram & Warnam flumina Viſurgi cōjuncta depopulatur: Cumq; propter hiemem atque pluvias ulterius progredi nequiret, Eresburgum in hiberna concedit. Dum hæc à Carolo patre & filio cognomine in Veſtphalia peraguntur, in Friſiam Normanni haud dubie Videkindi inſtinctu res novas attentant. Venerunt enim tunc quædam ex Daniæ naves, quæ in ſinu Amaſanico parabant exſcenſionem: eas Staurienſes & qui ad Lavicam conſidebant, Eſonſtadienſes magna claſſe repentè ſubſecuti compellunt ſtationem relinquere & re infecta,cujus cauſa venerant, retrocedere. Cùm autem Friſij claſſem ſuam Eſonſtadiū reduxiſſent,Normanni iterum per Lavicam ingredi ut inde mediterraneum petant,ſed viſa Friſiorum claſſe, quæ veſtigiis ipſorum inhærebat, per Amelandiæ oſtium in altum ducere & abnavigare. Friſij Normannos abjiſſe rati naves ſuas Stauriæ & Eſonſtadii ſubducere.

*Paulo poſt Normanni,cognita Friſiorum disjunctione & ſecuritate cum tota ſua claſſe quæ Widekindum vehebat, ſubito reverſi cum Caroli regis ob aquarum exundationes non metuerent occurſum, in terram deſcendunt, totámque Friſiam ferro & flamma depopulantur & quod erat peſſimum, populū*

ipſum

ipſum abnegare Chriſti religionem & idola colere compellunt idque uſque ad Flevum, extremum Veſtrachiæ terminũ. Multi tum pij viri in Friſia vitam amiſerunt: multi etiam fuga dilapſi manus impiorum evaſerunt: Inter quos S. Lutgerus & S. Willehadus Euangelij præcones aſſidui primum locum obtinebant. S. Lutgerus, de quo ſupra etiam locuti ſumus, cũ integrum ſeptennium Doccomi ſtrenue laboraſset in vinea Domini, ægrè admodum ab ea eſt divulſus: ſed urgente neceſsitate, quæ durum eſt telum, illam relinquere eſt coactus: Iſne ab inſtituto vitæ aberret, cum fratre Hildegrimo & nepote Gerberto, qui caſtus vocabatur, Romam proficiſcitur: Ibi & S. Willehadum, qui item ſeptem annos in Wiomodia hactenus Chriſtum continenter docuerat, repperit. Hadrianus autem Pontifex cum utrumq; collegiſſet bono animo eſſe juſsit & in Chriſto paterne conſolatus eſt. Et S. Lutgerus quidem Roma diſcedens Caſsinum ad D. Benedicti monaſterium abijt ibidemque ab Abbate Ditmaro cognato honorificè ſuſceptus biennium & ſex menſes eſt diverſatus, donec perfecte iſtius ordinis inſtituta pernoſceret. Sanctus autẽ Wilhehadus in Franciam reverſus duos item annos in monaſterio S. Willebrordi apud Abſternacum latuit tempúſque ſuum legendo, ſcribendo, docendo, alijſque pijs exercitiis tranſegit, uſque dum Saxonicæ perſecutionis furor intermitteret: Vterque interea ſe magis magiſque quaſi excoxit ut ad miniſterium Chriſti poſtea rediret alacrior. Fuit autẽ hæc Saxonum ſub Widekindo in Friſiã impreſsio valdè triſtis. Nam, uti ſcribitur in vita S. Lutgeri, evertit Freſones à via Dei, combuſsit Eccleſias & expulit Dei famulos & uſque ad Fleo fluvium fecit Freſones Chriſti fidem relinquere & immolare Idolis juxta morẽ erroris priſtini. In ea quoque S. Willehadi diſcipuli quidam Bremiæ multi per Friſiam, ceteri trans Albim paſsi leguntur ut auctor eſt in ſuo Chronico Albertus abbas Stadenſsis. Eodem tempore videlicet 21. Auguſti mortuus eſt Vltrajecti Alberícus Epiſcopus ejus ſedis quartus ſucceſſoremq; habuit Theodardum Friſium

*ſium ex nobili Rodmannorum familia prognatum, cum præfuiſset annos decem. Fuit hic Epiſcopus Albericus valde doctus & pius ad agendumque adeo dexter ut etiam aliquandiu Eccleſiam Colonienſem rexiſse dicatur. Fuit etiam Carolo magno Iucundus quemadmodum ex donationibus in ultrajectenſem Eccleſiam tum collatis ſit perſpicuum. Neq; enim ſolum Carolus illi confirmavit antiqua ſua privilegia, quæ Carolus Martellus avus & Pipinus pater aliique magnates conceſſerant, verùm etiam de ſuo addidit Liſidunam quæ hodie Lenſdem appellatur, una cum ſaltibus circa Hemum fluvium prope Amesfordiam ſitis. Quibus etiam adjecit diverſa ad Leccam portoria ut in Literis donationum apud Hedam præpoſitum Arnhemenſem in catalogo Pontificum Trajectenſium eſt videre, quod & ſupra diximus. Datæ autem ſunt illæ Literæ anno Caroli regis Nono id eſt 777. ſeptimo Idus Iulii in quibus etiam tum Leccæ ſit mentio: ut errare videantur illi, qui ſub Hungero Epiſcopo undecimo riuum illum exiſtimant primitus natum, propter Rheni fluminis obſtructionem, quæ ad Cattorũ vicum in littore oceani contigit. Etſi enim verum ſit ob ductum Leccæ, Rheni fluentum exilius fuiſſe factum: conſtat tamẽ ex Tacito atq; Pilnio iam olim ante Hungeri tempora foſſam à Domitio Corbulone depreſſam, quæ poſtea populari lingua Lecca ſit dicta: & oſtium Rheni medium, quod nunc exaruit, etiã tempore Plinii modicum cuſtodiviſſe ſui nominis alveum:* Lib.4.c.15. *uti Plinius loquitur: quod hic inſerere veritatis ergo placuit.*

Cum igitur anno 784. Videkindus Friſios ſubegiſſet & Carolus viciſſim Saxonibus ſive Veſtphalis etiam hiberno tempore nullam requiem ab armis conceſiſſet: multæ utrimque ſtrages in populo datæ & acceptæ ſunt ſed parvo admodum cum fructu partis utriuſque. Nam & Widekindus quotidie præfactior & Carolus Magnitudine animi erectior, non deſinendum exiſtimabant prius quam alter alteri cederet. Carolus equidem primo vere anni 785. cum Eresburgi hiemaſſet è Francia commeatus

ſequi jubet, conventum populi ſui generalem Paderbornæ celebrat: & eo finito in pagum Bardegouuam tranſit: Ibi cum intellexiſſet Widekindum & AlbionemSaxoniæ concitatores atque duces, in confinio Danorum, apud TranſalbianosSaxones eſſe, cerneretque ipſorum contumaciam armis frangi non poſſe, è republica prudenter eos ad ſe conſtituit præmiis allicere & ex hoſtibus amicos beneficentiâ facere. Itaque illorum animos primum per Saxones illorum amicos tentat, delictorum impunitate propoſita; ut depoſitâ animorum acerbitate & diffidentia ad ſe veniant. Cumque illos propter crebras ſuas ſuorumque rebelliones de fide ſervanda dubitare videt, Obſides quos petebãt illis aſſignat & cum Amalvino ſuo domeſtico tranſmittit. Ipſe Attiniacum omiſſo bello in Franciam revertitur: & conſilii ſui fructum percipit uberrimum. Widekindus enim atque Albio acceptis obſidibus ſtatim ejus veſtigia ſubſequuti cum Amaluino Attiniacum veniunt: ibi in gratiam à Carolo recepti, ſuis dignitatibus liberaliter reſtituti & cum proceribus ad baptiſmum perducti: in patriam ſuam cum gaudio regis ſunt remiſſi. Ipſi verò domum reverſi populum Saxonicum totos octo annos ſine ullo belli tumultu in fide continuerunt. Adeò verum eſt quod vulgo dicitur: Principum mores tranſire in populum.

*De Britannorum origine & nomine.*

Anno 786. cum 23. Aprilis paſca celebraſſet Attiniaci Carolus exercitum in ciſmarinos Britãnos miſit: In eos, inquam, qui olim à Friſijs Anglis atque Saxonibus Inſula Albio pulſi, armoricorum in Gallia agros occupaverãt & à Regibus Francorum tributo adacti, illud tum temporis ſolvere recuſabant. Verum menſæ regiæ præfectus Ardulphus eô miſſus facile eorum pervicaciam compeſcuit, acceptis obſidib⁹ & ad regem Vormaciam adductis.

*7. Bellum Britannicũ.*

De illa Friſiorum expeditione in inſulam illam quæ prius Albium & poſtea Britannia eſt dicta jam antea ſcripſimus

im

in primo Friſiorum Rege: de nomine autem Britanniæ, cur ſic vocata fuerit, verbum nullum tum fecimus ſed hic explicare paucis in lectoris & hiſtoriæ gratiã conabimur. Inſulam, quæ nunc Anglia vocatur olim dictam primo Albion, deinde Britanniam ex hiſtoriis ſatis eſt notum: Albion quidem quod undíque montibus ſit cincta albicantibus: Britanniam autem à populo qui ipſam occupaverit: utrumque vocabulum à græcis promanaſſe etiam in confeſſo eſt. Primi autem ejus inſulæ habitatores Cumeri & contractè Cimbri fuiſſe perhibentur & à Gallis oriundi, qui antiquitus Gomoræi & Gomoritæ & per cõtractionem Cimbri quóque appellati. Vt enim à Gomero Iapheti filio veteres Galli originem trahunt & nomen, ſic primos hujus inſulæ, quæ nũc Anglia, eſt colonos à Gallis ortos eſſe tanquam à vicimoribus per omnia ſit veriſimile. Qui autem illi fuerint, qui obliterato Cumerorum nomine, eos Britannos vocaverint, apud multos, eſt ambiguum. Guilhelmus Camdenus Britanniæ hiſtoricus diligentiſſimus, eoſdem putat fuiſſe Gallos ſive Cumeros, qui cum ſua corpora glaſto pingerent, ob colorem corporis Britanni à Græcis ſint dicti: idq; ex vetuſto inſularum ſermone, qui Bri colorem appellitent. Etſi autem doctiſſimo virò & in patriæ hiſtoriis verſatiſſimo contrádicere fortaſſe ſit nefas: Ego tamen ejus originationi ideò accedere nequeo quod eam è Græca & Britannica lingua deducat, quæ cum Græcorum ſcriptura non conveniat. Néque enim Græci inſulam illam Britanniam vocant ſed Brettaniã & Bretanim per è & non per ı. primã ſcribẽtes ſyllabam. Sit ſane verum, quod primi ejus inſulæ cultores è Gallia venerint & Cumeri ſive Cimbri ſint appellati: at ſi colorem Græci in Inſulanis ſpectaverunt, quæ eſt quæſo ratio, cur eundem eadem voce, qua inſulani non expreſſerint. Cur Brettaniam & non Brittaniam appellaverint. Quum autem vetus ſit narratio, Græcos Euro-

Ne extra oleas.

Britannia

pæorum primos littora omnia marium navibus acceſſiſſe & in omnes propemodum inſulas colonos deduxiſſe, non erit, mea quidem ſententia, fortaſſe abſurdum, ſi & hos ſecundarios inſulæ cultores Græcos fuiſſe dicamus, qui ex magna Græcia parte Italiæ maxima, navibus progreſſi primos in colas hujus inſulę expulerint & Brettij ſint dicti. Fuit enim apud Thurrhenos quondam oppidum Brettus nomine, cujus incolæ Brettij, regio autem atque lingua Brettia nominabatur, ſicut auctor eſt Stephanus de urbibus: qui Antiochum teſtem citat Italiam totam primo Brettiam deinde Oenotriam fuiſſe dictam illâ ſcilicet parte qua ſe extendebat Magna Græcia frequentata antiquitus & tranſmarinis Græcis cognita ob Philoſophiæ vetuſtatem. Brettij autem, qui etiam ante Romam conditam floruerunt, à Romanis poſtea Bruttij ſunt appellati, quorũ antiquæ civitates Coſentia & Pandoſia apud hiſtoricos commemorantur. Hæc ſi ad Britannos tranferamus magnam inter ſe & Brettij & Britãni ſimilitudinem habebunt. Nam ut tania græce, latinis regionẽ ſignificat, quæ Brettijs addita per apocopen ultimæ ſyllabæ Brettaniam facit quemadmodum Græce ſcribitur: Ita etiam in conſiderationem hoc loco venit, quod inſulæ hujus antiqui ſacerdotes atque vates à Græca quóque dictione, quæ arborẽ denotat, nomen acceperũt ut Druides appellentur, quodque eidem eandem Philoſophiam de animorum immortalitate & tranſmigratione cum Italica docuerint, ſilvas habitantes glandibus & herbis & non carmibus victitaverint. Eſt quóque manifeſtum Britannos etiam nunc ſua lingua Brettons & Britans vulgo nominari atteſtante Cãdeno. Enimvero & Galfredi Monumethenſis de Bruto fabula primo gentis Britannicæ conditore hinc non abludit, quandoquidem, Galfredus illum ex Gręcia deducit & à Paudroſo Græcorum rege dimiſſum affirmat. Quẽadmodum enim Brutum & Silvio Aſcanij filio Anææ

Trojani

Trojani nepote natũ facilere jicimus eo quod nulli veterũ ejus uſpiam mentionem faciant: ita in contrarium Brettios ſive Bruttios è Pandoſia ipſorum in magna Græcia metropoli emiſſos pernegare haud poſſumus, exiſtimãtes compoſitionem vocabuli ex duabus vocibus integris bene intellectis, quam ex una corrupta & non intellecta & altera integra melius coire ut Britannia ſit potius Bruttiorum regio id eſt à Brettijs ſiveBruttijs occupata, quam regio coloratorum, quod ultimum Camdenus voluit. Eqidem, quod ſentio, ſcribo: benevoli lectoris ſit judicium & Camdeno intaminata ſua conſtet exiſtimatio. Igitur qui inſulam Angliam coluere primi dicti Cumeri à Britannis oppreſſi, Britanni ab Anglis Saxonibus atque Friſijs ejecti nomen ei parti Galliæ dederunt, quæ, olim Armorica nũc autem Britannia ciſmarina vulgò nuncupatur. Illis hoc anno victis & ad obedientiam revocatis, cum omnes ſuas provincias ab hac parte Alpium pacatas haberet Romam iter Rex Carolus inſtituit, ut ducem Beneventanum tanquam membrum regni Longobardici dicto ſibi audientẽ redderet. Aragiſus enim Regis quondam Deſiderij gener Beneventi ex beneficio dux, eô ſuperbiæ venerat, ut ſpreto Pipino Caroli filio Italiæ rege jamdudum inaugurato & confirmato ſe non amplius ducem ſed principem appellari & veluti regem à ſuis epiſcopus inungi & corona caput cingi vellet. Hæc ut Carolus impediret, media hieme profectionem orſus, florentiæ apud Tuſcos Natalem domini agit. Inde Romam celeriter pergit & re cum Papa Adriano & proceribus mature debiberata in Beneventum copias ducere ſatagit. Ea res ubi diuvilgata fuit, Aragiſus timore correptus anno 787. Rumoldum ſuum filium natu majorem belli deprecandi gratia Romã mittit, ſpondens pontifici, quem etiam offenderat, ex arbitratu ipſius ſatisfacturum. Cum autem hæc oblatio pontifici diſpliceret, Carolus retento Rumoldo nihilo-

*787. Bellum Beneventatũ.*

min⁹ Capuam proficiſcitur & vaſtatis undique ejus agris urbem ſuæ poteſtati ſubjicit. Indeque Beneventium contendit. Aragiſus rebus deſperatis relicta Benevento, ne in ea obſeſſus ſe dedere cogeretur, Salernum fugit & ibi in maris littore ſe communit. Inde & alterum ſuum filium Grimo aldum ad Carolum dirigit, ut ambos obſidũ loco habeat, donec omnia præſtitiſſet, quæ mandarentur. Carolus ea cõditione pacem dat: remiſſo Rumoldo, Grunoaldum retinet & ſolemne fidelitatis ſacramentum ab ipſo & populo Beneventano exigit. Erat autem Beneventũ civitas in Hirpinis & Samnio ſita, boni ominis cauſa ſic appellata, cum eô Romani ſuam coloniam ducerent: olim dicta Maleventum à vento, qui è Dalmatia ſpirans oppidanis valdè malus & incommodus accidebat. Tanta quippe vis ex eo turbinum oriri conſuevit, ut equum una cum ſeſſore humo ſublatum per aerem rapiat & mox præcipitem det in terram, referente F. Leandro Alberti Bonovienſe in hirpinis & Samnio. Narrat etiam ibidem idem frater Leander totam Italiam diviſam à Longobardis, cum ei dominarentur, in ſex regiones, quibus ſuæ poteſtates attributæ fuerint: quarum duas Marchias, cæteras ducatus appellaverint. Marchias ait fuiſſe Anconitanam, quæ Picenum & Terviſinam, quæ partem Venetiæ continebat. Ducatus autem erant Forojulienſis Taurinus Spoletmus & Beneventanus. Duces ex electione non hæreditario jure contra quam Marchiones præerant. Ex ducatibus fuere præcipui tres. Vnus apud forum julium in ipſo Italiæ ingreſſu: alter apud Spoletum in media fere Italia: Tertius Beneventi ad inferiorem Italiæ partem in officio continendam. Quum igitur Carolus Longobardorũ regnum in ſe tranſmoviſſet, æquum erat & membra ipſi eandem præſtare obedientiam, quam priſtino regi præſtitiſſent. Quod cum Aragiſus recuſare videretur merito ad id armis à Carolo eſt compulſus. Aragiſo ad officium

officium reducto Carolus ad montem Caſſinum eſt profectus, ut ibi D. Benedicti reliquias viſeret, & ſalutaret. Præerat tum temporis illi monaſterio Abbas Ditmarus natione Friſius, qui S. Lutgerum cognatum ſuum jam ultra biennium apud ſe detinebat, ut ejus ordinis inſtituta perfecte cognoſceret. Vidit ibi Carolus S. Lutgerum jam ante ſibi à Iohanne Flacco Albino ſive Alcuino commendatum: deditque ipſi tum optionem inter duo monaſteria, quorum alterum idque locupletius erat virginim monialum: alterum verò monachorum ut eligeret utri illorum præeſſe vellet. *S. Lutgerus ex Italia redit.* S. Lutgerus cum ſe ob ætatem atq; ingenij tenuitatem excuſaret, nihil apud Regem proficiẽs quin relictis Caſſinatibus à privata vita ad publicam traduceretur prudenter elegit monaſterium virorum, quod in eo regendo votum caſtitatis conſervare poſſet, quod alioqui in altero periclitarerur, ſi non re ſaltem fama, quæ multorum patere ſoleat calumniis. Carolus collaudata ſancti viri prudentia dedit illi Lotuſam in Brabantia monaſterium, ut illic Abbatem ageret, donec majoribus afficeretur beneficiis. Iam antea à ſe demiſerat fratrem ſuum Hildegrimum S. Lutgerus in patriam qui anno 785. à Carolo rege Salingeſtadij, quod oppidum Vulgo Oſternicum appellatur, Epiſcopus conſtitutus apud Oſtphalos ultra Viſurgim, eô rediit & officio ſuo illic multis annis ſedulo functus eſt donec ipſe ſedem ſuam Halberſtadium transferret. *785.* S. Lutgerus autem cum Lotuſæ diligenter & ſumno ſtudio præeſſet commode accidit ut quinque pagi trans Lanicam in Friſia ſiti ſe ultro Francis dederent & à Carolo rege peterent doctorem verbi dei, cujus linguam atque ſermonem intelligerent. Erant autem illi pagi Hugomerchi, Huniſga, Fivilga, Emiſga & Federitga quos Carolus S. Lutgero regendos cum inſula Banta commiſit. *S. Lutgerus trans Lanicam quinq; pagis præficitur in Friſia* *de omland* Hæc provinicia S. Lutgero tum commendata quemadmodum & hodie, latiſſime tum patebat: & quãvis

adeò

adeò culta tunc temporis atque nũc eſt,non erat, erat tamen populoſa ſatis & incolarum abundans, mirari ſubeat unius hominis auctoritate tantam multitudinem in officio pietatis contineri potuiſſe. Sed tanta erat in iſto viro virtus, tanta morum ſuavitas, tanta etiam eloquentia ut omnium animos in admirationem ſui raperet,cum,quod verbis doceret vita & moribus ſanctiſſime exprimeret. Hinc tot in illis locis Chriſto & Apoſtolis ejus paſſim fana condita & divitiis inſtructa,quot locorum ſpacium vix capere poſſe videatur; quæ ad ejus imitationem excitata, gratam adhuc apud poſteros memoriam retinent. Tranſierat jam antea ex Doccomo ad Hugemarchos ſacerdos Willehadus ſed ſine ullo fructu illinc decedere erat coactus. Qui cum ipſis Chriſtum ſtudioſe prædicaret ut deum verum: deos autem eorum contemneret, aſſerens eos eſſe lapides & ligna omnis vitæ & vigoris expertia,in vitę periculum incidit, fuiſſetque ab illis interfectus,niſi conſilio prudentiorum ſorte ſuper eum jacta declaratus fuiſſet innocens. S.Lutgerus in tempore ad eos miſſus magno apud eoſdem in precio fuit, quod ex eo facile poteſt perſpici, quod eos etiam abhinc triennium, cum factus eſſet epiſcopus Monaſterienſis ſua diſciplina ac dio cæſi comprehẽderit magnoſque reditus ex illis & præſertim ex villa ſua Gruningana in Verthinam coenobium ſuum quod ad Ruram amnen In Marchia Veſtphalica condidit aſſignaverit,ut ſuo loco & tempore explicabimus. Pagi autem illi quinque inter Lavicam & Amaſun flumina ſiti erant qui nunc uno nomine Omlandiæ compræhendenduntur & vulgo Grunengerlant appellantur. Lavica verò amnis,qui vetus Æſtrachiæ terminus ad ortum ſemper eſt habitus nunc pene exarvit. Is enim oriens in opeinda quæ ob tenuitatem calva dicitur,inter Gerckonis Monaſterium & Fiſſletum vicum Omlandiæ, labitur & in foſſam Gruningẽſem,brevi ſpacio deſinit, in proximo tamẽ maris

*Lavica Fl: descriptio*
*Fr Gerkes=Kl et Ursulat*

maris ſinu nomen ſuum retinens, qui lavicanus hodieque dicitur. Sed ad Carolum revertamur: qui D. Benedicto donariis ampliſſimis honorato & poſſeſſione rerum ejus confirmata, Caſſino Romã regreſſus cum Hadriano Pontificæ paſca celebrat 8. Aprilis anno 787. Quo anno vir Friſiæ nobilis Hajo Ludigmannus, de quo ſupra locuti ſumus, Venetiis eſt mortuus & à Iuſtiniano duce Veneto honorifice ibidem ſepultus. Is anno 782. cum fratre ducis Veneti profectus in terram ſanctam ſalutatis Hieroſolymis cum Ægyptum, Aſiam, totamque Græciam luſtraſſet, anno 784. Venetias cum ſuo domino redierat incolumis, à multis in Itinere ob prudentiam atque humanitatem variis affectus donis: & uſque ad mortem Venetiis ſubſtiterat. Quod ideò commemoro, ut Iuventus peregrinationibus ſuis ſtatuat modum ne vitam patriæ & amicis debitam patriæ ſubtrahat, ut hic fecit: qui dum in patria durare nequit, extra patriã etiam extorris moritur. Poſt quam verò Carolus Rex Romam veniſſet repperit ibidem Teſſilonis Bojoariæ ducis legatos, qui ab Hadriano pontifice petebant, ut inter Regem & ducem ſuum pacis arbiter ac conciliator eſſe vellet. Ac Pontifex quidem lubens illorum petitis aſſenſit: quod & Carolus fecit: verum cum legati de modo, quo pax coire debeat, interrogati, negarent ſe quicquam de eo in mandatis habere, pontifex abſurda reſponſione commotus & fraudem ſubeſſe ſuſpicãs, eveſtigio Teſsilonem ferit anathemateſi à jamdudum Regi & Francis promiſſa fide abeat: quod legatis mandat, ut ſuo domino referant. Interea dum in Italia hæret Rex Carolus, in Græcia ab Irene & Conſtãtino ejus filio Imperatore diverſis in locis habentur concilia de ſarcienda Eccleſiæ orientalis cum occidentali cõcordia: quæ inter ſe ob cultum Imaginum diſsidebant. Ea menſe demum Octobri Niceæ in Bithynia per Conciliũ quod ſeptimum vocant œcumenicũ à trecentis quinqua-



H. Ludegman

ginta Epiſcopis & legatis Papæ Romani concilio præſidẽtibus eſt inita: Ex quorum auctoritate ſacris imaginibus & cruci honos eſt datus & patriarchæ cæteriq́ue qui ſecus ſentiebant condemnati. Verum in Germania uſq́ue ad Frederici Barbaroſſæ tempora hoc concilium receptum non fuit eſtque à Carolo quoq́ue Rege poſtea quatuor libris refutatum & ab epiſcopis ſui imperii in concilio Frãcofortenſi & Pariſienſi rejectum. Carolus autem in Franciam reverſus Vormaciæ conventum pocerum habet: ubi cum retuliſſet quid à ſe in Italia actum eſſet, adjecit ſe Romæ tentatũ à legatis, Teſsilonis ſuper pace faciẽda, ſed, ut videbatur, non ſine fraude quocirca à Conventu conſtitutum, ut ad ſervandam fidem Taſsilo, bello cogeretur. Itáque Pipino Rege Italicas copias in Tridentinam vallem adducente, Francis orientalibus & Saxonibus ad danubiũ accedentibus & ipſo Carolo Rege ad Lechum flumen, quod Alemanniam à Bajoariis dividit, apud Auguſtam Vindelicorum confidente, quum Taſsilo ſe à tribus exercitibus cinctum videret, periculo imminenti territus animi ferociam facile deponit & à clementiſsimo rege cognato ſuo precibus veniam impetrat: Theodone filio & duodecim aliis obſidibus datis. Eo facto Carolus Moguntiam redit, in villa Ingelhẽ hibernat & triceſimo martii azymalia peragit 788. Quibus finitis generalem procerum conventum ibidem celebrat: ad quem citatus Taſsilo à ſubditis ſuis accuſatus majeſtatis, eô quod Luitberga uxore Deſiderii regis filia inſtigante Hunnos contra Franciam ſollicitaſſet. Quod inficiari cum nequiret, damnatur & una cum Theodone filio tonſus in Monaſterium Lauricenſe detruditur: ubi tam religioſe vixit, quam libens intravit. Hunni verò cum ſicut promiſerant duobus exercitibus, uno forum Iulium, altero Bajoariam invaſiſſent; utrobíque fuſi fugatíque, ſpe ſua ſunt fruſtrati. Sic Bajoaria Francorũ deniceps facta eſt provincia & belli

*9. Bellum Bojoaricum contra Teſsilonem.*

*10. Bellum Hunnicum.*

Hunnici

Hunnici, quod hinc ſecutum, capta ſunt auſpicia.

*Anno 781. Irene Imperatrix Conſtantinopolitana legatos ſuos ad Carolũ Regem miſerat qui Rotrudẽ filiam ejus natu maximam Conſtantino filio ſuo peterent uxorem: eorum aliqui etiam apud Carolum manſerant, qui ſponſam & linguam Grecorum & mores docerent. Cum igitur neſcio quã ob cauſam hæ nuptiæ impeditæ hactenus fuiſſent, hoc anno 788. Conſtantinus Imperator ob negatam ſibi regis filiam iratus, ut Carolum Regem ulciſceretur, ingentem exercitum ſub Adalgiſo Regis quõdam Deſiderij filio in Italiam mittit, ratus ad regis antiqui præſentiam, totam repente regionem ad arma concurſuram: ſed ſpe ſua falſus eſt. Cum enim Adalgiſus copias ſuas in Calabria expoſuiſſet, eo animo, ut inde Beneventum duceret & ex ea põtificis ditionem occuparet: Grimoaldus Beneventi dux, qui eodem anno patri Aragiſo ſucceſſerat, Hildebrandus dux Spoleti, & Winegiſus Regis Caroli legatus, ſuos exercitus ei in eadẽ Calabria oppoſuerunt, ut ulterius progredi non poſſet. Multi ibidem commiſſo prælio ex hoſtibus cæſi, plures capti, præda ingens parta, inter cætera & ipſe Adalgiſus in poteſtatem venit & à Francis interemtus eſt. Pater ejus Deſiderius jam antea à Carolo Rege captus Leodici cum uxore in exilio objit. Teſſilo gener Deſiderij capite diminutus cum filio ſuo in monaſterio vitam finijt: Reſtat ex filia Deſiderij nepos Grimoaldus, cujus poſteri tandem etiam Benevento excidunt; Sic deus ſui oſores exſtirpat, ut veſtigia eorum confundantur nec appareant amplius.*

**11. Bellum Calabricum**

Hoc anno mortuus eſt Coloniæ Agrippinæ Botto Fortemannicæ familiæ uir nobilis, cum ex Italia in Friſiam redire vellet. Ex ejus morte Friſij dolorem cepere non modicum, eô quod vir ille literis tam ſacris, quam profanis egregie inſtructus & apud exteras nationes diu verſatus & doctrina & experienria clariſsimus haberetur, & omnibus magnam ſpem fecerat, ſe fore patriæ lumen decus atque columen. Sed deo aliter viſum fuit. Quin

**Botto Fortemannus.**

& ejuſdem familiæ miles ſtrenuus Feicko Fortemannus hoc eodem anno per ſcelus & inſidias in Scothia fuit interemptus: Ex quo adeò Rex Achajus in ſicarios excãduit, ut auctori cædis adhuc viventi in rota oſſa frangi duóſque ejus ſocios decollari eveſtigio juſſerit. Paulò autem poſt Feickonis necem in pugna quadam ejuſdẽ regis Scothiæ cõtra Anglos & Vbbo Harmana, vir apud Friſios antiquę nobilitatis, fortiter occubuit. Eorum famuli in Friſiam reverſi reliquias atque clinodia dominorum, quæ à Rege Schotiæ aliiſque principibus acceperant quam plurima, cognatis reſtituerunt fideliter, ob obitum eorum valde mæſti, uti par erat. Item S. Willehadus cum Doccomi in Friſia primum, deinde in Drentia & Wimodia continenter annos triginta tres gregem Ieſu Chriſti ſtrenue Euangelio paviſſet & multa pericula eo nomine ſuſtinuſſet, hoc anno à Carolo Magno laborum ſuorum præmiũ accepit Epiſcopatum Bremẽſem, ut ex diplomate apparet, quod hic ſubjicio ut ſtatus illorum temporum aliqua ex parte melius cognoſcatur. Karolus divina ordinante providentia Rex. „Si domino Deo exercituum ſuccurrente in bellis victoria potiti ſumus, in illo & non in nobis glo„riamur, & in hoc ſeculo pacem & proſperitatem & in fu„turo perpetuæ mercedis retributionem nos promereri „confidimus, Quapropter noverint omnes Chriſti fideles, „quod Saxones, quos à progenitoribus noſtris ob ſuæ per„tinaciam perfidiæ ſemper indomabiles ipſique Deo & „nobis tam diu rebelles, quouſque illius non noſtra virtute „ipſos & bello vicimus & ad baptiſmi gratiam deo annuẽ„te perduximus, priſtinæ libertati donatos & omni nobis „debito cenſu ſolutos, pro amore illius, qui nobis victoriam „contulit, ipſi tributarios & ſubjugales devote addiximus, „videlicet, ut qui noſtræ poteſtates Iugum hactenus ferre „detrectaverint victi jam, deo gratias, & armis ac fide do„mino ac ſaluatori noſtro Ieſu Chriſto & ſacerdotibus ejus

*S. VVillehadus primus Epiſcopus Bremenſis.*

*Saxones libertate donati Deo vectigales adducuntur.*

omnium

omnium ſuorum jumentorum & fructuum totiuſque culturæ decimas ac nutrituræ, divites ac pauperes legaliter conſtricti perſoluant. Proinde omnem terram eorum antiquo Romanorum more, in provinciam redigentes & inter epiſcopos certo limite diſterminantes, ſeptentrionalem illius partem quæ & piſcium ubertate ditiſſima & pecoribus alendis habetur aptiſſima, pie Chriſto & Apoſtolorum ſuorum principi Petro, pro gratiarum actione devote obtulimus, ſibique in Wigmodia, in loco Bremon vocato ſuper flumen Wirraham, Eccleſiam & epiſcopalem ſtatuimus cathedram. Huic parochiæ decem pagos ſubjecimus, quos etiam abjectis eorum antiquis vocabulis & diviſionibus in duas redegimus provincias his nominibus appellantes, Wigmodiam & Lorgoë, Inſuper ad præfatæ conſtructionem Eccleſiæ in ſupradictis pagis LXX. manſos cum ſuis colonis offerentes, totius hujus parochiæ incolas decimas Eccleſiæ ſuoque proviſori fideliter perſolverè, hoc noſtræ majeſtatis præcepto jubemus, donamus & confirmamus. Adhæc etiam ſummi pontificis & univerſalis Papæ Hadriani præcepto nec non & Moguntiacenſis Epiſcopi Hillonis, omniumque qui affuere pontificum conſilio eandem Bremenſem Eccleſiam, cum omnibus appendiciis Willehado probabilis vitæ viro, coram deo & ſanctis ejus commiſimus: Quem etiam primum ejuſdem Eccleſiæ III. idus Iulij conſecrari fecimus Epiſcopum, ut populis divini ſemina verbi, ſecundũ datã ſibi ſapientiam, fideliter diſpenſando & novellam hanc Eccleſiam canonico ordine & monaſteriali competentia, utiliter inſtruendo, interim plantet & riget, quouſq; precibus ſanctorum ſuorum exoratus incrementum det omnipotens deus. Innotuit etiam idem venerabilis vir ſerenitati noſtræ eam, quam diximus, parochiam, propter barbarorum infeſtantium pericula ſeu varios eventus, qui in ea ſolent contingere, ad ſuſtentacula ſive ſtipendia dei ſervo-

rum imbi deo militantium minime ſufficere poſſe. Quamobrem, quia deus omnipotens in gente Freſonum, ſicut & Saxonum, oſtium fidei aperuit, partem prænominatæ regionis, videlicet Friſiæ, quæ cōtigua huic parochiæ eſſe dignoſcitur, eidem Bremenſi Eccleſiæ, ſuóque proviſori Willehado Epoſcopo ejúſque ſucceſſoribus perpetualiter delegavimus retinendam. Et quia caſus prǫteritorum nos cautos faciūt in futurum, ne quis, quod non optamus aliquam ſibi in eadem Diœceſi uſurpet poteſtatem, certo eam limite fecimus terminari eique hos terminos, mare oceanum, Albiam fluvium, Liam, Steinbach, Haſalam, Wimarcham, Sneyelbach, Oſtam, Mulinbach, Motam paludem, quæ dicitur Sigefridiſmoer, Quiſtinam, Thiſemoer, Aſcbroech Wiſebroech, Bivernam, uternam iterumque Oſtam. Ab oſta verò uſque quo peneviatur ad paludem, quǫ dicitur Caldenbach. Deinde ipſampaludē uſque in wempnam fluvium: à wēpna verò Bicinā, farſtinam uſque Wirraham fluvium. Deinde ab orientali parte ejuſdem fluminis viam publicam, quæ dicitur Heſſenwech, Sturmegoe & lorgoe diſterminātem Sechbaſam Alapam, Caldhovua iterúmque Wirraham. Ex occidētali autem parte viam publicam, quæ dicitur volcwech, Derve & lorgoe dividentem uſque in Huntam fluvium. Deinde ipſum flumen & Amrivum lucum ſilveſtrem, quē incolæ loci Wiltloch nominant, finolam, Waldeſmoer, Bercpol, Eddenriad paludem, Emiſgoe & Oſtergoe diſterminantem, Bruſtlacho, Biberbach iterúmque mare firmos & intrangreſſibiles circumſcribi juſſimus. Et ut hujus donationis & circumſcriptionis auctoritas noſtris futuríſque temporibus domino protegente valeat inconvulſa manere, manu propria ſubſcripſimus & annuli noſtri impreſſione ſignari juſsimus. Signum domini Karoli regis invictiſſimi. Hildebaldus Archiepiſcopus Colomenſis & ſacri palatii capellanus recognovi. Data pridie Idus Iulij anno

dominicæ

dominicę incarnationis DCC. LXXXVIII. Indictione XII. Anno autem regni domini Karoli XXI. Actum palatio Nemetenſi fæliciter. Amen.

*Hoc inſtrumentum extat apud Albertum Abbatem Stadenſem & Albertum Crantzium in duobus locis ſed nuſquam incorruptius quam apud M. Adamum Bremenſis Eccleſiæ hiſtoricum. Cognoſcimus ex eo Epiſcopos illius œui non fuiſſe ſubditorum dominos, quemadmodum hodie haberi volunt, ſed tantum habuiſſe curam docendi populum: divini verbi ſemina fideliter diſpenſaſſe, & novellas Eccleſias canonico ordine & monaſteriali competentia utiliter inſtruxiſſe, plantaſſe & irrigaſſe, donec incrementum daret deus: cui ſoli omnem benevivendi accepto ferebant gratiam, Vivebant enim tunc epiſcopi pie, ſobrie & caſte, nec canes aut equos alebant ad venandum erantq́ quaſi præſides totius cleri atq́ plebis. Eccleſiæ illorum habebant regulares officinas & clauſtrum, ubi ex certæ regulæ præſcripto in communi vivebant, unam habentes menſam, unam burſam unumq́ commune dormitorium, ut loquitur Abbas Trithemius. Quemadmodum verò homo in animum atq́ corpus veluti membra primaria diſtribuitur: Sic in omni republica bene conſtituta, duplex eſſe conſuevit Imperium quo ipſa continetur & conſervatur: Vnum quod animos regit & doctrina ad obedientiam recti informat: alterum quod corpora & motus eorum externos gubernat, ne à recto exorbitent. Itaq́ Carolus Magnus prudenter in Saxonia primum Epiſcopos ordinavit, à quibus fides in Chriſtum pure ac ſynceriter doceretur ad populi inſtructionem, qui alioqui rudis & inſubidus in varia opinionum portenta diſtrahebatur. Deinde Magiſtratus conſtituit, qui pœnarum metu populum in officio continerent & quod recte doctum ab Epiſcopis erat exequi curarent. Epiſcopi quidem ut hic apparet initio rerum decimas tantum acceperunt: poſtea verò creſcente religione unà cum decimis etiam ipſa nacti ſunt prædia unde decimæ præſtabantur: Inde mirum in modum ditati, tandem, quóque totas*

*provincias*

*provincias cum omni juriſdictione ad ſe traxerunt: quod Eccleſiæ & pietati exitio fuit. Vt verè dixerit S. Bernardus Abbas Clarevallenſis Eccleſiam peperiſſe divitias ſed filiam devoraſſe matrem. Epiſcopatus Bremenſis, quam Parochiam vocat documentum, in duas provincias à Carolo Magno dividitur: quarum altera à Viſurgi in Albim fluvium extenſa Vymodia dicatur: altera Largoa ab eodem Viſurgi, quem Wirrahaam vocat verſus occaſum in Huntam pertineat flumen & Emiſgoæ paludem, quibus tertia pars Friſiæ admiſceatur, ut ſcoliaſtes ad* M. Adamum Bremenſem declarat: Friſia, inquiens, eſt regio maritima inviis inacceſſa paludibus, habens pagos ſeptemdecim, quarum pars tertia Bremenſem reſpicit Epiſcopatum his diſtincta vocabulis: Oſtraga, Ruſtri, Wanga, Dieſmeri, Herloga, Norda & Morſeti. Et hi ſeptem pagi Eccleſias tenent circiter quinquaginta. Hāc Freſiæ partem à Saxonia dirimit palus, quæ Walpinga dicitur & Wirrahæ fluvij Oſtia: à reliqua Freſia palus Emiſgoa terminat & mare oceanum. *Hactenus Scoliaſtes. Decimarium hoc ſatis amplum tunc erat & paucis ſacerdotibus ſufficiens: provinciæ autem ipſæ quoad juriſdictionem ſecularem ſuis Dynaſtis parebant, ut eſt veriſimile, etiamſi eorum nomina non prodantur. Conjecturam inde capias, quod Ludovicus Pius poſtea Ruſtros ſaluo jure Epiſcopi donaverit Harioldo Daniæ Regi, qui à ſubditis Regno erat pulſus. Pagi etiam qui nominantur, videntur ita Romano more dici, qui aliter conventus juridici apellantur, ex pluribus vicis uni Imperio ſubjectis conſtantes. Et Friſij Saxonibus hic pretexebantur ad mare Oceanū, uſq; ad Viſurgis oſtia: unde etiam illi aliquoties inferiores Saxones ſunt dicti à ſuperioribus palude tantum Walpinga diſcreti: quod diligenter eſt notandū ad hiſtoriæ intelligentiam. Dicta fuit olim Brema apud Ptolomæum Alexandrinum Geographiæ lib 2. cap. 11. Fabiranum, ut doctis placet. In ea Wilhehadus poſt ordinationem ſuam ut epiſcopus ſedit annos duos menſes tres & dies ſex, & viginti: prædicatáq;*

*Euangelium*

*Euangelium Chriſti tam Freſis quam Saxonibus poſt necem S. Bonifacij annos 35. Objit autem, valde ſencx apud Blexenam in Ruſtris Friſiæ Pagum, Corpus ejus Bremam deportatum in Baſilica S. Petri, quam ipſe ædificaverat, terræ eſt commendatum auctore Alberto Abbate Stadenſi.*

Anno Chriſti 789. Friſij Carolo Regi ſuppetias venerunt contra Wilcos, qui Slavicæ nationis populus trans Albim ad Oceanum Germanicum conſidebant. Hi ſuo idiomate velatabi dicti, vulgo ob rapacitatem Wilci quaſi Lupi audiebant. Cum autem vicinis ſuis, qui Francorum imperio tenebantur, incurſionibus moleſti eſſent, Rex Carolus ut ipſorum inſolentiam compeſceret, comparato ex Francis, Saxonibus, Sorabis & Obtritis ingenti exercitu Coloniæ Agrippinæ Rhenum trajicit & Saxonia peragratâ ad Albim ſtativa ponit fluménque duobus pontibus jungit, quorum alterum ab utráque parte caſtellis munit, quæ Friſijs qui Abolla fluuio (qui nunc Bolla dicitur) navibus advenerant cuſtodienda committit. Ipſe flumen Bizone Obotritorum principe ductore tranſgreſſus omnem Wilcorum regionem flamna & ferro vaſtat, donec Rex Slavorum Dragovitus ætate grandis de munitione ſua procedens ſe in fidem Caroli dedit & obſides qui imperabantur, tradit. Ejus auctoritatem ceteri Slavorum primores atq; reguli prudenter ſequentes in Francorum ditionem tranſeunt. Carolus autem Wilcis ſubactis & rebus Saxoniæ pro tempore diſpoſitis, in Franciam revertitur & Wormaciæ natalem domini cum paſcate celebrat. *789. 12. Bellum in VVilzos.*

Anno 790. Mortuus eſt Teodardus plenus dierum & bonorum operum uti perhibent, Epiſcopus ultrajectinæ ſedis quintus cum præfuiſſet annis ſex. Erat autem apud Friſios nobili Rodmannorum familia oriundus. Sepultúſque eſt Trajecti in æde S. Salvatoris. *790. Theodardus Friſius Epiſcopus ultrajectinus moritur.*

Succeſſit ei Hermocarus ex regno Northunbrano An-

glus Eboracenſis Dioceſis, vir Doctrina & pietate inſignis & Carolo regi notus.

*Expeditio Caroli in Hunnos in qua & Friſiorum multitudo.*

Rex Carolus totum hunc annum 790. Wormaciæ hœſit & Hunnorum, qui Pannoniam tenebant, Legatos audivit & ſuos viciſſim ad eorum principes miſit, ut de confiniis inter ipſos atque ſuos controverſiam componeret. Enimvero Hunni ſemel ad prædam à Taſſilone duce exciti ab ea veluti canes ab uncto corio dimoveri non poterant. Quocirca cum Bajoarios vicinos populos ſuo more incurſarent haberentque provinciam caſtellis atq; muris quos ringos atque hagas vocabant, egregie munitam, ita ut hoſtium impetus ſe facile propulſuros arbitrarentur, Carolo minus dicto audientes erant. Vt igitur injurias jam olim Francorum ditionibus crudiliter illatas ſemel ulciſcatur Carolus ex concilii decreto, magna cura bellum in illos comparat: ipſe Ratisbonam, quam Tiberii auguſtam antiquitus vocabant, proficiſcitur & delectu habito milites ex omni regno ſuo ſubſequi jubet: atque eodum convenire: Itáque Saxones cum quibuſdam Francis & maxima Friſiorum multitudine per Albim & Bohæmos ſubvecti Theodorico Marchione Bojoarriæ & Meginfrido cubiculario ducibus ſeptentrionalē Danubii ripam tenebant: ipſe auſtralem ejus ripam cum altera parte ſui exercitus occupabat Bajoariis cum impedimentis ſecūdo flumine ad Aneſum Bajoariæ terminum navigiis deſcendere juſſis. Eo cum eſſet ventum, totum triduum jejunio & Supplicationibus eſt datum, ut deus Eccleſiam ſuam miſeratus, victoriam contra Hunnos Religionis Chriſtianæ hoſtes largiatur atque exercitum ab omni clade defendat ad æternam nominis ſui gloriam. Tum demum caſtra mota & bellum Hunis indictum. Huni autem conſpicati ab utráque Danubii ripa tantum exercitum & claſſem per medium fluvium adventantem panico quodam timore perculſi fugæ latibula quærebāt.

Itáque

Itâque illorum munitiones ſine magno negotio ab exercitu occupatæ funditus delebantur: quarum una ſuper Cambum fluviúm,altera juxta Comagenos civitatem in monte Cumeberch vallo firmiſſimo erat conſtructa. Rex Carolus cum exercitu uſque ad Arrabonis fluenta atq; ejus oſtiũ qua Danubio miſcetur ſtativa per aliquot dies habet,omnia cędibus incendiis,rapiniſque devaſtat; Inde Ratisbonam ſine ullo incommodo revertitur ac ibidem natalem domini & Paſca celebrat. Saxones autem atque Friſones cum Theoderico & Meginfrido per Bohemos, ut jubebantur,domum revertuntur. Lues equorũ in hac expeditione tanta fuit,ut vix decima eorum pars ſuperſtes ſit habita: cæteris incommodis omnino ceſſantibus.

Anno 791. In Friſiam revertitur Taco Fortemannus vir nobilis à Duce Veneto multis egregiis affectus donis cum annos undecim apud eum, meruiſſet, exportans ſecum multa prætioſa monilia,quibus avúnculus ejus Hajo Ludigmannus in Syria & Græcia à gentibus illis erat cohoneſtatus. Taco Ludigman

Eodem quóque anno Rex Carolus S. Ludgerum in Weſtphalia populi paſtorem conſtituit: ejus ſedes tunc in pago ſudergoa Mimigarneforda civitas erat: quæ poſtea ob conſtructum ibi à S. Lutgero monaſterium Canonicorum deo famùlantium, etiam monaſterium eſt dicta. Sanctus autem Lutgerus confeſtim atque Regis juſſum accepit ſuæ vocationi non defuit,ſed more ſolito rudibus Weſtphalorum populis prodeſſe doctrina cæpit, erutiſq; Idololatrię ceteris ſpinis verbum dei ſingulari cura ſerere, Eccleſias conſtruere & in eis ſingulos ordinare presbyteros,quos Euangelii cooperatores ipſe ſibi ſedulo jam antea enutrierat. Cupiebat equidem multis ea ratione ſubvenire gentibus nec in eo ullum laborem refugiebat,pontificalis autem dignitatis gradum modeſte recuſabat, petens ſæpius à ſuis alumnis, ut aliquis eorum pro ſe eum *S. Lutgerus primus Epiſcopus Manaſterienſis.*

ordinem ſuſciperet. Quod cum intellexiſſet Hildebaldus Colonienſis Archiepiſcopus œgre tulit: verum conanti perſuadere reſpondet S. Lutgerus ex D. Pauli ſententia Epiſcopum eſſe oportere extra omnem reprehenſionem, Quod de ſe quamvis nec ipſe Archiepiſcopus audebat affirmare, urgebat tamen regis Caroli præceptum victus eſt igitur tandem auctoritate tanti viri S. Lutgerus & ſe Epiſcopium conſecrari eſt paſſus, cum jam totos annos duodecim ejus munere citra conſecrationem eſſet functus. Accepto autem ſacro pontificali ordine, cum omni ſedulitate & modeſtia gregi ſibi credito ſalutis documenta uberrimè præbuit, quoad domino largiente ad perfectam illos perduceret fidem Interea & illos quinque pagos, quos in Freſia ad agnitionem veræ & individuæ Trinitatis à paganiſmo converterat, quia alium non habebant Epiſcopum, eodem ſuo regimine continebat: quod & ſucceſſores ejus in poſterum quóque factitarunt. Retinuit etiam tunc in Brabantia Lothuſam Monaſteriũ D. Petro dicatum una cum omnibus adjacentibus ſuis Eccleſiis átque villulis. Cæperat autem jam antea monaſterium virorum condere S. Lutgerus in Marchia Veſtphalica ad fluvium Ruram, quod etiam num hodie extat, magnificis œdificiis & Biblioteca inſigni clarũ: quod alioqui in Friſia conſtuxiſſet in patrio ſolo, niſi ex ſomnii ſui interpretatione à Normannis cladem & excidium patriæ metuiſſet, quod potea evenit. Viderat enim per quietem in ſomnis à Septentrione nubes obortas Solem fugare & ſimul totam regionem caligine obducere adeò denſa, ut nec Solem nec regionem ipſam longo tempore poſſes agnoſcere: redire tamen eundem ſolem ſed multo minorem ac palidiorem, fugare viciſſim nubes átque caliginem ſed longo poſt tempore: Hoc ſomnium, cum Thetburgæ ſorori ſuæ non ſine lachrymis enarraſſet & ex eo Normãnos in Friſiam venturos conjiceret, qui Euangelii ſolem

ibi

ibi eſſent exſtincturi ad tempus longiuſculum, votum ſuũ de ædificando Monaſterio à patria in hunc Marchiæ locum diſtulit quod ideò Verthinam appellavit, quod illud viſum circa Verthinam Friſiæ in maritimis ipſi eſſet oblatum. Sanctus igitur Lutgerus natione Friſius ex conſtitutione Caroli Magni primus epiſcopus Manaſterienſis eſt factus: qui cum ſentiret religionem Chriſtianam non tantum verbo ſed etiam gladio propagandam in ſcuto ſuę diœceſios gladium cum lituo paſtorali decuſſatim conjunxit. Hinc eſt quod caſtra Caroli magni contra Wilzos, Wandalos & Soralos ſecus oppidum Helmenſtede communivit, ut inde in Wandalos poſſet propagare religionem eumque locum Abbati Werthinenſi ſubjecit ex Caroli Regis decreto ut Crantzius eſt auctor. Dux autem Brunſwicenſis hodie ab eodem Abbate Helmenſtadum oppidum jure clientelari poſſidet. Sanctus Lutgerus familiaris quóque fuit Widekindo Saxonum duci converſo ad fidem ejuſque conſilia in multis rexit: quocirca & apoſtolus Saxonum eſt appellatus. Atque hæc quidem ſparſa per omnem epiſcopatum fuerunt, cetera ſuis temporibus reddemus,

*S. Lutgerus Friſig. primus Epiſcopus monaſterienſis Verthinã condit.*

Anno eodem Iohannes Mailroſius & Claudius Clemens venerabilis Bedæ diſcipuli, perhibentur veniſſe ex Britannia Pariſios, una cum mercatoribus quibuſdam ſuæ nationis: Qui cum merces ſuas venum exponerent eaſq; commendarent, Malroſius & Clemẽs, à mercibus vacui, in eodem foro ſtantes, proclamarunt ſe non pileos, non cultros, non pannos, ſed ſapientiam habere venalem. Ea res cum fama & admiratione vulgi ad Carolum Regem eſſet perlata miratus & ipſe Rex eos eſt. Verum à Iohanne Albino, quem Alcuinum alii vocant ab Achajo rege Scothorum ad ipſum antea miſſo, admontus illos viros & virtute & eruditione inſignes apud venerabilem Bedã ſuos fuiſſe olim condiſcipulos, illos accerſi jubet & com-

*791. Academia Pariſienſis conſtituta quibus auctoribus.*

perto eorum ſtudio, ex ipſorum & Albini Rabaníqe conſilio Academiam Pariſienſem inſtituit. Sic ab Angloſaxonibus Friſiorum atque Saxonum poſteris bonæ literę primum in Francia tum temporis revixerunt.

*792. Gaſtiavus Fortemãnus moritur.*

Anno Chriſti 792. in Friſia moritur Guſtavus Fortemannus vir nobilis & omni doctrinarum genere bene excultus religioníque Chriſtianæ dedititiſſimus & Almeni, quæ nunc Harlinga eſt, in ſuo templo, quod Michaeli Archangelo conſecraverat, ſepulturæ mandatur, relicto poſt ſe Vnico filio hærede, qui Magnus Fortemannus appellatus, egregius poſtea militiæ apud Friſios ſignifer atque adeò etiam ductor fuit: poſt mortẽ ſuam divis adſcriptus.

*Radbodus Friſiorum Rex ultimus diem obit extremum.*

Eodem hoc anno Radbodus Friſiorum Rex ultimus à Carolo Magno in exilum actus è vita migrat: ſed quo in loco incertum eſt. Noſtrates illum in Dania clauſiſſe diẽ extremum volunt: Hollandi verò narrant ipſum matris ſuæ religioſæ fæminæ inſtinctu Halhemi, quæ nunc Egmonda eſt, à D. Alberto Regis Deirorum filio primo Vltrajectinæ Eccleſię Archidiano ſimul bonis literis ac moribus imbutum, Caroli Martelli principis Francorum interventu anno circiter ſeptingenteſimo trigeſimo nono duxiſſe Amarram Regis Hungariæ filiam uxorem, in minore Friſia reparaſſe Limenum & Scorelum pagos vetuſtate collapſos, excitaſſe Varmenhuſam & Huyſdunam, habitaſſe Reinichemi, equo lapſum paulo poſt deſijſſe vivere & una cum uxore ſua in arcis illius area quæ hodiéque coemiterium Radbodi dicitur, terræ commendatum. At iſto Martelli æuo Hungarorum nomen nondum erat auditum: quippe qui demum anno 889. in Pannoniam primo venerint teſte Reginone eorum temporũ hiſtorico. Deinde anno matrimonii contracti Radbodus annum ſuæ ætatis agebat undecimum utpote qui anno Chriſti 728. fuerit natus ut annales patrij oſtendunt. Fortaſſe verum eſt ipſum anno 785. una cum Albione & Videkindo

dekindo Saxonibus in gratiam à Carolo Magno receptũ, in minori Friſia domicilum rerum ſuarum conſtituiſſe & ſic tandem in loco prædicto fuiſſe mortuum. Nam & Albio ejus amitâ majore Heilâ Radbodi primi filiâ natus erat & patruelis Albionis. Videkindus Gevam Suffridi Daniæ regis ſororem matrimonio tenebat ex Othilda Radbodi filia ſua item amita & Gormone Daniæ rege natam: ut ſuſpicari liceat & bellũ à Videkindo Friſijs anno 784. ipſius Radbodi inſtinctu illatum & illo finito, non ſine Radbodo, belli auctoribus pacem fuiſſe conceſſam. Dicitur etiam Radbodus reliquiſſe Gerbrandum & Wolbrandum filios & ex Wolbrando ſtirpem Egmondanæ familiæ: de qua Petrus Corneliſonius Bockenbargius & alij tractatus ſcripſerunt, quos lector videre poteſt, ſi libet.

Anno 793. Die novembris ſeptimo Oceanus flatu ventorum concitatus in Friſiam facit impetum ſuáque inundatione multos mortalium cum jumẽtis ſuffocat: parum tamen nocet agris aut eorum fęcunditati, quandoquidem cito revertitur intra alveum ſuum & frequens per hyemẽ pluvia ſalſugmein ejus eluit. Friſij autem, ne iterum ſubito obruantur, ingentes congerunt ex terrâ clivos ad experimentum altiſſimi æſtus, præcipue in Coldumo. Dronripæ & ad meridiem Vtgongæ, quæ nunc Belliconum appellatur: qui demum anno 796. magno cum labore abſolvuntur. 793. Oceanus inũdat Friſiam.

*Carolus Rex anno ſuperiore in Danubio pontem fecerat navalem, ita anchoris atq; funibus compactum, ut jungi & diſſolui poſſet pro arbitrio. Hoc autem anno inter Redoneſſum & Alemanum Nariſcorum fluvios foſſâ depreſſâ ex Danubio in Rhenum navigationem tentat ſed labor ejus irrit⁹ fuit ob terræ paluſtris & uliginoſæ inſtabilitatẽ, quæ quoties egeſta erat, ſemper relapſa alveum foſſæ implebat. Sic & olim fruſtra à diverſis principibus Iſtmi Cornithiaci tentata perfoſſio.* Carolus ex Danubio in Rhenum navigationẽ ſtitat fruſtra.

Anno

*Anno ſuperiori Pipinus filius nothus gibbo deformis in patrem Carolum cum quibuſdam Francorum conjuraverat, ſed cojuratione detecta Pipinus in monaſterium S. Galli tonſus fuit ceteri verò conſcij gladio aut laqueo puniti. Statuerat autem Rex Carolus ponte fabricato bellum in Hunnos inchoatum penitus conficere ideoque juſſerat ut comes Theodoricus copias per Friſiam collectas in Bajoriam Albi ſubneheret verum ubi eas in Ruſtringia à Saxonibus cæſas intelligit, iter ſuum hoc anno in Hunnos omittit & totum autumnū foſſæ ſuperiori impendit. Inde audita Saxonum nova deſertione & ſuorum à Saracenis in Septimania clade in Franciam revertitur, & Wirtzerburgi apud S. Kilianum Domini natalem; paſca autem Francofarti agit.*

794. *Normanni iterum tentant Friſiam ſed vincuntur.*

Anno 794 ſeptem Piratæ Normanni occupato flevi alueo multum Friſiæ incommodant: Illorum duo inde Lavicam: item alij duo triduo poſt Amaſun petunt: omnes ex finitimis prædas agunt. Stavorani autem viciſſim comparata quinque navium claſſe tres illas qui apud flenum in anchoris ſtabant, aggreſſi vincunt naveſque illorū aliquot occiſis naviculariis cum jūgeti præda captas Stavoram deducunt. Piratæ ijdem flevo provecti Lavicam occupant, quos ſtatim Eſonſtadienſes conſequuntur, piratas in medio concluſos capiunt, attamen non citra ſanguinem, cum piratæ ab armis bene inſtructi multum repugnarent. Reliqui duo, qui in Amaſi ſtationem ceperant comperto ſociorum infortunio ſublatis anchoris in Norvegiam velociter abeunt & noſtrates callide fruſtrantur. Sed poſt dies octo ad Amaſun reverſi, ut fugæ damnum ſarciant, rapinis & incendiis in confines graſſantur: ſed cū lavicam inde peterent ut & illic ſimilia patrarent à Stavoranis è flevo venientibus & Eſonſtadienſibus intercipiuntur & in prædam æqualiter veniunt.

*Concilium Frācofur tēſa ſuper cultu Imaginū.*

*Eodem tempore Rex Carolus Francofurti ad Menum ex episcopis Italiæ Galliæ & Germaniæ ſynodum cogit: adſunt Ha-*

*driani*

*Adriani Papæ legati duo. In ea Felicis Orgelitani epiſcopi damnatur hereſis, quæ docebat Criſtum quoad carnem eſſe filium adoptivum. Damnatur & ſecunda Synodus Nicena pro adorandis imaginibus celebrata ſtatuitur imagines Hiſtoriæ aut ornatus cauſa poſitas nec frangi nec adorari debere. Sed aliud apud Romanos pontifices conſuetudo obtinuit. His rebus actis Rex Carolus habito optimatum concilio exercitum ſuum in duo diſtribuit agmina: quorum alterum ipſe per Thurnigos à meridie in Saxoniam ducit alterum filius cognominus Coloniâ Rhenum traducit. Saxones rebelles in ſaltu Sintfeldiano, qui nunc d'Sent in comitatu Lippienſi vocatur, conſidebant & bellum in Francos meditabantur: verum vbi vident ſe à duabus partibus obſeſſos, omnem pugnandi ardorem ſubito deponunt, ſe Chriſtianos more ſolito profitentur & fidem regi perpetuam ſpondent. Rex in Franciam regreditur & apud Granÿ aquas hibernatum comcedit.*

*Carolus iterum Saxones patit.*

*795.*

Inde Carolus anno 795. Moguntiam proficiſcitur & in villa Cufferſteino, quæ ad Moenum fluvium eregione ejus urbis erat ſita, concilium procerum agit, quo finito in Saxones iterum rebelles exercitum movet. Vbi ad Albim pervenit cognoſcit Bizonem ducem Obotritorum quos nunc Megalburgenſes vocamus à Saxonibus in trajectu fluminis per inſidias occiſum. Quamobrem ira accenſus omnem terram illorum ferro & flamma pervagatus, non prius abſtinet quam occiſis Saxonum triginta millibus, reliquiæ obſides, qui imperabantur, traderent. Venerunt tunc illac quidam legati Avarum ex Pannonia, qui regis ſui Tudonis nomine obedientiam regi & fidem in Chriſtum offerebant, quos bona ſpe impletos dimittit & ipſe aquas revertitur. Vicerat autem jam antea Carolus Hunnos eorumque ditionem ab Anaſſo fluvio, uſque in arrabonem novis Coloniis occupaverat, novoque Auſtriæ nomine indigitauerat: reſtabant adhuc Avares & hunorum reliquiæ, qui ultra Arrabonem flu: novos motus excitabant.

*Alÿ VVitzan.*

*à Carolo Saxonũ 30000. caduntur.*

*796. Bellum Hunnū confectū.*

Igitur anno 796. Pipinus Caroli filius cum Bajoarijs & Bonomarus venetus tribunus Henrici, quem Foro julij rex præfecerat, junctis copiis in eos ducunt, Iringum & Iugurronem Cacanos id eſt Hunnorum regulos interſiciunt: Ringum eorum ſive prætorium ubi omnis gaza regia erat condita, capiunt, diripiunt & ſolo æquant. Tudonem Regem cum magno ſuorum numero in deditionem accipiunt, ad Regem Carolum cū theſauris ire jubent. Is baptizatus poſtea ad Iazigas in regnum remittiiur ſed cū fidem frangeret à Pipino victus tandem occiditur. Reliquiæ Avarum vires reparant Chajam quendem regem creant, prælium inſtaurant ſed magno ſuo damno ſuperãtur & ad internecionem pæne conciduntur. Regio in provinciam redacta præſidiis firmatur. Opes eorum, quas per trecentos fermè annos in ringos ſuos ex prædis omnium gentum totius orbis congeſſerant, Franci occupant & inter ſe partiuntur: qui hactenus pauperrimi nūc divitiis repente abundant. Huic bello etiam Friſios ſtrenuam navaſſe operam annales Francorum manifeſte oſtẽdunt. Sed & patrii annales commemorant Bottoni Fortemanno, de quo ſupra locuti ſumus, fuiſſe tres fratres quorum Saclo fuerit homo multum demiſſus, rei pecuariæ & agriculturæ deditus. Hauco autem & Reinicus contra fuerint viri militares, nulla re alia delectati, quam tubis, Lituis, atque tympanis: eos perhibent octodecim annos militiam ſecutos rediiſſe demum in Friſiam anno 796. & quieti ſe dediſſe. Eodem autem anno 795. die 26. Decembris objerat Hadrianus Papa Romanus cum ſediſſet annos 23. Menſes 10. & Dies 17. Eodem etiam die electus erat Leo Papa ejus nominis vulgo tertius, ſed revera quartus. Fuerunt enim ante eum tres alij, quorū primus Leo Magnus, Quinctiani filius Romanus anno Chriſti 440. Alter Leo Iunior Pauli filius Siculus anno 683, Tertius Leo natione Romanus Nicolai diaconi filius

*Hadrianus Papa moritur defletur à Carolo Rege: ſuccedit ei Leo 4.*

filius anno 698. Quartus verò Leo item Romanus, patre natus Azuppio, electus hoc anno & die quem diximus ut Martinus Polonus Archiepiſcopus Cōſentinus & Mathias Palmerijs aliique in Chronicis ſuis reliquere ſcriptum: quemadmodum latius id in peroratione ad Apologiam Suffridi Petri anno 1603. comprobavimus. Ob Hadriani Papæ mortem Rex Carolus valde contriſtatus fuit: Nec eum ipſum deflevit minus quam ſi fratrem aut filium chariſſinum amiſiſſet teſte Egniherto Caroli ſecretario. Leo autem quartus, ut ſuam obedientiam ac ſubjectionem teſtaretur, anno 796. Carolo miſit & claves confeſſionis divi Petri & vexillum urbis, cum ſacris muneribus, rogans inſuper, ut aliquem Romam legaret, qui à populo Romano juramentum fidelitatis accipiat. Miſſus eſt Angelbertus Abbas S. Richarij apud Flandros: qui una ſecum detulit Romam multa donaria, ex Hunnorum ſpoliis conflata, quæ divo Petro & pontifici Carolus offerebat. Carolus enim ut erat liberalis, ita minimam ſibi theſauri Hunnici partem retinuit. Multa ex eo Clericis & ſacerdotibus contulit, plurima etiam optimatibus & in aula militantibus dedit. Quibus rebus confectis ipſe in Saxoniam abjit Pipinum verò filium cum Italicis & Bojoariis copiis in pannonam ire jubet. Et ipſe quidem Saxoniâ magna ex parte vaſtatâ ad hiemandum Aquiſgrani ſedem capit. Eôdem poſtea Pipinus, Hunis ultra Tizan fluvium ſubmotis, cum eorum ultima præda venit & una cum patre, ibidem natalem domini & paſca celebrat.

*796. Leo 4. Carolo mittit claves confeſſio. S. Petri & vexillũ urbis*

*Anno 797. primo Majo iterum quædam piratarum manus ex Iuthia ſive dania in Friſiom deſcendit, qua incolas circa Lanicam commorantes miſerabilem in modum deprædatur exſtiſq; illorum domicilijs, ſubito navium ſuarum curſus inhibet, ne intercipiatur. At nono Iulij die ejuſdem anni Stavorani Eſonſtaduenſes & Doccumani, quorum oppida tunc vige-*

*797. Dani Piratæ Friſiam deprædantur: & Friſij Daniam.*

*bant, inſtruunt & educunt claſſem ingentem eáq́; Daniæ & Iuthiæ fines acriter invadunt, ut ſe de piratarum injuria vindicent. Cum vero Rex Daniæ ipſis ſe viciſsim opponeret, Friſÿ ſpoliÿs onuſti domum revertuntur nec Dani eos extra regni ſui fines perſequuntur. Sic par pari relatum eſt.*

*Barcino urbs Hiſpaniæ Frācis deditur.* Eodem anno Barcino urbs Hiſpaniæ limitanea Francis à Sarraceno, qui ei præ erat, redditur. Ludovicus Rex Aquitaniæ oſcam obſidere jubetur. Rex Carolus in Saxoniam, quaſi ex more contendit, omnemq́ue inter Wiſurgim & Albim evaſtat & ultrà omnes paludes Hadeloam uſque (quæ nunc Hadeleria urbanius dicitur *Carolus Saxones univerſos in fidem accipit.* inquit Abbas Stadenſis) penetrat: Ibi ad oceanum in loco, qui Caerlſandt ab ipſo denominatur, ſtativa aliquandiu habet. Inde in deditionem accepta Saxonum gente univerſa Aquiſgranum redit. Ibi è Sicilia & Mauritania Legatos audit & abſoluit: Concilium procerum cogit & ex ejus ſententia Saxoniam repetit. Exercitum per hiberna ibidem diſtribuit & à ſubditis ali jubet. Locũ ſuæ ſedi ad Wiſurgim deligit quem Heriſtellum quaſi principis ſtabulum vocat. Huc ad ipſum venit ex Italia *Heriſtellum ad viſurgim conditur.* filius Pipinus & ab oſca redux Lodovicus. Veniunt etiam eodem Adelfonſi Aſturiæ & Gallæciæ Regis legati cum donis exquiſitis hoſti Saraceno detractis. Omnes rex auditos ad ſuos remittit. Ipſe in Heriſtellio & natalem Chriſti & paſca celebrat. Quamvis autem Rex Carolus in media Saxonia hibernans omnibus vicinis gentibus terrori eſſet, Saxones tamen antiquos ſuos mores exuere non potuerunt, ut quieſcerent. Nam cum is anno ſequenti 798. miniſtros ſuos ineunte vere ad juſdicen- *798.*
dum in Saxoniam ulteriorem & quendam Godeſchalcũ legatum ſuum ad Sigefridum Daniȩ regem mitteret, Saxones contra fas & jus gentium & legatum intercipiunt & juſtitiæ miniſtros occidunt. Quamobrem merito iratus *Saxones Caroli legatos violant.* ad Mundam in ditione Brunſuicenſi ſitum oppidum cũ

exercitu

exercitu ſtatim vadit, ibi Wiſurgim tranſit, omnem regionem vicinam uſque in Albim militi in prædam cõcedit. Fit cædes & deprædatio omnium ingens. Nec horum exemplo terrentur Saxones Nortalbingij, quin in Obotritos Francorum clientes & amicos inſuper bellum transferant. Sed à Traſicone obotritorum duce fortiter repelluntur, quatuor ſuorum millibus in acie amiſſis. Rex interim Aquiſgranum redit, cum Albim ob aquarum diluviem tanſire non poſſet. Ibi legatos Irenes Imperatricis Conſtantinopolitanæ & ex Hiſpania Adelfonſi regis audit & honorifice muneratos demittt. Mauri piratæ Baleares inſulas in mari mediterraneo hoc anno deprædantur.

Anno 799. Octavo Calendas junias Leo quartus pontifex Romanus, cum ex veteri inſtituto Gregorij Magni, ſupplicãdi cauſa pompam cleri & populi duceret, ab æde S. Laurentij martijris (quæ Lucinæ dicitur) ad ædem Martijris Georgij, cujus natalitia agebantur, ubi ad Sylveſtri pervenit, à Paſcali primicerio & Campulo Sacellario Hadriani Papæ, præceſſoris ſui nepotibus occupatus, ab equo in terram dejicitur, oculos & linguam perſtringitur & veſtimentis pontificalibus exutus in luto & ſanguine ſemivivus relinquitur: inde ab iiſdem ſubito abreptus in carcerem compingitur: verum ab Albino cubiculario ſuo aliiſq; piis viris noctu liberatur & Winegiſo duci Spoletano commendatur, qui ipſum in Germaniam cũ præſidio ad Carolum Regem ſuppetias oratum dimittit. Interea Paſcalis atque Campulus, qni pluſquam vatiniano odio Leonem pontificem ſuum indigne perſequebantur, eô, quod is quædam Hadriani Papę acta antiquaſſet & in Francorum partes videretur propenſior, cum dicti Albini domum incendiſſent prædiaq; Leonis Papæ, nec non & Romanæ Eccleſiæ poſſeſſiones, eſſent deprædati, falſa crimina in Papam ſuum jam antea male mulctatum

*799. Leo quartus Papa à Romanis Violatur.*

cundunt,

cundunt, quod eôque impudentiæ deveniunt, ut etiam ſuo nomine legatos ad Carolum regem mittant, qui Papam inſuper accuſent & ipſorum maleficia, tanquam bene facta purgent ac defendant. Conſidebat autem tum temporis Rex Carolus apud Paderbornam in caſtris, cũ pontifex Leo quartus ad ipſum venit reparabatque ibidẽ ædem ſacram, quam Saxonum rebelles everterant. Commode itaque accidit, ut ædem illam pontifex in honorem S. Stephani protomartyris reſtitutam conſecraret, & inter alia etiam ſacellum D. Petro, quod Heresburghi Carolus ædificaverat. Quibus actis cum & magno honore primum ſuſceptus & aliquam diu à Rege magnifice tractatus eſſet, tandem pontifex ex decreto coacti ad hoc concilij, circa finem menſis Septembris demittitur & cum honorifico comitatu præſidioque militari in Italiam deductus, quarto demum Calendas decembris Romam redit. Inter vias autem ab omnibus reverenter ſuſceptus, maximum ſuæ pietatis percepit ſolatium. Cognito autem ejus ad urbem reditu, Senatus populuſque Romanus, una cum matronis pueris ac puellis nec non & ſcolæ Francorum, Friſonum, Saxonum ac Longobardorũ ad pontem Milvium cum ſignis & vexillis ipſum lætantes excipiunt & porro cum cantibus in D. Petri Baſlicam deducunt, ſimulque auditis miſſarum ſolemnibus corpus & ſanguinem domini participant, teſte Anaſtaſio Bibliothecario in vita Leonis, de quo loquimur.

*Leo Papa ad Carolum venit Paderbornam.*

*Romam reducitur*

*& à Romanis cum gaudio recipitur*

*Interea Rex Carolus, dum Leo pontifex domum reducitur per Carolum Filium ſuum natu maximum negotia Saxonum & Vandalorum peragit, iiſq; confectis Aquiſgranum in hiberna concedit. Ibi ſigna victoriæ Britannicæ ipſi offeruntur, nec non & illa, quæ Mauris prædonibus in Majorica inſula erant erepta. Recipit ibidem & claves urbis Oſcæ in Hiſpania ſitæ à Saraceno ejus præfecto tranſmiſſas & monachum cũ reliquiis ſanctorum à Patriarcha Hieroſolymitano legatum.*

*Ad*

*Adhæc ab Arone Saracenorum Calipha dono accepit montem calvariæ, una cum ſepulcro Ieſu Chriſti, cænobyſq́ Criſtianorum in terra ſancta conditis; unde nata de ejus in terram ſanctam expeditione fabula. Turbat ipſum gens Avarum ſive hunnorum robuſtiſſima, quæ hactenus magis victa, quam domita, à Francorum Imperio iterum deſcedit, arma induit & Gerolphum Bajoariæ ducem uxoris Lutgarde Fratrem occidit: Verum ab Arno Invavienſi Archiepiſcopo & Pipino Italiæ rege triumphata penitus excinditur ſuaſq́ regiones uſq́ in Dravum fluvium Bajoariys cedit. Hinc Auſtriæ Marchionum initium & belli hunnici, quod octo anno duravit exitus.*

*Dona ab Arone Calipha quã & Rex perſarum.*

*Hunnorum exterminum*

Anno poſt natum Chriſtum Octingenteſimo Rex Carolus in Italiam cogitabat, ut ibi res conturbatas in ordinem redigeret. Sed prius quam eô iret Monachuam Hieroſolymitanum à ſe honeſte demittit: adjungit ei itineris comitẽ Zachariam ſui palatij preſbyterum: qui ipſius Donaria ad ſacta loca deferat & in pauperes Chriſtianos ibidẽ ſub cruce geentes eleemoſynas eroget. Inde ad Galliæ littora vadet, oſtia & navalia fluminum inſpicit, claſſem in Normannos, qui mare illus infeſtum tenebant, comparat. Hinc Turonos ad S. Martini ſepulcrum divertit: ibi aliquot dies commoratus pridie nonas Iunii uxoremLutgardam ex morbo amittit terræq; maudat ac converſo itinere per Aurelia nos atque Poriſios Aquiſgranium revertitur. Menſe Auguſto ex omnibus ſuis ditionibus proceres Moguntiã vocat & concilio habito cum exercitu in Italiam contendit. Illic primũ puniris, qui Henricum dûcem foro Iulienſem ad Tarſaticam Liburniæ civitatem occiderant, Cada lochum foro Iulio ducem conſtituit: & Ravenan pergit. Ravennæ ſeptem diebus in apparatum belliBenentani conſumtis Anconam proficiſſitur & Pipino filio in Beneventanos ire juſſo, ipſe per ducatum Spolitanum iter ſuum

*800.*

*Carolus Romam cogitat.*

*Claſſis paratur in Normannos.*

*Bellũ in Beneventanos inſtauratum.*

Romam

Romam verſus inſtituit. Septimo idus Octobris adventanti ad urbem occurrit Leo Papa ejus nominis quartus cum ſenatu Romano ad Nomentum Duodecimo ab urbe lapide, qui cum rege pranſus eodem die Romam redit. Poſtridie vero ipſum Romæ ingradibus Baſilicæ D. Petri cum cantu excipit & in eccleſiam magna cum ceremonia

*Quæ hoc anno Romæ acta.*

deducit, idque die octavo Calend: Decembris. Concione advocata Rex Carolus ſui adventus cauſam aperit: accuſatores Leonis Papæ adeſſe jubet: & cum nemo prodiret, qui crimina delata probare tentaret: Papa ſuggeſtũ aſcendit & ſumptis Euangelijs deique nomine invocato ſe inſontem jurat. Die autem viceſima quinta Decembris Rex Carolus natalem Chriſti celebraturus ſummo mane ad confeſſionem D. Petri oratum conſidet: ſurgẽti ei ab oratione Papa trabeã injicit & capiti ejus coronam

*Carolus renunciatur Imperator Romanorũ auguſtus & Magnus.*

auream imponit, ter acclamante Populo Romano: Carolo Auguſto à Deo coronato magno & pacifico Imperatori Romanorum vita & victoria. Sic Imperium occidentis ab oriente divulſum & patritij nomine ſublato Carolus & Imperator & Auguſtus eſt appellatus. Carolum tunc quoque ipſe Papa, ut Imperatorem ad imitationem moris antiqui adoravit rebus ipſis agnoſcens ſuperiorem. Eodem die Chriſti natalitio, Hieroſolymâ revertitur Zacharias presbyter, cum monachis duobus, qui claves ſepulcri dominici & calvariæ, claves item civitatis & montis Oliveti ad ipſum benedictionis gratia deferunt. Pipinus quoque eodem tempore una cum patre Carolo oleo ſacro in regem Italiæ perungitur. Is antea adverſus Grimoaldum Beneventi ducem miſſus inſtante feſto natali, à Patre erat evocatus, ut celebritati tam præclaræ intereſſet. Ex quo multi conjecturam faciunt, totum hoc inaugurationis negotium inter Imperatorem atque Papam ex compoſito geſtum fuiſſe, quamvis aliter de eo ſcripſerit Egnihartus Caroli regis gener atque notarius. Datũ enim hoc fuiſſe principis egregii non inubidæ am-

bitioni voluit ut qui omnia jura populi Romani manu ſua teneret, etiam titulo Imperatoris inſigniretur, qui ob res bene geſtas olim à militibus Romanis acclamari ſolebat: In quorum locum quomodo Papa Romanus ſucceſſerit, equidem non memini me uſquam legere. Poſt aſſumptum illud nomen, Imperator pro tribunali ſedēs, in ſeditioſos, qui Papam exagitaverant, quæſtionem inſtituit & veritate comperta omnes, ut majeſtatis reos, capitis condemnat: verum ad preces Papæ intervenientis pœna mitigata exilio eoſdem tantummodo multat, vita & membris benigne condonatis. Hinc Imperator abacum argenteam, in qua urbs Roma ſculpta erat, una cum vaſis ad eam inſtruendam ex auro neceſſariis, Eccleſiæ vaticanæ donat, ut grati animi ſpecimen exhibeat & uſque in menſem Majum Romæ apud Papam manet.

*Imperator Papæ violatores capitis condemnat.*

*Anno autem octingenteſimo primo ferijs paſcalibus exactis Imperator filium Pipinum Italiæ regem in Benenentanos remittit, Vinegiſum ducem Spoletanum, quem ei ſubſtituerat, revocat & ſeptimo Cal. Maij urbe egreſſus Spoletum concedit. Ibi pridie Cal. ejuſdem menſis terra moveri per Italiam atq; aliqua Galliæ Germaniæq; loca circa Rhenum, ædificia cadere & urbes deſolari: ipſe Spoleti manere & niſi motu ſedato Ravennam atque inde Papiam contendere Illinc cum audiviſſet legatum regis Perſarum, cum donis ex oriente advenitare, pauliſper moratus, vercellas proficiſſitur atq; in itinere verſus Eporædiam urbem legatū honorifice ſuſcepit & auditū ſecum ducit. Menſe autem Iulio alpes tranſcendit: octobri Iſaac Iudæus Regis Perſici nomine Elephantem adducens propter hyemem Vercillis ſubſiſtit. Interea Pipinus Rex Italiæ in agrum beneventanum regreſſus Teanum oppidum cum præfecto ejus capit & inmiſſo igne ſuccendit: præfectum patri mittit: qui illum exilio mulctat. Eo terrore multa ejus regionis caſtella in deditionem veniunt. Noſtrates ſcribunt in hac Caroli iu Italiam expeditione etiam Friſios magno numero*

*Legati Regis Perſarū Imperatori occurrant.*

Historia de Bulla Caroli

**De Friſiorum ejus tẽporis expeditions quid ſẽtiendum.**

*cenſitos. Extat enim quidam apud Friſicos legum Friſicarum Liber vernaculo ſermone ſcriptus & typis ante multos annos expreſſus, in quo affirmatur Magnus Fortemannus Friſiorum Dux atq; ſignifer in ipſo meridie Romanis pleriſq; adhuc prandentibus, Capitoleum adſcẽdiſſe, vexillum Caroli Regis de turri altiſsima extuliſſe Romãq; tũ feciſſe ſuæ poteſtatis: Carolũ Regem ab ipſo civitatẽ recepiſſe, virtutem Friſiorum admiratũ, obtuliſſe illis aurum & argentum loco præmij, Magnum verò Fortemannũ magno animo ea aſpernatũ, nihil aliud petiviſſe, quam Libertatẽ pro ſe atque ſuis in perpetuũ. Controverſijs deinde inter Carolum Imperatorem & Romanos ob injurias Leoni Papæ illatas, ſopitis accepiſſe literas à Papa & imperatore aurea bulla munitas, quibus omne Ius Friſiorũ tam ſacrũ quam profanum contineretur: fuiſſe in ijs jura electa ſeptem, indulta ſeptendecim, cummunia viginti quatuor & triginta ſex ſynodalia: quæ omnia deinceps in illo libro comumorantur. Additur ibidem, Friſios ante hanc expeditionem homines fuiſſe nudos atque deſpicabiles ea verò peractã Libertatẽ nactos ac ob fortitudinem ſocios principum ac magnatũ extitiſſe toto imperio celebres. Quæ ſi vera ſunt ut multis videntur, multum ſane diſcrepant ab ijs, quæ ſupra ſcripſimus atq; etiam ab illo diplomate quod anno ſequenti datum vulgo circumfertur & Carolo Magno Imperatori adſcribitur. Si enim verum eſt, Leonem Papam apud Nomentum cum Carolo pacifice prandiſſe, Carolum poſtridie cum ſolemni Pompa Romæ exceptum: non fuit ſane cauſa, cur Friſij Capitolium hoſtili modo invaderent & urbem in poteſtate tenerent. Dicendum itaque deploma illud ne falſum videatur, ad alium ſpectare Carolum, quam Magnum Imperatorem. Neq; enim adduci poſſum ut credam majores noſtros bonæ fidei alioqui homines adeo fuiſſe ambitioſos, ut ex falſo ſibi laudem queſierint & toti mundo ea ratione auſi ſint imponere. Scriptura quidem illius diplomatis Carolum Magnum Imperatorem verbis præfert. Sed & epocha idem facit: Verum cum eadem in ex-*

*emplis variet & ſtilus à Caroli Magni curia ſit alienus, ut cum aliis ejus diplomatibus collatus facile deprehenditur: falſum tamen illud dicere non auſim, propterea quod omnium ejus exemplorum epochæ licet diverſæ reperirantur, continẽtia tamen fere ſit eadem. Vicini noſtri Hollandi Theodorico primo Comiti ſuo factam donationem de Egmonda adſcripſerunt hactenus Carolo Calvo Francorũ Regi quæ Carolo Sĩplici debetur ut ego ſuo loco demonſtrabo. Iidem Vaſdam Flandriæ regionem accepto ferunt Ludovico Germanico Ludovici Pij filio ob Emmam Uxorem, voluntque eam donatam Theodorico primo: per me autem diſcent ejus donationis eſſe autorem Lotharium Franciæ regem Ludovici tranſmarini filium, qui item Emmam Lotharij Italiæ regis filiam habuit uxorem, eamque donationem collatam Theodorico ejus nominis ſecundo Hollandiæ Comiti: quemadmodum id emendatæ temporũ epochæ & characteres inſuper additi liquido convincunt. Idem noſtratibus evenit, ut ſimilitudine nominum decepti ſint. Fuerunt hactenus inter Imperatores occidentis Caroli quinque: inter quos hoc Diploma Friſiorum, de quo ſcribimus, neceſſe eſt, inveniat auctorem ſuum, ſi verum haberi velit. Illud ſane duobus extremis Carolis, nempe quarto & quinto ob id adſcribi nequit, quod ejus memoria ipſorum ævo in Hiſtorijs extet antiquior. Quamobrem ſi Carolus Magnus Friſijs hoc diploma libertatis non dedit, ut multi augurantur, ob ſtilum ejus, conſequens eſt aut Carolum Calvum aut Carolum Craſſum eſſe auctorem ſi obſervari debeat At calvus cum Saxonibus atque Romanis nullum diſcriment adijt, quemadmodum diploma commemorat. Reſtat igitur ſolus Craſſus qui & Imperator & Rex Francorum audivit & Saxones ac Romanos contumaces ſenſit ut ſuo loco exponemus. Sed ad Carolum Magnum revertamur.*

**Privilegij Phriſiaci quis auctor ſit.**

Anno igitur octingenteſimo ſecundo inter Carolum Imperatorem & Irenem Imperatricem legati frequentes commeant qui pacem inter utrumque Imperium firmẽt

& nuptiis intervenientibus ſtabiliant. Quod poſtquam Nicephorus Patritius & Logotheta cognoſcit, Conſtantinopoli tumultum excitat, Irenem comprehendit & in Lesbum inſulam deportat. Ipſe calendis Novembris Imperium arripit. Legatos tamen Caroli cum pace dimittit & foedus perpetuum ſanciri inter ſe atque Carolũ addita legatione poſtulat. Pipinus autem Rex Italiæ in principatu Beneventano, dum bellum ad ſingula oppida circumfert, Ortonam & Nuceriam civitates ſuæ poteſtatis facit: Vinegiſum Spoleti Ducem Nuceriæ præponit ipſe ad patrẽ proficiſcitur. Vinegiſus autẽ, Pipino abſẽte, ſtatim à Grimoaldo Beneventi duce obſidione cingitur & eidẽ mora fatigat⁹ deditur, verum bene ab eo habetur.

*Anno autem Octingenteſimo tertio legati Imperatoris Caroli quos anno ſuperiore ad Irenem miſerat, Conſtantinopoli redeunt comitati legatis Nicephori, qui orientis Imperiũ invaſerat, qui quidem primo magnifice ſuſcepti deinde dimiſſi ſunt cũ literis, in quibus pacta conventa ſuper pace utrimq; ſervanda continebantur. Erat autem in illis ſcriptum, ut Nicephorus poſthac orientis; Carolus autem occidentis Imperator eſſet & nominaretur, utque alter alterum, ut amicum coleret. Item ut Caroli ditio Neapoli & Siponto urbibus clauderetur: ulteriora Grecis in Italia cederent: utque Veneti ab utriuſque Imperio Liberi ſuam rempublicam obtinerent. Agebat illo tempore conventum Saxonum Halæ ad fluvium Salam Carolus, cum legatos Nicephori reciperet & miſſos faceret: & magno ſtudio in hoc erat, ut pacem perpetuã inter Saxones atque Francos componeret. Expertus jam antea erat in Widekindo & Albione, quid poſſet humanitas & animi moderatio: eaſdem virtutes etiam hic adhibendas cenſet; Imprimis igitur omnem nobilitatem ad ſe vocat, Chriſti religionem ipſis ſuo bono ſervandam ſuadet, cenſum omnẽ ac tributum gratioſe remittit, ſola decimarum præſtatione in Chriſti ſacerdotes onerat, Liberos omnes eſſe jubet, ſuiſque legibus*

*Saxones cũ Francis recõciliantur.*

*legibus vivere modo magiſtratibus à ſe datis & legatis ſuis quos miſſos vocabant, obſequantur. Nobilitas conditionem oblatam accipit & ab Imperatore tractatur ſplendide. Populus auctoritatem nobilitatis ſequitur & belli ſtudio depoſito fœdus perpetuum jurat, ut in poſterum Saxones Francorum ſocij atque fratres ſint & appellentur. Ita narrant Chonicū Quedelen Burgenſe & poeta anonimus in vita Caroli ab Renero Reinectio Helmæſtadij ann 1594. editus. Eodem tempore Carol⁹ imperator videtur etiam occultos illos inſtituiſſe Iudices, quibus poteſtatem dedit, ut quam primum pejeraſſe aliquem comperiſſent aut fidē frigiſſe aut aliquod aliud flagitjum commiſiſſe, mox illum ſupplicio afficerent, ubi primum comprehendi poſſet, nulla citatione prævia aut defenſione permiſſa. Elegit enim viros graves & recti amātes, quos plectere innocētes hud veriſimile fuit. Terruit ea res Weſtphalos ac demū in fide continuit cū ſæpe in nemorib⁹ & proceres & mediocres viri laqueo ſuſpenſi invenirentur, nulla accuſatione prius audita. Quærentibus tamen cauſam, conſtabat fregiſſe fidē, aut magnū aliquod ſcelus cōmiſiſſe qui necati reperiebātur. Iudiciū illud vocabatur Vemiū Itē Vemegeding & frey Gedingh, quia pro conſervatione Veme id eſt Flaminiæ erat inſtitutū, nec ab eo appellari poterat. Domū enī Flaminis ſive ej⁹ curiā vocabāt olim ut etiā hodie d'Veme. Qui ei præerāt Scabini appellabantur aut frey Schoffen, quorum ea erat præſumptio ut per totam Germaniam Iuris dictionem extenderent: ſecretos habebant ritus & arcana quædam quibus malefactores judicabant. Ea nondum quiſquam repertus eſt, qui vel precio vel metu revelaverit, Ipſorum quoq; Scabinorum magna pars erat occulta, qui per provincias diſcurrentes crimin oſos notabant, injudicio accuſabant probabantq;, ut eis mos erat. Damnati deſcribantur in Librum & minoribus Scabinis committebatur excutio. Reus ignarus ſuæ damnationis ubicumque fuerat repertus ſupplicio afficiebatur. Degeneravit poſtea hoc judicium cum & viles aliquæ perſonæ admitterentur & civilia*

Occulti Iudices ab Imperatore inſtituti.

N Inquisitio Politica

*negotia tractare auderent, quibus erat ſolum de criminalibus permiſſa poteſtas. Cui malo primo remedium adhibere conati fuere Sigiſmundus & Fredericus Maximilianuſq; Impper, ut in eorum reformationibus legimus. Quin & privilegia paſſim impetrari ſolebant à Cæſaribus, quibus contra judicum illorum uſurpationes ſe tutarentur homines. Sed tandem omnem medicinam ſuperante malo inveterato, penitus abolita cōciderunt patrum memoria, ut opinor: cum quidem eo uſq; præcipitantiæ & confuſionis devceniſſent, ut in proverbiū abſierit, illic tolli reos primum in furcam, deinde de illorum admiſſis aut innocentia inquiri ſolere, ut AEneas Sylvius & Marquardus Freherus alijq; ſunt auctores. Eodem ævo inſtitutum quoq; puto, ut panes ſimilaginei apud Veſtphalos decuſſatim formarentur utq; in fundo canthari potorij formaretur Chriſti crucifixi effigies, quo & comedētes & bibentes Chriſti memoriam perpetuo retinerent. Qui mos etiam hodie in Weſtphalia perdurat. Mortuus autem hoc anno eſt Hermocarus Vltrajectinæ ſedis Epiſcopus ſextus, die viceſima quinta Auguſti cum ſediſſet annos tredecim & in æde S. Salvatoris apud Vltrajectum ſepultus: Surrogatus ipſi eſt Rixfridus Epiſcopus ſeptimus doctrina & vitæ ſanctitate inſignis; qui ad S. Lutgerum Monaſterienſem epiſcopum ſcribens affirmat, ſibi ab Hermocaro prædeceſſore ſuo injunctum, quemadmadum & Hermocaro à Theodardo & Theodardo ab Alberico mandatum fuerat, ut S. Suytberti de tumulo elevationem & in divos relationem, apud ſummum pontificem Romanum procuraret & vitæ ejus à S. Marcellino conſcriptæ adſcriberet: quam quia nuper hoc eſt anno 803. ſecundo nonas Septembris eſſe factam intellexerit, orat ipſum S. Lutgerum, ut rem geſtam ſuo ſtilo velit exarare, eo modo, ne qua ex pietate conficta illi cōmiſceantur ſed omnia plane ex veritate ad poſteros tranſmittantur. Erat autem Rixfridus natione Friſius & jam olim cum S. Lutgero Vltrajecti converſatus. Facilè igitur à conterraneo & ſodali impetrat quod petebat Epiſcopùs, quem Fratrem ſuū vocat.*

*Hermocaro Epiſcopo ultrajectino mortuo ſuccedit Roxfridus Fricius Epiſcopus ſeptimus,*

*vocat. Sanctus igitur Lutgerus Epiſcopus monaſterienſis ad vitam S. Suitberti appendicem adjunxit: in qua ejus miracula & in divos relationem enarrat: ubi inter cætera capite undecimo ait, Leonem ejus nominis quartum Papam Romanum anno octingenteſimo tertio, cum magno comitatu Cardinalium Archiepiſcoporum Epiſcoporum & primatum Romanæ eccleſiæ ex Italia deſcendiſſe in Germaniem ad Carolum imperatorem & ad preces illius Aquiſgrani conſecraſſe phanum Mariæ virginis à Carolo recens conditum deinde & apud Tungros & Viſetum nec non & apud Coloniam Agrippinã ejuſdem pietatis multa exercuiſſe beneficia & tandem cum eodẽ ſuo comitatu & cũ ipſo Carolo Coloniâ veniſſe Werdã: pridie autem, quam eam intraret jejunaſſe incolas ex mandato Apoſtolico & ſequenti die ſecundo ſcilicet Nonas Septembris omnes oratione in conventus Eccleſia finitâ, audiviſſe miſſam eâque item peractâ, Hildebaldum Archiepiſcopum Colonienſem coram Papa & Imperatore cæteriſque eorum aſſeclis recitaſſe vitam S. Suitberti à S. Marcellino deſcriptam. Leonẽ deinde Papam ex conſenſu Cardinalium, aliorumque prælatorum ut vocant, S. Suidbertum Canonizando Sanctorum confeſſorum catalogo adſcripſiſſe: quo facto Convent⁹ campanam ad honorem dei & gloriam ipſius ſancti aliquot horas pulſatam, dum fratres per dulcia modulamina deo laudum gratias devotiſſime rependerent, cantantes humiliter hymum: Te deum Laudamus. Additur ſuper dũ reliquiæ ſive oſſa Sancti in præſentia Papæ atque Imperatoris per Archiepiſcopum Colonienſem chriſto tollerentur, maximam dulciſſimi odoris Fragrãtiam cælitus effuſam cujus ſuavitas omnium ora & corda aſtantiũ adeò reficerent, ut null⁹ ambigeret angelorũ ibidẽ adeſſe choros. Hinc ſtatutũ, ut dies ille Verdenſibus perpetuo & quotãnis ſacer eſſet atque celebris Collata dona magnifica à Papa Imperatore, aliiſque, qui aderãt pro potentia & viribus. Feretrũ reliquijs fabricatum et hæc quidem omnia ad laudẽ et gloriam domini noſtri IeſuChriſti, qui vivit & regãt, cum deo* S. Suitberti confeſſores ut vocant canonizatio.

*patre*

*patre in unitate ſpiritusſancti deus per infinita ſecula ſeculorū.*

Atq; hæc quidem S. Lutgerus ad hunc annum Octingenteſimum tertium refert eo Libello, quem diximus: alii Hiſtorici ſimpliciter narrant anno 804. Leonem Roma profectum in Germaniam, ut rumori de ſanguine Chriſti Mantuano ſatisfaceret; veniſſe ad Carolum Remos & natalem Domini cum eo celebraſſe Cariſiaci: reverſum deinde per Bojos in Italiam, acceptis ingentibus donis & comitibus Ravenniam uſque, qui deducerenit.

*Tranſalbiani Saxones cū Vimodianis Phriſijs transferuntur in Flandriam.*

Anno Octingenteſimo quarto, cū pacatis cæteris Trāſalbiani Saxones ſe adhuc commoverent, Carolus Imperator in illos exercitū ducit victoſq; qui Albis fluvii ripam colebant & qui in Wimodia habitabant una cum uxoribus & Liberis numero ad decem millia in varias diſpergit colonias pagoſque illorum obotritis, quorum auxilio vicerat, condonat. Maximam vero eorundem partem apud eam regionem, quæ nunc Flandria appellatur, deponit: quæ ea tempeſtate tota fere Menapiſicus dicebatur excepta ora littorali, quā Flandras nominabant id eſt æstuaria ad mare ſita. Poſtea verò ea terra inundationi obnoxia, pagus Flandrenſis: quæ verò alta & nemoroſa erat Menapiſcus audiebat à Menapiis qui antiquitus utraque Rheni ripa à Tenchteris & Vſipetibus pulſi ad fines ſe contulerunt Morinorum, ubi nunc eſt Flandria, quæ etiam Menapiſcum ſuo nomine jam comprehendit. Præerat autem illo tempore Flandris Harlebecæ Comes Lydericus Eſtoredi filius & Burchardi primi Comitis Harlebecani nepos. Is anno 792. die 16. Kal: Februarij à Carolo Magno Flandria donatus & prefectus Littoris Flandrici & Saltuarius ſiluæ Flandricæ, quæ pars eſt extrema ſyluæ arduennæ, eſt dictus perpetuus ac hereditarius: qui cum hoc anno Northalbingos in ſuam tutelam accepiſſet, nihil deinde prius habuit, quam ut ditionem ſuam à latrociniis purgaret, utque novos colonos

ſacrorum rudes in veræ religionis viam introduceret. Itaque & Harlebecæ & aliis locis lydericus templa tum cōdidit, in quibus, ut doceretur Euangelium ſtudioſe imperavit totamque rempublicam legibus & inſtitutis formavit: Contumaces ditione expulit, liberis eorum parvuilis retentis, quos pietate Chriſtiana imbui diligenter procuravit. Atque hæc quidem Comitatus Flandrici habentur initia: qui Caroli Magni ætate adhuc obſcurus, tractu temporis in eam crevit magnitudinē, ut inter primos nūc cenſeatur in hoc ordine.

*Comitatus Flandrici initia.*

Hac autem Saxonum in Flandriam, Brabantiam & viciniā tranſlatione bello illi internecino, quod inter Saxones & Francos triginta tres annos hactenus duraverat, finis demum eſt impoſitus. Inter eos autem qui tunc in Colonias fuere traducti, numerantur etiā à Francis ſcriptoribus Wimodiani: qui cum fuerint Friſij, dicendum eſt eos, in illa parte Belgicæ collocatos, quæ inter Schaldim & maris Britannici littora uſque in Oſtendam protenſa, à mediæ ætatis hiſtoricis Friſia nominatur, eoſdemq; Friſios una cum Saxonibus iſtis Tranſalbianis libertate exciſſe & Teſtamenti factionem amiſiſſe: quam utramque rē ipſis poſtea reſtituerit Rex & Imperator Ludovic⁹ cognomento Pius. Nam quod Ianus douſa Nordivici dominus ex Regmone & Sigeberto aſſerit, Friſiorum partem una cum Saxonibus anno ſeptingenteſimo octuageſimo quarto rebellaſſe, & ideo ſimul cum ipſis perdidiſſe libertatem, ideoque privilegium Friſiorum eſſe falſum, id temporis ratione plane convincitur eſſe ridiculum, cum ex hiſtoria, ſuperiori liquido conſtet Friſios atq; Saxones poſt annum 784. à Carolo Magno in gratiam receptos & ſuæ libertati reſtitutos, præter Nortalbingos & Wymodianos, qui hacten⁹ in armis perſtiterunt & ſua culpa ſervitutem attraxerunt, reliquis tām Friſijs, quam Saxonib⁹ in ſua libertate permanentibus.

*Belli Saxonici Finis.*

Saxones atq; adeo Frisii Wimodiani in Flandriam traducti unde Ostende urbs Frisica

J. Dousa notatus

*Hoc ſi vir ille nobiliſſimus pro ſua cruditione conſiderare voluiſſet, haud dubiè ſyncerius de Friſiorum Libertate indicaſſet nec ita proterve in eam fuiſſet invectus, ut calumniæ ſuſpicionem vix evadat.*

*Brunſuici excidium.*

Noſtrates in annalibus ſcriptum reliquerunt hoc eodē tempore Vandalos atq; Gothos multas in Germania exſcidiſſe civitates inter quas & antiquum oppidum Brunſuicum ſit deletum: ajunt hoc jacuiſſe in ruderibus uſq; in annum octingenteſimum ſexageſimum quintum: quo anno illud Bruno dux Saxoniæ Lutholphi filius primum inſtauraverit & non condiderit. Fit autem Brunſuici mentio etiam apud S. Marcellinum in vita S. Suitberti, qui diu ante Carolum Magnum vixit.

*Monſtrum in Phriſia natum.*

*Naſcitur eodem anno in Friſia apud Vutgongū oppidū quod autiquis Siatutanda nunc autem Berlicomū non incelebris vicus eſt & tum in extrema maris mediterranei ſine Burdonis ora erat ſitū Infans cum quatuor brachiis, duobus ventribus & duobus capitibus velut duo corpora per tergū conjuncta: vixit autem tres hebdomadas cum dimidia multis portentum admirantibus.*

*Conovella S. Frederici mater.*

Eodem etiam tempore vixit Conovella Adgilli ſecundi Friſiorum regis filia Radbodi ſoror apud vicum Sexbirum in caſtro ſuo Adelburgo nupta Adeli viro apud Friſios nobiliſſimo. Ea cum Chriſti cultrix eſſet aſſidua, filios ſuos Fredericum & Alphricum S. Rixfrido Epiſcopo ultrajectino in diſciplinam dedit & quidem inuito, ut ſcribitur, conjuge: qui armorū quam pacis erat ſtudioſior. Hi duo adoleſcentes in tantum ultrajecti profecerunt in doctrina & bonis moribus, ut mortuo illo ſuo Epiſcopo, alter alteri in Epiſcopi nunere ſucceſſerit ut poſtea audiemus.

*S. Vibo Epiſcopus Oſnabrugenſis primus natione Friſius.*

S. Vyho in aula dei Leoverdiæ in Friſia natus & apud Vltrajectinos in ſacris atq; bonis literis educatus eo eruditionis evaſerat, ut ipſum Carolus Magnus anno ſeptingenteſimo

gentefimo octuageſimo primum Oſnabrugenſis Eccleſiæ conſtitueret Epiſcopum. Is cum hactenus egregie ſuo mumere ibidem eſſet functus, hoc item anno ab eodem Carolo diploma accipit, quo ipſi quoddam nemus donatur & jubetur in ſua dioeceſi in perpetuũ utriuſq; linguæ tam Græcæ quam latinæ ſcolas exercerere, ut aliqui ſemper ex illis depromi poſſint obeundis legationibus idonei. Sed prȩſtat ipſum diploma adſcribere, quod ſic habet.

„ *In nomine Sanctæ & individuæ trinitatis: Carolus Imperator Auguſtus Romanum gubernans Imperium Dominus & Rex Francorum & Longobardorum nec non Dominator & Saxonũ: Notum ſit omnibus ſanctæ Eccleſiæ fidelibus noſtriſque præſentib⁹ ac futuris, quod ob noſtræ mercedis augmentum Wihoni Epiſcopo Oſnaburgenſi, ſuæ Eccleſiæ (quam nos primam in omni Saxonia in honorem S. Petri principis Apoſtolorum & SS. Martyrum Criſpini & Criſpiciani conſtruximus) quoddã nemus vel foreſtum intra hæc loca ſitum, Farnewinckel, Ruſtenſtein, Angara, Oſningſcnethe, Derſhovet, Egeſterfeldt innumera collaudatione illius regionis potentum cum omni integritate, in porcis ſilveſtribus, cervis, avibus & piſcibus omniq; venatione, quæ ſub banno uſuali ad foreſtũ deputatur ad ſimilitudinem foreſti noſtri Aquiſgrani pertinentis in ſilva Oſnigi in perpetuũ proprietatis Vſum donavimus. Ea videlicet ratione, quod ſi quiſquam hoc quidem nemus noſtro banno munitum, ſine prædictæ ſedis Epiſcopi licẽtia, ſtudio venandi vel ſilvam exterpandi vel aliud agendi umquam introjerit, ſciat ſe tam divinæ quam regiæ ultionis vindictam incurſurum, nec non pro delicto ſexaginta ſolidos noſtri ponderis (quos nobis pro banno violato deberi ſtatuimus) redditurum. In ſuper verò eidem Epiſcopo, ejuſq; ſucceſſoribus perpetuam concedimus libertatem & ab omni regali Imperio abſolutionem: niſi forte contingat, ut Imperator Romanorum & Rex Grecorum conjugalia fœdera inter filios eorum contrahere diſponant. Tunc Eccleſiæ illius Epiſcopus*

Epiſcopus Oſnaburgẽſis perpetuus Imperatoris Legatus ad Græcos.

*cum ſumptu à rege vel Imperatore adhibito laborem ſimul & honorem illius legationi aſſumet. Et ea de cauſa ſtatuimus, quod in eodem loco Grecas & Latinas ſcholas in prerpetuum manere ordinavimus nec unquā clericos utriuſque linguæ gnaros deeſſe confidimus. Et ut hæc auctoritas firmior habeatur diuturnis temporibus melius conſervetur manu propria ſubter ea roborare decrevimus & amnulo noſtro ſigillari juſsimus. Datum 13. Kal. Ianúa. anno 1111. (Chriſto propitio) Imperij noſtri 37. regni noſtri in Francia atq; 31. in Italia. Actum Aquiſgrani in palatio in Dei nomine feliciter. Ex hoc diplomate & S. Wibonis erud itionem & avctoritatem perſpicimus & ipſius Imperatoris in promovendis bonis artibus laudabile ſtudium: quod utinam etam nunc iſti Oſnaburgenſes clerici obſervarent: minus aleæ & ventri condonarent. Tanti autem apud Leovardiam fuit S. Vibo. ſine Vito vel vitus, ut etiam hodie multi cives eo nomine appellentur & ſūmum templum ibidem ipſi ſit conſecratum: quod tamen nunc inter rudera caput non habet.*

*Albinus Flaccus Alcuinus.* *Obijt hoc etiam anno Iohannes Albinus ab alijs Albinus Flacc⁹ Alcuinus nuncupatus abbas S. Martini & Caroli Magni in Philoſophia Præceptor: de quo etiā ſupra locuti ſumus. Regnabat eodem tempore ab anno 795. in Dania Gotricus ſive Godefridus Rex Liberalis ac potens. Is ex Othilda Radbodi primi Friſiorū regis Filia & Gormone Daniæ rege natus jam tum meditabatur in Friſiam expeditionem: habebat autem ſecum exercitum validum, quem in obotritos ducere cogitabat, qui in loca Saxonum recens ſucceſſerant, ſpirans minas in totam Germaniam. Carolus vero imperator re cognita cum copiis innumeris ipſi obviā ad Albim proficiſcitúr ibiq; ſubſiſtit: mittuntuntur utrimq; legati qui negotium conficiant. Enimvero Godefridus Carolum reveritus in finibus regni ſui apud Sleſuicū manet nec ad colloquium venit, ut promiſerat. Imperator Aquiſgranum revertitur,*

805. Anno octingenteſimo quinto Theodorus Hunnorum Cacanus

Cacanus, quia Chriſto nomen dederat, inter Sabariam & Carnuntum novas ſedes à Carolo impetrat. Zecho dux Bohemiæ qui Cacanum vexaverat, à Carolo Imperatoris filio trucidatur agriq́ue ejus longe lateq́ue devaſtantur. Cacanus ritu priſco regnare permittitur. Imperator in Theodonis villa cum Pipino & Ludovico filiis hibernat.

806.

*AEſtate ſequenti anno nimirum 806. Saraceni ex Aphrica & Hiſpania progreſſi inſulas & littora Italiæ latrociniјs infeſtant. Ea res Pipinum in Italiam revocat. qui adventu ſuo nec opinato Saracenos ita terret, ut Corſicam inſulam à ſe occupatam ſubito relinquant. Erat hoc ævo in Amelandia Friſiæ inſula templum foſtæ Idolo ſacrum in ſummo precio adeo ut tota inſula ab illo nomen aliquoties ſortiretur & foſtelandt audiret Repreſentabat autem idolum aut veterem Romanorum veſtam aut quod veriſimilius putatur Martem belli Deum, quem ideo Friſij foſtam appelabant, quod is omnia manu & pugno ageret, qui Friſiis een feſt ſive foſt dicitur. Verum de eo ſententiā proferrere nequeo decretoriā quandoquidem ejus habitus aut armatura in annalibus non deſcribitur. Narratur tantum illud idolum hoc anno 806. ab incolis Chriſtianis everſum & Benedictini ordinis monachis attributum retinuiſſe tamen foſte nomen, ut foſte Werd id eſt foſte Inſula nominaretur ex conſuetudine erroris priſtini.*

Hoc anno exaggeratus eſt Vimſomi in Friſia clivus adverſus oceani æſtum majorem, qui ante triennium cōponi erat coeptus.

*Eodem anno ex aula Caroli Imperatoris domum revertitur Vbbo Ludigmannus, lævo quidem bracio ex labore militari factus, imbecillior, ſed ab uxore & binis Liberis dives ac fortunatus: verum ejus cognatus Hauco fortemannus vir miræ fortitudinis vitam cum morte permutat.*

Eodem tempore multa incēdia clam ꝑ Friſiam paſſim à maleficis excitantur, quorum auctores inveniri non poterant: quamobrem etiam multi, quamvis innocentes ex ſuſpicionibus damnantur.

806 Inundad *Pridie D. Thomæ Apoſtoli Oceanus interdiu Friſiam invadit: quingenti homines aqua pereunt ſed pecorum infinitus mergitur numerus, dum unuſquiſq; ſui memor illa in ſtabulis negligit. Sementis hiberna ſuffocatur, aqua ante veris initium non defluente.*

Fanum Minnerſgay cum turre in Weſtrachia à fluctibus ſubrutum ſecundo Februarij die ſequentis anni corruit. Quin & domus Hermana in Sexbierum cum multis, qui eo confugerant, concidit & à mari occupatur.

*Eſonſtadii ad Lavicam oppidi vallum in Auſtrachia ab oceano devoratur magna ex parte.*

Sequitur ingens annonæ caritas & rerum pæne omniū inopia, quæ tamē ultra Iunium menſem non durat: multis exteris diverſas merces aliunde ſtatim importantibus: Vnde rerum converſio facta ſubito, precia earum præter expectationem cito imminuit.

*Eodem anno 106. Carolus Imperator in Theodonis villa cōventum agit francorum: In eo de pace inter liberos ſancienda cum proceribus deliberat & ex conſilio eorum teſtamentum condit quod ab illis Iurejurando confirmatur & ad Pontificem Leonem ad ſubſcribendum tranſmittitur. Carolus autem illo Teſtamento Imperium totum haud aliter, quam ſuum patrimoniū, in tres partes pro numero filiorū ita dividit ut alter alteri ex ſua parte ſubſidio eſſe facile poſſit ſi neceſſitas exigat ut ex eodem Teſtamento quod apud P. Pithæum extat eſt videre. In eo Friſia Carolo majori natu filio ab Imperatore attribuitur una cum Francia, Burgundia, Auſtria, Nenſtria Turinga & Saxonia. Conventu finito Imperator Moſella Rhenum ingreſſus, Neomagum deſcendit ubi quadrageſimam & paſca exigit: Inde Aquiſgranum redit. Carolum filium in Sorabos mittit, qui cæſo ipſorum duce vincit. Caſtella duo excitat: unum in ripa Albis: alterum ad Salam fluvium, ut Slavos comprimat: quibus compreſſis Bohemos invadit atque vaſtati Legati Imperatoris ante quadriēnium miſſi in Perſidem*

Carolus Imperatar Friſiam transfert in Carolam filium.

Græcos

*Græcos fallunt & per eorū ſtationes Tarviſum revertuntur incolumes. Imperator Aquiſgrani Natalem Domini celebrat.*

Ejus anni menſe Iunio intellexerant Friſij Gotricum regem Daniæ in armis eſſe & in Friſiam cogitare, igitur & ipſi claſſem inſtruunt, ut ipſi occurrant. Verum audito ipſum in orientem ducere, naves ſuas rurſus ſubducunt.

*Quarta autem Iulij die Medenblicum Weſtfriſiæ oppidū duobus in locis de celo tactum quadraginta domos incendio amittit. Stavoræ quoque multa & ingens grando cadit quæ cum ſingula inſtar ovi gallinacei eſſet multum illic & circa rubrum clivum calamitatis attulit. In Septembri Rex Daniæ quinq; naves armatas in Friſiam mittit, ut incolis ejus pro viribus incommodent: Quæ ſecundo vento Amaſum ingreſſæ ibi confeſtim tres Eſonſtadienſium naves frumento onuſtas capiunt: depredāturq; deinde paſſim finitimos adeo crudeliter ut ſtatim per totam Friſiā rumor percrebeſcat, Danos tam validos ad veniſſeut omnem regionē pervaſuri ſint. Quamobrem Stavorani & Eſonſtadienſes viciſſim naves ſuas armant, ut iſtos prædones exturbent, qui de de eo certiores facti vela vertunt & in Daniam cum ingenti præda redeunt. Quo viſo Friſii item naves ſuas in navalia reducunt. Dani porro intra tres Hebdomadas in Friſiam per flevum reverſi Dixhornam & Sexbiromum vicos in Væſtrachia exurunt ac incēdio excitato diſcedunt, unde fanum cum duabus domibus ab igni in Sexbiromo conſervatur.*

Dani in Frisia.

Ejuſdem anni die ſexto Octobris Stavoræ diem ſuum obit præfectus Friſiæ primus à Carolo Magno tum rege Francorum conſtitutus cum provinciam hanc placide ac probe rexiſſet annos tringinta tres. Quæ res cum per Friſię proceres eſſet Imperatori indicata nec is eveſtigio ſucceſſorem mitteret, coepit ſtatim diſcordia in populo ſuboriri; quæ tamē prudentia procerum ſopita nihil moleſtię aut detrimenti attulit. Interea enim Imperator alterum præfectum dedit, quem ducem appellat Regino Abbas

Praef: Frisiae mortis Stavorae

Prumienſis,

Prumienſis, virum ſane probum quietis & ſalutis in populo amantem. Qui cum ſe Fortemannis & Ludigmannis ea ætate viris nobiliſſimis familiarem præſtaret non min⁹ feliciter quam primus Friſiæ gubernaculum tenuit. Quãobrem & Friſij ipſum amare atque colere haud aliter coeperunt, quam ſi ab ipſis electus & non ab Imperatore impoſitus fuiſſet.

*Anno 807. legato Aaronis Saracenorum Caliphæ, quem alij regem vocãt Perſarum, cum ingentibus donis ad Carolum Imperatorem ſecundo veniunt Aquiſgranum & ipſis feriis Paſcalibus ab ipſo benigne ſuſcipiuntur. Dona quæ adportabant erant tentoria atque pallia omnia ex byſſo atq; ſerico varij coloris: & candelabra grandia cum horologio ex aurichalio pro temporis illius ratione mirifico: erant & unguenta multiplicia & odoramenta diverſi generis. Legati convivio excepti & more germanico bene habiti. Dona eorũ gratis animis accepta, caballis æſturconibus mulis Hiſpanicis, Canibus Cermonicis, Paludamentis Friſiis albis atq; cæruleis ab Imperatore compenſata. Perſæ atq; Medi ubi ſtatũ, inſeſſum, Habitum ordinis eccleſiaſtici viderunt: ubi arma, victum atq; exercitia Germanorum conſpicati, ubi regem ipſum allocuti & liberaliter ab ipſo habiti, admiratione ſtupefacti, ſe terreos hactenus mortales vidiſſe affirmabant, nunc vero ſe videre homines aureos qui omnẽ de ſe famam dignitate ſuperent. Cum igitur in eum modũ Imperator & Calipha munificentia & Hoſpitalitate, inter ſe quaſi certarent, evenit ut ultro citroq; ex Germania in Perſidẽ & ex Perſide in Germaniam frequentes legati commearẽt et quidẽ ſecure & citra ullum, ut videtur, Periculum. Quamobrem equidem in hanc ſententiam pedibus vado, Iohannem Preſbiterum Gundoboldi Primi Friſiorum regis filium, ſi vera ſunt quæ de ipſo ſparguntur, hoc eodem tempore una cum Caliphæ legatos orientem acceſſiſſe ibique fundaſſe imperium illud ſuum, quod Abijſſinorum poſtea eſt dictum Scribit de illo Iohannes, de*

*Montebella*

*Montevilla famoſus ille peregrinator eques anglicus, ſibi cõpertum in* Nyſa Indiæ oppido reſidere Imperatorem, qui ſemper vocetur Presbiter Iohannes, cujus nominis cauſam audierit aliquando non veram, ſed in illis (inquit) partibus accepi rationem indubitatam, quam breviter enarrabo. Circa annum ab incarnatione Domini (ait) octingenteſimũ Dux Oggerus de Danemarchia cũ quindecim cognationis ſuæ baronibus & armatis viginti millibus tranſivit mare Græciæ & favente ſibi Deo ac etiam evidenter auxiliante conquiſivit Chriſtianitati per multa prælia pene omnes terras regiones & inſulas quas eſſe de Imperio Grant-Can prædixi nec non & omnes quæ ſunt de poteſtate hujus Imperatoris Indiæ: eratque inter barones unus nominatus Iohannes filius Gondoboriph regis Friſionum, qui Iohannes Deo devotus & dum licuit, limina eccleſiarum circumivit, unde & conbarones ei dabant, quaſi per jocum presbiter Iohannes vocabulum. Dum ergo Oggerus dux dictas regiones expugnatas divideret his quindecim ſuis cognatis & quemlibet eorum in loco ſuo conſtitueret regem quatenus Chriſtiana religio in illa orbis ſuperficie ſemper ſtabilis permaneret, tradidit presbytero Iohanni ſuperiorem Indiam cũ quater mille inſulis & regionib⁹ & ipſum prefecit Imperatorem ſuper reliquos cognatos, ut ei certa tributa impenderent & in omnibus obedirent. Atque extunc omnes ipſius ſucceſſores Imperatores Indiæ ſunt vocati Preſbyter Iohannes & uſque in hodiernum diem boni æmulatores religionis Chriſtianæ permanſerunt. Hactenus *Iohannes de Monte-villa quẽ vulgo Mandevilium appellamus: cujus ætate anno nempe 1350. poſteri Ioannis Preſbyteri adhuc in India regnabant: qui poſteri deinde ex Sinarũ regione pulſi ſunt primum à Cingo Tartarorum rege interfecto Vncamo magno ipſorũ rege: poſtea à Cincano filio Cingi & ej⁹ filio Botincano reliqui ex Moina & Sinarũ regno expulſi & in Afri-*

**Preſbyter Iohannes Friſius.**

Jan Mont de Vell

NB

*cam fugere coacti, ubi regnum Abiſsinorum condiderunt. Vocabantur enim illi populi, quorum Rex nominabatur Iohannes Presbiter, vulgo Abyſini, utebanturq́ Lingua, quæ proximè abeſt ab Chaldæa & Hebraica, quam ex Aſia in AEthiopiam ſecum tranſportarunt: ubi etiam nunc Abyſsinorum Rex Proſteghan appellatur, ut ex Hiſtoriis eſt notum. Atq́ hæc quidem eſt vetus de Preſbytero Iohanne narratio: cujus penes auctores ſit fides. Red ad Carolum revertamur. Imperator legatos Caliphæ per Italiam redire juſsit in patriam, additis etiam ſuis, qui Calipham ſuo nomine ſalutarent & dona afferrent: qui adeo fuere accepti, ut Calipha Imperatori viciſsim palæſtinam redderet, verum eo modo, ut ipſe eam pro prætore retineret ac adminiſtraret ſed imperatore quæſtorem mitteret, qui nomine ipſius omnes fructuss Paleſtinæ Heroſolymæq́ colligeret quod ita etiam eſſe factum Iohannes Aventinus in annalibus Bojorum eſt auctor.* Lib. 4.

Septembri autem præcedentis anni uſque ad diem 21. Auguſti hujus anni 807. quatuor Ecclipſes acciderunt, id quod diligēter annotatum in annalibus Francorum. Aaron Calipha Saracenorum expugnat Rhodū: Carolus Imperator miſſa claſſe in Sardiniam atq; Corſicam, Saracenos affligit atque vincit: Ludovicus & Pipinus filii Caroli, ille in Aquitania, hic in Italia res Eccleſiaſticas emendant & conſtituunt.

*Carolus Imperator Dreſdam Ad Albim contra Bohemos. Numburgum ad Salam contra Sorabos munit: Natalem domini atque paſcha Aquiſgrani celebrat.*

Hoc anno etiam Videkindus Vernechini filius Diederici nepos & Sighardi ducis Angriæ pronepos. Ob res pro Saxonibus contra Francos & Carolum Magnum præclare geſtas dictus Magnus, prudētia & Fortitudine nulli ſecundus, in gratiam à Carolo Magno receptus, & in ſua reſtitutus cum dux Angriæ eſſet Gerolpho Suavię duci ſuo nomine bellum intulit & ab eo in prælio eſt cæſus. Ca-

daner

daver ejus Angriæ ſepultum ſed poſtea tranſlatum Paderbornam. Succeſſit ei in ditionibus Weſtphaliæ & Saxoniæ Vigbertus filius Sindacillæ Adgilli ejus nominis ſecundi Friſiorum Regis filiæ maritus, ex qua genuit Brunonem & Valbertum filios: de quibus poſtea.

*Anno 808. Gotricus ſive Godefredus Rex Daniæ, tametſi pacem cum Carolo Imperatore jam antea fecerat, nihilominus tamem in Obotritos Francorum ſocios ducit: caſtella aliquot illorum excindit & multam ab iis prædam capit: verum amiſſo fratris filio & fortiſſimis quibuſque ſui exercitus viris in regnum revertitur inglorius. Ne autem franci ipſum eô ſequantur ab orientali Oceano uſq; ad Occidentalem ſecundum Eidorum fluvium vallum ducit; qui inter ipſum atque Saxones ſive Francos Imperij Limes ſit. In eo vallo unicam dũtaxat portam facit, ita auguſtam, ut per eam ſolummodo carpentum duci aut eques emittit poſſit. Imperator re comperta filium ſuum Carolum contra ipſum ire jubet, ut Obotritos atque Saxones defendat: qui Albim ponte ſternit & exercitu traducto confeſtim Linones & Smeldingos, qui ad Danos defecerãt, deditione recipit: & rebus compoſitis ad patrẽ redit.* 808. Gotricus Rex daniæ fœdus cum Imperatore ictũ frãgit.

Eodem tempore Olaus Godefridi Daniæ regis (ut videtur) filius magnis inſtructus, copiis claſſe in Friſiam deſcendit: Friſioſque ita terret, ut etiam præfectus eorũ propemodum de provincia retinenda deſperaret: qui tamen à ſubditis animatus, quorum alacritatem atque promptitudinẽ videbat, una cum ipſis arma induit & ſe Olao fortiter opponit, pugnáque commiſſa multis utrimq; cadẽtibus, inferior Olao non fuit. Nam cum nox prælium diremiſſet & ad humandum mortuos induciȩ eſſent publicatæ, cadavera cæſorum inventa ſunt ſeptingenta quorũ trecenta & triginta erant Friſiorum. Inter eos ceciderãt ex nobilitate præcipui Taco Fortemannus, Ianco Ludigmannnus, Vincentius Hermana & Feyo Fortemannus Taconis Fortemãni Frater nothus & duo ex familia Har- Olaus danus in Friſiã irrumpit. Dane

demannica,quorũ nomina interierunt: quos omnes tunc Friſia valde luxit. Durantibus autem induciis Olaus duo à Friſiis petit: unum,ut Friſii ſuo exercitui tutum iter per regionem ſuam concedant: alterum, ut eidem exercitui dent commeatum & annonas: quæ ambo ſi exhibeant, promittebat ſe ipſis ultra damnum non daturum. Re inter Friſios ad deliberandũ propoſita cũ populus in diverſa traheretur, Tajo Fortimãnus dicere cæpit: Rem indignam peti & quæ, ſi concederetnr, perpetuam ignominiæ notam Friſiis eorumque poſteris eſſet inuſtura. Indignũ enim eſſe viros hactenus fortiſſimos tam modicæ militũ manui cedere,quæ brevi ſine duce et capite futura pænas ſuæ temeritatis ſine controverſia datura ſit. Iis verbis Friſij tum fuere ita confirmati ut omnes datis Iuramentis in perniciem & repulſam ducis Olai ſtatim arma reſumerent. Quod ubi Olaus reſciſcit, ipſe quoque ſe ſuumque exercitum inſtruit, & ad fortiter pugnandum adhortatur, ut Friſios bello præſtare cogat, quod latis conditionibus impetrare non poteſt. Itaque prælium magnis iterum animis utrinque initur, pugnatur acriter, multi ab utraque parte in acie cadunt, donec militibus defatigatis æquo marte incaſtra diſceditur. Olaus à pugna digreſſus, ſeptum Groninganæ civitatis, quod tum ex ligno conſtabat, incendio conſumit civeſq; ejus non modico detrimento afficit. Interea Stavorani,quum audiuiſſet,quantum moleſtiæ Friſijs exhiberet Olaus, bis mille quingentos milites ex ſuis in eventum belli collectos Friſijs ſubſidio mittunt quibus Gellium Hardemannum ducem præfecerant. Hoc ubi à Friſijs in caſtris auditum eos valde exhilerat ita ut inſtrumentis etiam muſicis multa ſuæ lætitiæ indicia faciant: quæ Olaus audiens ſuſpicabatur à Friſijs fingi,ut exercitum ejus conſternatione perturbent. Quamobrem & ipſe tertio deinde die copias ſuas iterum educit, pugnat primum ſtrenue, verum ubi

*Friſij cum danis æquo marte pugnant.*

milites

milites ejus animaduertunt Friſijs venire ſuppetias, animis cadunt nec hortatu Olai ducis ſui erigũtur ad conſtãtiam amplius ſed fuga celeri in caſtra ſe recipiunt non ſine magno ſuorum damno & interitu Friſijs eos à tergo perſequentibus. In caſtra ubi reditũ eſt, Friſij inter mortuos juvenerunt Tajonem Fortemannum Iodocum Ludigmannum, Iuvonem & Sitzonem Fratres Rodmannos viros nobiles & virtute præſtantes: Eorum mors tota Friſiorum caſtra in luctum coniecit acerbiſſimum. Interea dux Olaus perſpecta militum ſuorum conſternatione, ne tamen videatur deſperare, poſtridie totis caſtris ad arma conclamat, tympanis ac tubis claſſicum animoſe intonat & in campum ante caſtra deſcendit armatus: at dum Friſij contra armantur, in caſtra redit & quietem agit. Quocirca etiã Friſij ad ſuos redeunt. Tertio die iterum Olaus claſſicum cani jubet, multos per inſtrumenta bellica atq; machinas Ludos facit ac triumphat quaſi prælium initurus ſed intra ſtativa ſe atque ſuos continet. Dum Friſij iſta cernunt, ſuſpicantur Olao veniſſe ſubſidia & parare eruptionem ex improviſo: quamobrem & ipſi excubias diligenter agunt ne ab hoſte crudeli opprimantur. Enimvero Olaus ſequenti nocte vaſa clanculum colligit & abitum parat: Quod ubi Friſij intelligunt tanta eveſtigio celeritate fugientem ſubſequuntur ut ipſum in ripa Amiſis nacti totum ejus exercitum concidant ducemque vulnerent & una cum ipſo centum ſeptuaginta quatuor milites capiant, ante quam flumen poſſet trajicere Friſij captivos omnes capite multatos in Amaſun projiciunt ſolo Olao duce ob animi fortitudinem in vivis conſervato & in cuſtodiam miſſo ſi forte ex vulneribus poſſet revaleſcere. Gellius autem Hardemannus Staurienſium ductor multa quóque vulnera ab Olao in acie acceperat ſed non ſine talione, quandoqaidem paria Gellius fecerat in Olaũ Nemo tunc præter Gellium ex nobilitate detrimentum

*Olaus dux à Friſiis vincitur.*

cepit. Rebus hoc modo confectis Friſij cum gloria & gaudio ad ſuos reverſi ſunt. Qui habitabant in illo loco ubi prælium commiſſum fuit, affirmabant quinque dieb* ante pugnam cecidiſſe in herbas atque olera hortorum ſuorũ rorẽ ſanguinolentũ, quo maxime fuerant cõturbati; qui nunc eventu belli cognito ſummopere lætabantur.

Tempeſtas ingens.

*Eodem anno die octava Iulij magna in Friſia cooerta tempeſtas, quæ cum fulmine tanitru atq; grandine incumbens multa jumenta occidit, turrim ſpectabilem & valde enimentẽ ad fanum D. Nicolai, ubi quondam Stavo deaſter magnâ ceremoniâ cultus fuerat, Stavoræ exuſſit multumq; damni dedit reliquis duobus in eadem urbe templis. Medenblici quoq; viginti tres ædes igne conſumpſit lociſq; alijs quam plurimis detrimeutum intulit*

Iglo Tadema fodit puteum ad ſeptentrionem ſilvæ Creiliæ.

*Eodem anno ejusdem menſis Iulij Duodecima vir quidam nobilis Iglo Tadema numinatus in ſuo agro ad ſeptentrionem ſylvæ Creilliæ deprimebat puteum adeo profundum, ut aquam eveſtigio erupturam crederet. Sed cum preter opinionem puteus maneret ſiccus, mirabatur Iglo & identidem eundem adibat, ut videret num aliqua in ipſo aqua ſcaturiret. Quarto autem die ſubveſperam, cum rurſus Iglo puteum inſpectaret, viſus eſt ſibi audire vocem horrendam ſepius ingeminantẽ fugite hanc terram; fugite hanc terram. Qua voce ſtupe factus Iglo, reputabat ſecum tacitus, quid hoc rei eſſe poſſit & denuo puteum introſpiciens conſpicatur aquam in eus fundo emicantem. Iubet igitur filium ſuum per ſcalas, quæ adhuc ibi erant in puteum deſcendere & modicum aquæ putealis ad ſe afferre. Paret filius aqua allata guſtatur ab utroq;, ſapit illa ipſam ſalſuginem Eo facto, deaſtri (inquit Iglo) vaticinium de puteo ardente videtur fore verum: quandoquidem vereor ne tota hæc terra aliquando in ma re tranſeat· ſimulque filio narrat de horrendo illo carmine, quod ipſe audierat & rẽ ſilentio tegi mandat: puteum vero terra rurſus impleri & complanari jubet: Idem enim jam antea avo ſuo acciderat, ut*

pater

*pater ipſi narrare erat ſolitus. Interea tertia ab hinc hebdomade Iglo moritur & apud ſtavoranos ſepelitur Filius autem ejus Ioucko Tadema cum heres eſſet unicus & celebs ſuique juris, ſexto deinceps menſe à morte Iglonis patris ſui, totum ſuum illic patrimonium divendit, precioq́ apud amicum depoſito, peregre proficiſcitur: ſed paulo poſt domum reverſus aliud prædum comparat in regione Geſterana, quæ propter altitudinem ſoli diluvio aquarum minus eſſet obnoxia. Ea res inter alios valde diſplicebat Sibloni, Iouckonis agnato, qui ſemper bonorum illorum venditionem diſſuaſerat, quoniã in iis erat fundus familiæ Tademanæ, unde uterq́ oriundus. Cum igitur nulla neceſcitate cogente Ioucko ea vendidiſſe videretur, in familiæ totius contemptum atq́ dedecus, tantum inter hos agnatos exitatum eſt diſcidum Ioucone ſemper cælãte conſilium ſuum, ut armis aliquoties inter ſe concurrent. Interea Ioucko Tadema Ianconis Rodmanni filiam ducit uxorem, & cum ea nuptias hilariter celebrat, excluſo Siblone agnato: venit nihilominus ad eas quoq́ Siblo cum aliquot ſui gregis nebulonibus ſed mutata veſte perſonatus & ad ſponſos admitti poſtulat. Convivæ eos conſpicati, putabant eſſe ludiones aut quoſdam è vicinia notos, qui animi cauſa ſe conformaſſent in larvas ad Iocos & exhilerationem nuptialẽ: Itaq́ nec graviatim eos admittunt. Verum qui ut amici venerant (proch Dolor) extemplo hoſtes evadunt. Siblo enim ac ſodales ejus ut erãt ingreſſi, confeſtim extractis cultris quos veſte texerant, ſponſos interimunt & exorto timultu ſimul decem viros & tres fœminas occidunt. Sed & ipſi perſonati omnes viciſſim cæduntur præter tres quos convivæ captos vinciunt. perſonis autem detractis inter captos Siblonem ſponſi cognatum agnoſcunt, qui cum ſe hujus ſceleris auctorem profiteretur, exclamat Ianco Rodmannus: O amici & propinqui ulciſcamur hoc facinus indignum quod in nos hic ſceleratus latro ex mero animi livore perpetravit, dent pænas non ſolum ipſe Siblo ſed & omnes qui ipſum ſanguine attingunt.*

*Ioncko eadema hæres Iglonis fundos ſuos vendit.*

*Ianconis Rodemanni filiam ducit uxorem.*

*Cædes à perſonatis in ſponſes perpetrata.*

Eo dicto

*Vindicatur enormiter.*

*Eo dicto connivæ incenſi ſine mora domum Siblonis vadunt, uxorem ejus cum ternis liberis quamvis inſontes, poſtibus alligant & immiſſo igne concremant. Hinc ipſum Siblonem aggrediuntur & in fruſta concidunt. Duoſq; eus agnatos una interficiunt. Ex quo omnis Tademana familia ſimul interijt nullis ex ea ſuperſtibus, qui eam deinceps propagarent. Sed & tota gens Rodmannica diverſis mortis generibus non ita multo poſt quoque conſumpta eſt deo vindictam ſibi & non homini competere minime diſſimulante. Quemadmodnm enim ſcelus quidem admiſſum erat enorme: ita ultio quoque nimis erat atrox, quæ in inſontes deſeviebat.*

Mondt *Balenæ duæ in Friſia capiuntur.*

Decimo quarto Iulij ejuſdem anni duæ grandes Balanæ Eſonſtadium, ad ſinum lavicanum Friſiæ, appellunt & ab aquis deſtitutæ, cum ſe mutuo perſequerentur, in ſicco hærent: earum altera pedes triginta octo. Altera viginti novem explebat. Die autem 17. Iulij domum revertitur Vibo Hardemannus, qui totos tredecim annos aut circiter ſtudiorum cauſa extra Friſiam erat peregrinatus. Is in Italia literis operā dederat annis ſex vixeratq; Venetiis anno uno, ubi interea cum aliquot Anglis familiaritatem contraxerat & una cum illis in Angliam profectus erat. Illic ſereniſſimo Regi Egberto commendatus ſuâ eruditione ac virtute tantum valuit, ut ſex annis cum rege verſatus, ab eo multis afficeretur muneribus ac in patriam remitteretur incolumis: linguæ Latinæ, Italicæ Anglicæ & Germanicæ peritiſſimus & Friſicæ Linguæ non oblitus.

*Richoldi regis palatum deflagrat.*

Hoc eodem menſe eximium illud apud Friſios palatium quod Richoldus Rex Friſiorū primus anno Chriſti 419. conſtruxerat & majorum ſuorum à prima gentis origine depictis Imaginibus exornaverat, inopinato incendio deflagravit & in cineres eſt redactum auctore incerto.

*Viceſima Iulij Normanni ſinū Lavicanum ingreſſi ex improviſo Eſonſtadum oppidum ab excubijs negliectum occupāt depredantur, & incendunt multiſque onuſti ſpolijs ſtatim abeunt.*

*eunt. Finitimi poſt eorum diſceſſum extemplo adſunt, ut incendium reſtinguant ſed ignis adeo prævalet, ut ſolum viginti quatuor domus ab eo conſerventur, quæ imbricibus tectæ erant. Cives tamen eodem anno cœperunt ædificare & domos ſuas denuô inſtaurare vicinis ipſos adjuvantibus & pecuniam prolixe conferentibus. Sed & ipſum oppidũ tunc aliud nomen accipit quod blattæ atque tineæ devoraſſe perhibentur.*

*Eſonſtadium â Normãnus capitur.*

instaurat, at aliud non accepit

Hoc ingenti detrimento inſtincti Stavorani, qui tunc in Friſia erant opulentiſſimi, magnopere hortati ſunt Friſios, ut cladem hanc in Danos, Iutas ſive Normannos ſevere ulciſciſerentur quam primum, ne illi populi diuturnitate temporis in Friſios invaleſcerent. Enimvero Friſii vix tãdem perſuaſi in id conſentiunt, ut communi patriæ nomine, Stavorani, Bolſwardienſes & Doccumani homines maritimi claſſem militarem in Normannos parent atque inſtruant data fide ſe dimidium expenſarum toleraturos. Hoc decreto Stavorani muniti, quatuordecim continuo naves educunt, quarum ſex in Daniam ſive Iuthiam mittunt quæ ibi omnia rapinis atq; incẽdiis evaſtant: ſed à Danis tandem in Friſiam repelluntur: Ex octo reliquis navib⁹ quaternæ in diverſas Norvegiæ partes abeunt, ubi quamvis plebs egena, multos tamen vicos, domos atque caſas ferro ac flamma ſubvertunt, prẹſertim eas quæ in littore & ad portus ſitæ mare ſpectabant. Iis ſe poſtea & reliquæ ſex conjungunt. Cum autem hæc claſſis in Norvegia omnia corrupiſſet & Friſiam conaretur repetere, ad flevi oſtium à circio coorta tempeſtas eſt, quæ quatuor ex ea naves vado illiſit & fregit: reliquæ verò decem, cum venti modicum poſuiſſent, Stavoram reverſæ ſunt incolumes.

*Stavorani Bolſwardien. & Documani ſe contra Normannos inſtruunt.*

*Hæc autem Friſiorum expeditio, Normannos ſive Danos viciſſim concitavit ut in Friſios ſimilia auderent. Itaque cum Normanni viciſſim fines Friſiorum claſſe invaderent eoſdémque rapinis atque flammis vaſtarent, cœpere ſtatim Fri-*

M

*ſii in Stavoranos jurgari qui harum calamitatum auctores eſſent & inſuper ſumptus in eas factos exigerent. Stavorani eâ re auditâ parum læti, ut Friſios pacent, de præda ex Danis atque Normannis capta magnam pecuniæ vim in Friſios conferunt & eoſdem ab ulteriori promiſſione de ferendis in claſſem expenſis abſolvunt, ſtatuuntq; inpoſterum ſuo periculo & ſumptu militiam perſequi.*

*Stavorani ſuo ſumptu contra Normannos prœliantur.*

Itaque deinceps decem illæ Stavorenſium naves ex tempeſtate ſuperſtites iterum flevo exeunt. Earum ſex ſinum Lavicanum ingreſſæ confeſtim quatuor naves Normannorum præda onuſtas capiunt: reliquæ Amaſum petunt & duas ibidē naves expugnant: quas omnes ſimul Doccomum deportant.

*Ibi vocatis omnibus vicinis qui damnum à Normannis ſenſerant, prædam Stavorenſes partuntur ac diſtribuunt, ut omnem de ſe conquerendi materiam Friſiis præcidant: naves verò captas ſibi retinent & ſecum abducunt.*

Hoc eodem tempore mortuus eſt gubernator Friſiæ ſecundus, quem Imperator Carolus ei præfecerat. Mortem ejus Friſii ſilentio dicuntur texiſſe, perhibētes ipſum peregre profectum, ſubſtituiſſe Magnum Fortemannum, qui vices ejus regendo ſuppleret. Quamobrem etiam ejus miniſtros in cuſtodiam dediſſe, ne quis conſilium ipſorum detegeret. Hic autem Magnus Fortemannus diu fuerat Imperatoris militiā ſecutus & in ea probe exercitatus. Iucundus erat omnibus Friſiæ ordinibus ob prudentiam atque fortitudinem: quare & ipſum eo honore dignum exiſtimabāt. Equidem puto ab ipſo Carolo Fortemannum fuiſſe ſuffectum: qui enim Imperatorem fallere Friſij potuerint non video.

*Summus in Phriſia Magiſtratus, poteſtas appellatur.*

Ab hoc item tempore Friſij dicuntur nullum apud ſe alium ſummum magiſtratum fuiſſe paſſi niſi eum, quem poteſtatē Friſiæ appellabant: Quē nec regē, nec ducē nec Comitē eſſe oportebat, ſed ex ſuo corpore creatū equitis

ſeu nobilis

ſeu nobilis viri titulo contentum. Neque alios vel grãdiores titulorum gradus admittebant expulſuri haud dubie eum, qui ulteriores appeteret: verum & hoc ad aliud tempus referendum. Engelrannus Comes Harlebecanus defuncto patre Lyderico fit præfectus & Saltuarius Flandriæ hoc item anno ſecundus.

*Hoc tempore quidam nobilis & animoſus Friſius patria profugus venit ad ducem Brunſuicenſem ut ſe ipſius miniſterio manciparet. Eum dux animadverſa corporis ſtatura atq; robore conſtituit ſui nemoris ſaltuarium. Quodam die cum officij cauſa in ſilva ſaltuarius iſte oberraret invenit ibi Leænã quã ille quidẽ ſtatim occidit, pullos verò Duci attulit, Domine (inquiens) adporto tibi Lupæ catulos quorum matrem neci dedi, exiſtimans eos eſſe revera Lupos, quandoquidem leonem nunquam viderat. Dux Brunſuicenſis admiratione fortitudinis commotus ſaltuarium ſuum creat equitem & circa Albim multa terra donat, in qua arcem ille poſtea condidit, quem ex ſuo nomine Hiddẽſacker appellavit. Ipſi enim nomẽ erat Hiddo. Nomen loci quidem extat etiam hodie, ſed tempus non congruit. Duces enim Brunſuicenſes hoc ævo adhuc non erant: eſt igitur in hac narratione error in tempore & nõ in re quem emendare adhuc nequeo: puto autem hiſtoriam pertinere ad tempora Henrici Leonis: qui ex Anglia Leones Brunſuicum attulit.*

*Heddo Friſius Læonem occidit.*

Anno octingenteſimo nono Godefridus Rex Daniæ qui & Gotricus apud præfectum Friſiæ (quem ducem appellat Regino Abbas Prumienſis) per mercatores quoſdam conqueritur ſe temere ab Imperatore accuſari velut fædifragum, quod ducto exercitu in obotritos, veteres injurias iviſſet ultum, placere ſibi ut legati ultra Albim veniant, qui re cognita controverſiam tollant atque ſopiant. Cum idem Imperatori relatum placuiſſet, miſſi ſunt quidam ab eo, qui rem componerent ſed à Dano fruſtrati re infecta reverſi ſunt. Traſico autem dux Obotritorum, cum *809.*

*Godefridus qui & Gotricus Rex daniæ.*

Vilſos ac Smeldingos Slavos in poteſtatem redegiſſet, à Godefridi hominibus nihil hoſtile metuens, ex inſidiis eſt cæſus. Imperator Carolus audita Godefridi jactantia ultra Albim in ripa Sturiæ amnis contra Vilſos ac Danos civitatem Eſelsfelt nomine conſtruit, quam præſidio Frãcorum munit atque firmat. Eô milites, operæ atque fabri per Friſiam ducti.

*S. Lutgerus moritur.* *Hoc eodem anno die viceſima ſexta Martij feria ſecunda objit Friſiæ decus S. Lutgerus in villa Veſtfaliæ Billerberæka cum, licet ægrotus pridie ejus diei in duobus locis eſſet concionatus: mane quidem in Coesfeldia & à meridie in dicta Billerbeca. Tanta enim erat in ipſo ſedulitas, ut ne in mortis quidẽ articulo officij partem aliquam deſerere vellet. Erat autem nobilibus in Friſia ortus parentibus: à S. Gregorio Epiſcopo tertio Trajecti educatus, ab Alcuino porro in Britannia doct⁹. In Tranſiſulania S. Lebuino templum condiderat: Doccomi in Friſia idola confregerat, trans Lavicam populos quinque ſuis concionibus rexerat & ad Chriſtum perduxerat: Inde Monaſterij in Veſtphalia factus epiſcopus, Helmeſtadium oppidum, à Carolo Imperatore acceptum cænobio ſuo, quod in ſaltu ad Ruram amnem ipſe conſtruxerat, ſubjecerat. In eo deinde cænobio, quod Vertina dicitur & adhuc hodie extat, trigeſimo demum poſt mortem die corpus ejus eſt humo conditum extra templum in cæmitereo ut vivens juſſerat: idq́, mandato Caroli imperatoris: quod impetrare Hildegrimum epiſcopum Halberſtadienſem fratrem ejus oportuit, ut à monaſterienſibus, quo perlatum erat, dimitteretur. De eo in ſuperioribus jam antea ſæpius locuti ſumus quo lectorem remittimus.*

*Cænobilium Vertbina ad Ruram orientalem.*

*810. Godefridi expeditio in Friſiam.* Anno 810. Godefridus Rex Daniæ cum Carolũ Imperatorem ſuperioribus annis in obotritis atque Saxonibus vexaſſet &, adhuc videretur in eoſdem populos amplius ducturus, converſo conſilio, magnum exercitum cum claſſe ducentarũ navium in Friſiam repente immittit: ipſe domi manet & regnum ſedulo cuſtodit ſuum.

Claſſis

Claſſis appulſa primo ingreſſu inſulas Friſiæ vicinas in poteſtatem redigit atque vaſtat: deinde Danos in continentem exponit, qui ſtatim obvios ſibi Friſios habent tãto impetu in aciem eorum inicumbentes ut multis ſuorum interfectis, retrocedere cogantur. Verum cum hac clade magis repulſi, quam victi eſſent, Dani ſecundo contra Friſios in aciem deſcendunt & prælio vincunt: Enimvero Friſij tametſi magnum ex eo detrimentum paſſi erant, nihilominus tamen tertiam pugnæ aleam ſubire nõ extimeſcunt. Quamobrem multitudine hoſtum irruẽtium victi, cum ſtrenue diu pugnaſſent, ad extremũ Danis victoriam concedunt atque manus dant. Friſij victi in ſervitutem rediguntur: tributum ſolvere juſſi ducentas argenti pondo Libras victoribus pendunt. Dani conſtituto procuratore, qui Friſios regat & tributa exigat claſſem in patriam reducunt, regique ſuo victoriam Læti ac triumphantes annuntiant. Interea Carolus Imperator Aquiſgrani reſidebat. Is, ubi audit à Danis quid in Friſia ſit actum, confeſtim ex omnibus ſuis ditionibus ingentem colligit exercitum quem Godefrido opponat & primo, quidem militem qui claſſi Danicæ occurrat, in Friſiã dirigit: ipſe ad Lippenhemũ Cliviæ emporium tranſmiſſo rheno, copias, quæ nondum convenerant, operitur cõgregatiſque tandem omnibus, quanta poteſt celeritate ad Alarum fluvium contendit caſtriſque ad ejus cum Viſurgi confluentem poſitis, minarum Godefridi regis præſtolatur eventum, qui vaniſſima ſpe victoriæ inflatus acie ſe cum Imperatore velle congredi jactabat. Dum verò illic Imperator ſtativa habet diverſi nuntii ad ipſum perferuntur à quibus & claſſem, quæ Friſiam vaſtaſſet, domũ regreſſam & Godefridum regem à quodam ſuo ſatellite domi interfectum & Pipinum Filium octavo Idus Iulij è vita migraſſe & legatos Conſtantinopoli atque Corſica veniſſe audiebat. Quæ res cum ejus animum valde tur-

*Friſii primo victore- ſerundo & tertio prelìis victi i tributo ſubjiciuntur.*

*Nulla Calamitas ſola.*

barent ac diſtraherent, diſpoſitâ pro tempore Saxoniâ Aquiſgranum revertitur. Perhibent in hac expeditione tātam fuiſſe boum peſtilentiam, ut nullus pene tanto exercitui fuerit ſuperſtes. Fuit hic annus Imperatori Luctuoſus & propemodum fatalis: Nam & Rotrudem filiam natu majorem octavo Id: Iunij fato amiſit & Elephas à Calipha dono miſſus interiit & Pipinus filius Rex Italiæ eſt mortuus uti diximus. Vicerat autem Pipinus paulo ante mortem ſuam Venetos & ad obedientiam reduxerat navali prælio. Sed & Sol atque Luna bis hoc anno deficere ſunt viſi, ut annales referunt. Caſtrum deinde Hochburch, quod nunc Hamburgum eſt à vilſis captum & deſtructum fuit: præter ſtragem Friſiorum, quæ fuit valde miſerabilis. Ante deceſſum è Friſia ſuum, conſtruxerant Dani quęſtorum centum quadraginta pedes longū, duodecim æqualibus diſtinctum intervallis: in cujus capite ſedens quæſtor, qui tributô erat præpoſitas, numum vectigalem nullum recipiebat in ſolutum, niſi cujus ex clypeo æreo ad calcem queſtorii poſito tinnit⁹ ad aures ejus perveniret, etiamſi complures injicerētur: quos tamen remanere oportebat ſi cadentes auditum fugerent quæſtoris.

Quæſtoriū à Danis in Friſia extructum.

811. *Sequenti anno undecimo poſt octingenteſimum Imperator Aquiſgrani Legatos Nicephori Conſtantinopolitani Cæſaris abſolvit & viciſſim ſuos firmandæ paci ad ipſum mittit. Succeſſerat ſuperiore anno in regno Daniæ Hemmingus, Godefridi regis occiſi ex fratre Sigefrido nepos, cum eo pacē fecerat Imperator; quæ cum juramentis propter hiemis aſperitatem firmari non potuiſſet, primo vere miſſi ſunt utrimque ex primoribus legati duodecim, qui pro more ſuæ cujuſque gentis ſuper pace fideliter ſervanda jusjurandum darent. Habebat enim tum unaquæq; natio ſuam jurandi formulā, qua nō ſervata jusjurandum non erat ratum. Sic cum olim Vortimerus Vortigerni Britanniæ regis filius natu major patrem Saxones in auxilium ſuſcepiſſe intellexiſſet, rogavit eum an Friſii, qui eorum*

*erant*

*erant Capitanei, cum ſe illi militiæ ſacramento aſtringerent, crines habuiſſent in manibus? Vortigerno myſterium non intelligente & proinde filium ridente, quaſi ob rem abſurdam, reſpondens Filius: Ego, inquit, mi pater accepi vulgari dicterio Friſiis jam à multis ſæculis eſſe jactatum, quod his credendum non ſit niſi crines, habeant in manibus. Quod tamen non ita accipiendum eſt, quaſi nullis Friſiis ſit habenda fides, quibus crines in manu non creſcunt; quia id prorſus abſurdum ſit, cum & inter Friſios multi certe reperiantur fide digni & nulli homini natura in manu pilos ſeverit; ſed ad ritum concipiendi juramenti referendum eſt ſicut ipſi referũt. Nam cum ſumnum & inviolabile juramentum præſtant, ita ſe componunt, ut capillos utráque manu appræhendant ita, ut dextera ſiniſtræ ſuperior immineat, utraq; autem in pugnum contracta ſit & crines appræhenſi veluti cincinnus emineant. Hac igitur forma ſi jusjurãdum conceptum non fuerit, noli dubitare & tecũ & nobiſcum peſſime actum iri, cum ſe in prædam invitatos interpretaturi ſint. Singulis enim gentibus ritus peculiares ſunt, qui & ſi negligantur ab aliis, à ſuis tamen mordicus obſervantur. Sane hujus juramenti forma præſcribitur in Friſiorum legibus quæ lingua Friſica in 4. ſunt excuſæ haud ſcio ubi aut quando. Comes Buranus Maximilianus, is qui ſocer fuit Wilhelmi Principis Auriaci, cum eſſet Caroli quinti nomine toparcha Friſiæ, audiſſetq; Viglium Suichemum à Carolo quinto Bruxellis ſecreti conſilÿ præſidem eſſe conſtitutum & obvium Bruxellis forte haberet, Gratulor tibi inquit, Vigli hanc dignitatem novam precorq; ut reipublicæ bono ſit, ſimulq; manum ejus apprehendit quã & tenacius attraxit & ut Viglius aperiret inſtitit. Petenti cauſam Viglio reſpondit Comes, volo videre, inquit, an fidem principi tuo præſtiturus ſis: Nam vulgari proverbio fertur jam olim Friſiis non eſſe credendum, niſi crines habeant in manibus. Viglius faceto joco arridens Comitem ad librum ſupradictum de legibus Friſiorum remiſit. Eodem modo hoc tempore inter*

**Formula Iurisjurandi vetus apud Friſios uſitata.**

Crines in manibus

Carolum

*Carolum Imperatorem & Hemmingum Daniæ regem à duodecim proceribus utriuſq; gentis ad fluvium Eidoram datis viciſſim ſecundum ritum ac morem ſuum ſacramentis pax eſſe firmata dicitur. Fortaſſe non latuit Imperatorum hic Friſiorum ritus quem obſervari voluerit ab Hemmingo, quia is eſſet Radbodi ultimi Friſiorum regis ex filia nepos, qui avitũ Friſiorum regnum recuperare ſatagebat. Pace cum Hemmingo firmata Eidora Fluvius regni Daniei terminus ut antea conſtituitur & Friſia Carolo redditur, ut ratio pacis exigebat. Conciliodeinde procerum Aquiſgrani habito, Imperator exercitum ſuum in tres partes diviſum in tres quoq; Imperij partes dimittit quarum una Linones Slavos ultra Albim evaſtat & Caſtellum Hochburch inſtaurat: altera controverſias Hunnorum & Slavorum in Pannonia dirimit: tertia Britanorũ perfidiam caſtigat atq; punit: & omnes rebus feliciter geſtis revertuntur incolumes. Ipſe interea Imperator Bononiam Gallici littoris urbem accedit, ibiq; claſſem conſtructam inſpicit & pharum nocturnis ignibus ad commodum navigã-tum inſtaurat. Inde Gandam, quæ nunc Gandavum vulgo audit ad Schaldim proficiſcitur, reliquas naves explorat, quas omnes contra Danos ædificari juſſerat & circa medium Novẽbrem Aquiſgranum redit. Ibi iterum legatos Danici regis & ex Pannonia Slavorum atque Avarum expectantes invenit & à ſe dimittit. Ad extremum annus iſte luctu clauditur. Nam filius ejus Carolus qui major natu erat ſecundo Nonas Decemb. in Bajoaria è vita diſcedit.*

*Hamburgũ à Carolo inſtauratur.*

812. Anno 812. Hemmingus Rex Daniæ ſine Liberis diem ſuum obit extremum: Inde nova Bellorum ſeges oritur. Sigefridus Godefridi ex filia nepos & Annulo ſive Ringus Olai filius, dum de regno dividendo inter ſe convenire nequeant, in prælium deſcendunt & ambo cadunt, una cum nongẽtis quadraginta ſupra decem millia viris. Pars tamen Annulonis obtentâ victoriâ fratres ejus Heroldum & Regenfridum Reges creat: quibus pars altera neceſſitate

neceſſitate compulſa ſe ſubjicit. Reges vero conſtituti, ſtatum ab Imperatore per legatos miſſo Hemmingo fratre ſuo obſide, pacem petunt: quæ uſque in annum ſequentem ab Imperatore procraſtinatur. Interea triſtis rumor ab Italia Imperatoris animum alioqui domeſtico funere turbatum graviter percellit, de Sarracenis atque Mauris Aphrica Hiſpaniaque excitis & conſpiratis in Italiæ perniciem. Quamobrem Imperator conventu publico pro more Aquis celeriter peracto Bernardum ſuum ex Pipino filio nepotem, cum ingentibus copiis trans Alpes mittit addito ei ſocio Wallone patrui ſui filio. Comitatur eos & Friſiorum quædam cohors eximia duce magno Fortemanno Friſio, qui poſtea in acie contra Sarracenos cęſus, fundis in latio reperitur mortuus & Romæ in crypta juxta Neronis palatium ſepelitur ut tabula marmorea ibi adhuc ſuperſtes indicat. Claſſis Saracenica Sardiniam invadens fortiter repulſa & pene tota deleta eſt: in Corſica vero multum damni incolis dedit. Grimaldus Beneventi dux ſibi à Barbaris metuens, bellum quod cum Pipino geſſerat deprecatus pacem ab Imperatore ſeptem aureorum ſolidorum millibus quotannis tributi nomine ſolvẽdis obtinet. In Græcia Nicephorus Imperator à Bulgaris cæditur: ſuccedit Michael Rangabes gener ejus: qui à populo Imperator declaratus legatos à Carolo ad ſocerum miſſos abſolvit eiſque ſuis addit qui fœdus inter eos initum jam antea renovent & confirment Carolus ab his Imperator ſive Baſileus græcè appellatus petitis libenter annuit, eoſque Coſtantipolum honeſte dimittit. Convenerat autẽ cum Irene Imperatrice primum, deinde cũ Nicephoro, ut occidentis Imperii ad mare ſuperum Sipontus, ad Inferum vero Neapolis eſſet terminus, cæteræ Imperio Orientis cederent: utque veneti inter utrumque Imperium liberi ſuis legibus viverent. Idem nunc ſancitũ & à Leone quarto pontifice Romano legatis ſcrip-

*Hemmingo Rege Daniæ ſcceſores ab Imperatore pacem petũt.*

*Expeditio Caroli contra Saracenos in Italia graſſantes.*

*Fines Oriẽtalis & Occidentalis imperij in Italia fœdere ſancti.*

to confirmatum ut Regino conteſtatur. Normmanni autem hoc anno claſſe novâ inſtructâ Hiberniam tentant: ſed ab incolis Scotis fortiſſime repelluntur. Imperator Aquiſgrani hiemat.

813. Anno autem octingenteſimo tertio atque decimo Imperator vere ineunte legatos ſuos pro pace confirmanda Cõſtantinopolim mittit. Menſe majo tribus horis pons apud Moguntiacum deflagrat, quem Imperator toto decennio conatus erat ex ligno fabricatum Rheno imponere perpetuum: Saxeũ facturus niſi mors præveniſſet; mox ab Arduennæ venatione reverſus Aquiſgranum pedum dolore ſuperato, ex quo decubuerat, conventum procerũ habet. Cum autem & animi angeretur ob filiorum obitus & ipſi⁹ ſenectus quotidie magis ingraveſceret, ad eum conventum Ludovicum filium ex Aquitania evocat eundem Imperatoria corona cinctum, ſibi parem & ſucceſſorem declarat, ne mortis ſuæ eventu aliqua rerum in imperio naſceretur perturbatio. Inde Bernardum ex Pipino filio nepotem ſuum abſentem Italiæ regẽ nominat, qui ſtrenue contra Saracenos ibi pugnat: Ludovicum in Aquitaniam remittit. Eodem tempore Imperator pro ſtatu Eccleſiaſtico quinq; concilia per Galliam Moguntiæ nimirũ Rhemis, Thuronis, Cabilloni atq; Arelati, celebrari jubet: quorum decreta omnia ad conventum relata ab ipſo lecta & confirmata tunc fuerunt, quæ hodieque adhuc apud Hiſtoricos legi poſſunt. Miſſi ſunt preterea ab hoc conventu Aquenſi aliquot Francorum atque Saxonum magnates qui Albim tranſgreſſi in confiniis Danorum atque Saxonum pacem cum novis Daniæ regibus faciant eamque juramentis ſedecim virorum utriuſque nationis pro ritu cujuſque confirment. Aberant autem tunc ipſi reges, ad populos, qui ad mare occiduum, quod Weſterſalt illis dicitur, habitant ſubigendos Sed iidem inde victores brevi domum reverſi pacem dicto modo cum

legatis

legatis Imperatoris faciunt & Fratrem ſuum Hemmingum ab ijſdem recipiunt incolumem. Interea Godofridi regis à ſuo ſatellite occiſi liberi, quique una cum eis hactenus apud Suecos exulaverant, comparata ſuorum ad juſti pene exercitus modum, inſigni manu, novos Daniæ reges ex improviſo aggrediuntur & non multo labore eoſdem regno exigunt. Atque hic quidem tum Daniæ erat ſtatus. In Italia Rex Bernardus ſua præſentia Mauros ita territat, ut ipſi Corſicam relinquant: qui ingenti prę-da onuſti dum fugiunt à præfecto inſularum Balearium apud Hiſpaniam intercipiuntur amiſſis octo navibus cum præda & captivis pluſquam quingentis. Mauri verò ſive Saraceni cladem ſuam ulciſci cupientes Centum-cellas Tuſciæ urbem & Niceam provunciæ Narbonenſis capiunt atque evaſtant. Tunc Romani quidam, qui Leonem quartum pontificem oderant Sarracenos ſive Mauros clanculum Centum-cellis accerſunt qui advenientes ædem vaticanam omni ornatu & theſauro ſpoliant, Romam urbem obſident ſed à ſcolis Longobardorum, Friſiorum, Saxonum atque Francorum depulſi ad claſſem redire coguntur. Ab abitu Saracenorum cõfeſtim cepit Leo quartus Papa periculo tam manifeſto edoctus edem vaticanam muro includere portiſque atque clauſtris fimare eamque munitionem tum appellare urbem Leoninam ut ex Anaſtaſio bibliothecario aliiſque ejus gregis ſcriptoribus pontificalibus liquet. Eodem tempore Sarraceni in Italia atque ejus littoribus multo plura deſignavere facinora, quàm à ſcriptoribus ejus ævi eſt relatum, qui ea ob invidiã omiſerunt ne eos populos, quos præ ſe ut Barbaros contemnebãt, laudarent, qui Saracenos repuliſſẽt. Teſtis eſt tabula marmorea quæ hodieque Romæ in fano Michaelis Archangeli cernitur atque hujus ævi quaſi breviarum continet: ubi legitur hoc modo:

*Novi reges Daniæ pulſi.*

*Sarraceni vaticanum ſpoliantis.*

*Tabula marmorea Romæ ſpectabilis.*

In q̃ Fresione Encomme

*In nomine Domini. Tempore Leonis IIII. Papæ, Impę-*

*rante Carolo magno Imperatore, eo tempore cum beati Petri Baſilica à Sarracenis capta fuerat, tunc deniq; pro totius mundi capite turbato, totus mundus turbatus, omnis Gallia cum rege Carolo ad tuendam illam venerunt, unde contra inimicos domini bella Domini decertando quidam mortui ſunt & in crypta juxta Neronis palatium ſepulti eodemq; tempore à Leone Papa & rege Carolo ad honorem Michaelis Archangeli ſuper illos facta eſt Eccleſia. His ita peractis Rex Apuliam abiit eamq; beato Petro & Romæ ſubjugavit. Per idem tempus exercitu Gallia revertente tres illorum milites de Friſia Ilderado de Groninga & Leomet de Stavora & Hiaro & Coldui ancilla Dei de Slinga. Hi beati Magni corpus in loco qui dicitur fundi invenerunt, quo invento in corũ provincia portare & condire decreverant. Sed divina gratia cooperante poſtquam ad Sutrinas partes ventum eſt amplius deferre non prævaluerunt, quia bis & ter territi & per ſomnium moniti Romam revertentes, ſanctum corpus ſecum tulerunt. Vnde factum eſt, quod illorum devotionis cauſa, partem brachij à ſe ſegregari ab illis permiſit, partes autẽ ceteræ in crypta præfata remanſerunt, ſuper quam ſicut dictum eſt, Eccleſia jam fuerat facta. Deinde omni anno ſimul beneficium optimum dari ibi decreverunt ſcilicet trecentas marcas argenti pro illorum & ubique requieſcentium redemptione & in perpetuum ſeu divites ſive pauperes in eadem ſupradicti Archangeli Baſilicæ & beati Magni Eccleſia juxta eam ab iiſdem conſtructa hoſpitalia, quando à ſuis partibus venirent agerent. Idcirco noſtrorum aliorúmque omnibus pateat, ſi ipſi vel quicumque hoc decretum rumpere tentaverit, ſciant ſe perpetuo damnatos & maledictos & prædicti pontificis anathematis vinculis in inferno niſi reſipuerint, cum diabolo colligatos, in hac autem vita miſeros, pauperes, & diſperſos & iterum de libro vitæ cœleſtis deletos & de regno Chriſti dejectos. Confirmatoribus, fautoribus hujus decreti è contra ſit benedictio Chriſti & fruantur utriuſque vitæ gaudijs: Amen. Hactenus Marmor Romanum.*

Hujus

Hujus inſcriptionis Romanę ſummam Vbbo Emmius amicus meus libro quarto decadis primæ rerum Friſicarũ ex Volaterrano recitat & magni facit: carpit tamen Volaterranum quod eam ad Caroli Calvi tempora, retulerit &pro Leone quarto tertium reponendum putat, omnino affirmans rem geſtam non alij quam Caroli Magni ævo adſcribendam. Anno autem tertio poſt milleſimum, ſexcenteſimum, cum adverſus ipſum Suffridi Petri Leovardienſis Apologiam edidiſſem & in ejus peroratione addidiſſem hujus inſcriptionis integrum Romæ Iudicialiter tranſumptum exemplum docuiſſemque nihil in ea mutandum eſſe quandoquidem ille pontifex Leo Caroli Magni æqualis revera Leo quartus eſſet & olim ſic appellaretur: cœpit homo cõſtans, cum videret meas ꝓbationes. De Leone IIII. convelli non poſſe, niſi cavillis eluderẽtur, caperata fronte primũ meam operam extenuare & tantùm non irridere: deinde in ipſum Marmor impudẽter ſe convertere, quaſi Illud nec reb⁹ geſtis Caroli Magni nec ſtilo ejus ętatis cõgrueret, non alio ſane fine, quàm ne mihi ejus editio honori eſſet. Nam & ſi character Marmoris ꝑ ratione latini ſermonis antiqui ſatis eſſe incommodus videri poſſet, quemadmodum ipſe cavillatur, res tamen ipſæ, quæ eo compræhenſæ ſunt, ab epocha ejus nõ ſunt alienę: & profectò tales ſunt ut prolatæ ſuam habeant & mereantur laudẽ, Certũ enim eſt Saracenos ſi non octingẽteſimo anno, ſaltẽ duodecimo poſt & ſequẽti ex Aphrica atq; Hiſpania ſolventes Centũ-cellas Hetrurię oppidũ evaſtaſſe & inde Romam, uti perhibent, evocatos ædi vaticanæ detraxiſſe ſpolia: Ideoque Carolum, Imperatorem valde turbatum conſcripſiſſe ingentum exercitum ex omni Francia ſive Gallia collectum & cum eo miſiſſe Bernardum Pipini filium nepotem ſuum Vallone Bernardi patrui ſui filio comitatũ ut in periculo tam manifeſto Italiæ ſuccurreret, creaſſeque eundem Bernardum

anno ſequenti Italię regem ad majorem ejus ſecuritatem ut ſupra ſcripſimus. Scimus autem omnes quicumq; in hiſtorijs verſamur, res ab aliquo exercitu aut ducibus ej⁹ egregiè geſtas, non tam ipſis perſonis,quæ eas geſſerunt, quàm illarum imperatoribus adſcribi ſolere, quorum auſpiciis atque auctoritate illæ ſunt geſtæ. Hoc ſi recte cõſideremus, de verbis hujus marmoreæ tabulæ, non eſt operæ precium ut ſimus ſolliciti, modo rem geſtã à Bernardo Rege Italiæ ad Caroli Magni auſpicia tunc imperantis referamus. Auctor eſt Martinus Polonus Epiſcopus Conſentinus in ſuo Chronico, tempore Gregorij quarti Pontificis Romani Centum-cellas à Sarracenis fuiſſe captas: Sarracenos à Romanis Babyloniâ evocatos per portum Centumcellenſem intraſſe Italiam obſediſſe Romam, eamque cepiſſe, Eccleſiam S. Petri ſpoliaſſe & equorum ex ea feciſſe ſtabulum: ſed errat in tempore planiſſime. Contrarium enim ſcribit Anaſtaſius Romanæ eccleſiæ bibliothecarius,qui harum narrationum ipſe fũdus eſt: Commemorat is Saracenos quidem tempore Gregorii quarti Italiæ imminuiſſe ſed affirmat illas ob Oſtiam urbem à Gregorio inſtauratam ab exſcenſione in terram fuiſſe deterritos. Fatetur Leonem quartum, qui alioqui ordine quintus eſt, auxilio Lotharii imperatoris inſtruxiſſe civitatem Leoninam, quam prædeceſſor ejus Leo tertius erga Eccleſiam S. Petri ædificare cæperat & cujus fundamenta multis in locis jecerat: dediſſe etiam operam ſingulari cura atque vigilantia *ne iterum Sarraceni in fines Romanos irrumperent & Eccleſiam D. Petri ſicut antea depredarentur.* Idem ſcribit de eodem Leone Platina,qui aperte conteſtatur ejus orationibus & pietate effectum, ut Sarraceni ab Ancona capta onuſti prædâ domum repetentes naufragio perirent & poſtea redeuntes ab Oſtia civitate depellerentur. De Centumcellis verò tunc interceptis nulla ibi mẽtio ſed & de iiſdem tempore Gregorij

*Tempore Leonis quarti Baſilica Vaticana à Saracenis ſpoliata.*

*Nota verba Anaſtaſij.*

Gregorij quarti ſpoliatis idem Platina valde dubitat. Si igitur civitas Leonina ſub Leone quarto quem vulgò tertium dicunt, eſt primum condi cœpta, idque adverſus Sarracenos, qui ædis vaticanæ opes diripuerant ex Centumcellis evocati: profectò verum eſt quod in hoc marmore adhuc hodieque ſculptũ Romæ extat Leone quarto pontifice & Carolo Magno Imperante ob caput mundi turbatum totum mundum ad arma provolaſſe, licet ipſe Carolus Imperator præſens non fuerit, cum ab eo miſſus exercitus ejus vices ſuppleverit. Adfuit enim tũc Italiæ Rex Bernardus, qui Imperatorem avum ſuum cum exercitu repræſentabat. Quod autem dictus meus amic⁹ valde porro urget Apulium & Calabriam ea ætate & poſtera uſque ad Ottonem Imperatorem ejus nominis primum in poteſtate Græcorum fuiſſe & propterea falſum putat, quod de Apulia invaſa in hoc marmore ſcribitur: in hoc manifeſte prodit turpem ſuam ignorantiam, qui neſciat Apuliam duplicem eſſe, Dauniam nempe atque Peucetiam: atque hanc quidem tum ad Imperium Conſtantinopolitanum pertinuiſſe; Illam verò Imperio occidentis adſcriptam, idque ex fædere, quod cum Irena Imperatrice factum primitus, poſtea à ſucceſſoribus eſt repetitum & confirmatum. Teſtis eſt ſæpe dictus Platina in Leone tertio, quem Marmor hoc quartum appellat: ubi verba ejus hæc ſunt: *Interea verò Conſtantinopolitana Imperatrix miſſis in Italiam legatis, cum Carolo pacem & fædus inijt, Imperiumq; his terminis diviſit, ut Irena ea Italiæ parte uteretur, quæ ad dexteram Neapoli incipiens, ad ſiniſtrã Siponto (quæ urbs nunc Manfredonia dicitur) infero ſuperoque mari clauditur unà cum Sicilia: Reliqua verò Italiæ pars Carolo ipſi ex fædere obtigit; ea tamen loca ſemper excipio quæ ditionis Eccleſiaſticæ habebantur.* Teſtis etiã eſt Paulus Æmilius, qui luculẽto ſtilo Francorum Regum hiſtorias cõſcripſit, in Carolo Magno, ubi fædus illud à Nice-

*Apulia duplex: Dauna & Peucetia.*

phoro

phoro Irenes ſucceſſore percuſſum his verbis aſſerit: *Nihilo ſecius Nicephorus novus Auguſtus in Franciam miſit de renovando fœdere: idq; in has conditiones actum, ut alter Orientis, alter Occidentis Auguſti Fratreſq; eſſent dicerenturque: ſimul hinc à Neapoli, illinc à Siponto quicquid ulterioris Italiæ in mare procurrit cum ſuis è regione inſulis à Græco, reliquum, à Franco Iura peteret.* Videmus hic inter utrumque Imperium lapides quaſi terminales ſtatui Sipontum atque Neapolim: & quæ citra eas urbes jacent Carolo Magno adjudicari: & qua Apulia Daunia cis Sipontum atque Aufidum fluvium eſt etiam illam ad jus Caroli pertinere. Hinc eſt quod auctor vitæ Caroli Magni, qui à P. Pithæo ſine nomine eſt editus, recte ſcribat atque ordine. *Itaque poſt Pipinum Pium regnavit dominus Carolus filius ejus, quem poſtea Romani elegerunt ſibi advocatū ſancti Petri contra reges Longobardorum: deinde ipſum dominum Carolum elegerunt ſibi in Patritium Romanorum: deinde elevaverunt in Imperatorem & Auguſtum: tenuitque Dominus Carolus, Deo Largiente, in poteſtate ſua omnem terram de monte Gargano uſque in Cordubam civitatem Hiſpaniæ.* Habebat autem tunc Apulia Daunia, quę nunc Apulia plana, ob camporum amplitudinem ab Italis appellatur, fines ſuos, ab Oriente Aufidū ubi & Apulia Peucetia deſinit, ab occidente Tiphernum amnes: à Septentrione mare Adriaticum, à Meridiæ montem Appenninū

*Siponta atque Neapolis Italiæ urbes quaſi terminales lapides utriuſque Imperij.*

*Siponti ſitus* In ea circa Gargani montis radices ſaxoſa in rupe Sipōtus erat ſita: quam nunc Manfredomam dici arbitratur Platina ſed falſo, ut videre eſt apud F. Leandrum Alberti in ejus deſcriptione. Tota autem Daunia illo ævo etiam Beneventi Imperio compræhendebatur. Sipontus autē florentiſſimum omnibus rebus oppidum fuit uſque ad Sarracenorum in Italiam adventum, qui totam Apuliam Imperio ſuo ſubactam tenuere, donec à Carolo Magno pellerentur. Excedentes autem Sarraceni urbem illam

dereptam

direptã oppidanis omnibus interfectis deſolarunt opeſq; ejus in Africam deportarunt, ut idem F. L. Alberti conteſtatur: qui etiam aperte Luceriam atque Thanum urbes in Daunia collocat: quas bello Beneventano cepit. Rex Pipinus Caroli Magni filius. Sed & Volaterranus affirmat Montem Garganum in Daunia à Sarracenis occupatum: Saracenos à Grimoaldo RegeLongobardorũ ſingulari in Chriſtianos beneficio expulſos & inde poſt annos centum iterum tenentes à CaroloMagno fugatos. Audimus ab his Hiſtoriarum auctoribus diſertè ſcribi à Carolo Magno Sarracenos Italia ejectos, Apuliam Dauniam ab eodem receptam & Imperatori occidentis ex fædere adſcriptam: audimus etiam, Leonem quartum, quẽ alij tertium nuncupant urbis Leoninæ circa vaticanam Baſilicam jeciſſe fundamenta idque adverſus Sarracenos tunc in Italia graſſantes; Quis igitur de veritate hujus inſcriptionis Romanæ dubitet aut controverſatur etiamſi phraſis ejus atque dictio ad argutum Ariſtarchi palatum minus faciat? Quaſi verò eo tempore, quo diverſæ nationes infuſæ orbi Romano Barbarem invexerunt ea fuerit apud clerum Romanum dicendi peritia, qualis nunc eſt apud illos, qui quotidie in ſcolis ad benedicendum ſe exercent. Carolus quidem non ſemper in Italia fuit, cum Sarraceni ab ea ſunt ejecti; ipſius tamen juſſu atque auſpiciis iidem ſunt expulſi. Sed & cum Saxonibus niſi bis ipſe depugnabat, nihilominus tamen & Saxones viciſſe dicitur & Sorabos & Hunnos & Bohæmos, quos nunquã niſi per copias per ſe adjit. Enimverò amicus noſter invidia aut malevolentia abreptus nodũ hic in ſcirpo quærit ſuoſque magis affectus, quam ſynceram rationem ſequi videtur qui dum circa quiſquilias occupatur honorẽ & amorem patriæ negligit redeat illi mens melior & à livore deterſa.

*Apulia Daunia Carolo Imp. ſubjecta.*

Fuerũt igitur Caroli Magni ætate in Italia Saraceni, te-

nuere etiam Apuliam, fuêre quaque ibidem Friſij ſub Pipino Rege primum, deinde ſub Bernardo ejus filio, idq́ue duce & ſignifero Magno Fortemanno Friſio: vicere iidẽ Saracenos Chriſti hoſtes, condita ſunt etiam eodem tempore templa & Xenedochia, eademq́ue vectigalibus inſtructa, ut illorum poſteri iſtic hoſpitari poſſent: extant enim hodieq́ue eadem ſed minore cum fructu, Romanorum avaritia omnia corrumpente: quemadmodum fatetur Raphael Volaterranus teſtis oculatus atque integer: *Friſij in Saxia apud Romanos hoſpitantur.* *qui addit poſtquam ſuperiora peſſum ivere, deinde ædificatum alterum S. Spiritus Xenodochium in Saxia ea de cauſa dictum quod Friſii Saxones in eam ſe partem reciperent.* Omnis difficultas ex Leonis quarti nomine oritur; cujus tempore geſta res erat: quem cùm, deleto tertio, tertium dixiſſent Pontificij, non invenerunt locum, cui rem geſtã accõmodarent. Hinc poſteà dixerunt Gregorium quartum fuiſſe quoque appellatum Leonem quartum, ne Hiſtoria nimium à ſua origine divelleretur, ſicut apud põtificales eſt videre; Lector nobis ignoſcat ſi verboſiores hoc loco fuerimus: nunc ad Carolum redeo. Michael Rangabes dum ſoceri ſui mortem in Bulgaros ulciſci conatur, infeliciter cũ eorũ Rege in Mœſia pugnat, provide domum reverſus pænitudine ductus monachi habitum induit. Succedit ipſi leo Bardanes Bardæ Patritij filius qui regem Bulgarẽ circa muros Bizantij ſuperbè obequitantem eruptione facta vulnerat & in Mæſiam redire compellit. Friſii hoc tempore ſub Carolo erant & habebant halcedonia ob pacem, quam Carolus cum Daniæ regibus iverat.

*814. Mors Caroli Magni.*

*Anno 814. Carolus Imperator interitu Liberorum, quos valde dilexerant, conturbatus ætate indies ingraveſcente cũ Aquiſgrani hiemaret in febrim ardentẽ incidit: quam dum media curare tentat, pleuritidem accerſit, quinto calendas februarij è vita migrat, hora diei tertia cùm vixiſſet annos ſeptuaginta duos: heros verè magnus ad Imperij Romani in occi-*

*dente*

dente reſtitutionē divinitus, ut videtur ordinatus tanta enim in illo viguit prudentia cū fælicitate cōjuncta, ut nō naturæ vi, ſed ſolius Dei benignitate ad regnandū conſtitutus fuiſſe meritò dici poſſit. Nam cùm nullum bellum nullamq; rem alicujus momenti temerè ſuſciperet: ſed omnia ex præhabito cum proceribus ſuis conſilio gereret, cumq; niſi Dei invocato auxilio nihil attentaret: conatus ejus prudentes ſecuta eſt meritò fœlicitas, quæ à Deo invocantibus ipſum tribui ſolet. Eo enim modo cùm Imperium Romanum jam inde à Valentiniani tertij ævo à Barbaris dilaceratum in pulvere & contemtu jaceret ſolus hic erexit; dum Italiam, Galliam & Germaniam longo tempore inter ſe diſtractas in unum corpus redigit & in monarchiam ſapienter compingit. Victis enim Longobardis & cum Græco Imperatore pace facta Italiam fæliciter pacavit. Galliâ Sarracenos expulit & ultra Iberum Hiſpaniæ amnem ſubmovit: In Germania Bojorum Regnum ſuſtulit; Saxones non tam bello vicit, quàm humanitate ad Chriſtianæ religionis frugem pellexit. Slavos repreſſit: Hunnos pœnè ad internecionem delevit: cùm Danis demum atq; Normannis pacis fœdera ſanxit: eaq; omnia non ſtudio gloriæ aut ambitione petentiæ, ſed ſolius Chriſti ſervatoris noſtri amore geſſit & executus eſt. Qui patriæ meæ ideo acceptus colendus & ſuſpiciendus vel maximè fuerit, quòd eam non ſolùm à ſervitute corporali, verum etiam ab idolorum & Satanæ cultu in libertatem ſpiritus aſſeruit & ſuis vivere legibus benignè permiſit: cujus propterea vitam latiùs hoc libro perſecutus ſum. non tantùm ut benefactori aliquam referrem gratiam, verùm etiam ut principes hujus ævi ex ea exemplum caperent pietatis erga Deum, humanitatis erga ſubditos, fortitudinis in rebelles & miſericordia erga infælices: quæ virtutes in illo, velut quidam piropi ſplendorem ſuum egregiè exerunt. Sepultus autem eſt Aquiſgrani enſe accinctus cum ſceptro & corona, Euangelium aureum tenens manibus, ſedens in ſede marmorea, quæ hodieq; Aquiſgrani oſtenditur, habitu planè imperatorio & cum

Eulogium ejus.

Sepultur Caroli.

*maximo univerſorum luctu in æde D. Virginis Mariæ, quam ipſe ædificaverat & magnificè dotaverat. Erat enim religionis cultu externo ſupra modum deditus pro more iſtius ſæculi. Tēpla ſane divis poſuit compluria. Condidit etiā palatia: unū Engelheimi ad Rhenum propè Moguntiacum: alterum Neomagi ad Wahalim, quòd tamen illo videtur antiquius: ut potius collapſum vetuſtate inſtauraverit. Natus erat, ut ait Aventinus, apud Vindelicos in arce Carlsberga ſuper lacum maximum Verrem nomine ſita: educatus Ingelheimi ubi poſt conſtruxit palatium, quod hodiéque adhuc viſitur: Litteris latius & Græcis imbutus à Paulo Piſano viro ejus ætatis doctiſſimo magnos in iis ꝓgreſſus fecit: patriæ linguæ etiam excultors diligens, ventis atq; menſibus nomina impoſuit Germanica uxores habuit quinque & concubinas octo ex quibus progenuit filios legittimos tres & filias quinque, illegittimos vero filios quatuor & filias tres. Qui omnes honeſte educati patrem ſemper habuerunt propitium & benignum. Verum unus eorum ipſi tantum ſucceſſit Ludovicus cognomēt pius; de quo ſequenti libro pertractabimus.*

*Hæc ſunt quæ de Carolo Magno & rebus Friſiorum ſub eo geſtis apud auctores melioris notæ reperire potui, quæ ideo conjunxi & ſecundum annos digeſſi quod ea disjuncta minus intelligerentur & in falſi ſuſpicionem poſſent incurere. Nam cum noſtratis in hunc uſque diem predicaverint ſuæ libertatis privilegium, quod à Carolo ſe accepiſſe perhibent multi autē id negant: ejus rei veritatem haud aliter melius indagare potui quàm ſi pedetentim per ſingulos annos procederem & quid in illis eſſet actum accurate conſiderarem. Iuveni quidem characteres in privilegio annotatos cum Caroli Magni ætate non congruere falſum tamen illud dicere non auſim quandoquidem plures fuere Caroli Imperatores, quorum alicui illud verè adſcribi poſſet. Vbbo Emmius Gretanus diploma illud Friſijs à Carolo Imperatore datum, quòd vulgo circumfertur, ab ineptis & rerum Imperitis hominibus conſarcina-*

tum

*tum putat riſumq́ legentibus præbere affirmat, contenta tamē non tantū approbat ſed et his majora adÿcit: eoq́ modo omnes majores ſuos, qui diploma illud hactenus laudaverunt aut ſtultos aut falſi ſuſpectos facit. Leges (ait) aut optima jura Friſiorum à Carolo Marcello cœpta primum, deinde à Danis abolita penitus à Carolo Magno demum inſtaurata & auctiora facta: de his confectas & ſignatas fuiſſe tabulas, quæ temporis & bellorum, quæ mox ſecuta ſunt injuria interierint. At quanto rectius illuſtriſſimus Comes Idſardus Comes Orientalis Friſiæ recordationis in ſuis conſtitutionibus hac de re judicat, qui privilegium illud rectum atque hoc Friſiis illo conceſſum putat ut libertate donati ipſi jus conſtituant: quod ipſi quoque poſtea apud arborem conventionalem, quam Opſtalleſboom appellent, ſanciverunt. Quamvis enim do: Comes in eo erraverit, quod illud privilegium Carolo Magno adſcripſerit: excuſandis tamen eo nomine idcirco is eſt quod hoc ita ſe habere hactenus ſit creditum. At Vbbo illud falſum & ridiculum dicit & tamen aliud eo melius, quo electiones atq́ placita Iuráque pronuncialia contineantur, nullus exhibet. Fatentur quidem omnes ipſum originale eſſe deperditum, ſed nullum aliud inde tranſumptum exemplum edunt, quàm quòd vulgo in manibus eſt: quod equidem eſſe rectum atque verum autumo & ſuo auctori Carolo nimirū Craſſo Imperatori reſtituo, ubi rerum ſeries me eò deduxerit.*

*Leges & Magiſtratus Domitius Carolo iis Friſiis primum dedit, quos apud agros à ſe deſcriptos habitare voluit quemadmodum C. Cornelius Tacitus eſt auctor. Friſios etiam ſub principibus, ducibus atque regibus ex legum præſcripto vixiſſe, indicio ſunt eorum ſcripta Leges à Iohanne Heroldo Baſilienſi editæ. Indicio eſt etiam ordo & ſtatus perſonarum in illis deſignatus: Neq́ enim uti pecora vixerunt ex arbitrio ſuæ voluntatis aut libidinis. Succeſſit tandem Francorum in illos imperium, à quibus & aliæ vicinæ nationes ex lege & more gubernati ſunt. Sub Carolo præfectum acceperunt, qui mo-*

*re Romano poteſtas dicebatur: & ab Imperatore ad jus dicendum cum imperio mittebatur. Propriè enim qui in urbe Roma legittimum regendi jubendique jus habebant, Magiſtratus appellabantur: qui verò idem jus in provinciis exercebant Poteſtates ut apud Iuriſconſultos eſt videre. Eo jure Friſii uſi ſunt uſque ad tempora Caroli tertii, qui ipſis privilegium dedit, ut ex ſuis Magiſtratum crearent qui licet peregrinus non eſſet antiquum poteſtatis nomen obtineret. Quemvis enim ante illud tempus etiam poteſtates ex Friſiis nominentur, equidem tamen puto illos non à populo, ſed ab Imperotore aut rege datos ob virtutem, quam ſuo ſuperiori probaverint: quemadmodum etiãnum quotidie provinciis fieri videmus quod alioqui Iure romano veteri non licebat. Sed alio loco planius deduximus & deducemus amplius. Interim Vbbo cum ſuis erroribus tranſeat.*

Finis Libri Quarti.

# Annalium Friſicorum
## LIBER QVINTVS
### *Qui Ludovicus Pius inſcribitur.*

DEFVNCTO Carolo Magno Imperatore miſſus eſt triſtis in Aquitaniam nuntius, qui filium ejus Ludovicum cognomento Pium, inde ad Imperium capeſſendum acciret: Ludovicus autem ex quo mortem patris cognovit trigeſimo die, cum honeſto quidem ſed Lugubri comitatu Aquiſgranum appellit; inibique nemine contradicente, tanquam verus atque unicus hæres omnia patris ſui bona confeſtim adipiſcitur. Ei quoque ſtatim omniũ provinciarum primores citra moram nullam ſacramento dicunt: & lætis animis in ſedem paternã collocato, reverentiam Majeſtati debitam exhibent. Erat autem jam anteà à patre conſenſu procerum Imperij corona cinctus & ſucceſſor declaratus Ludovicus, ut ſuperiore anno & libro narravimns & jam agebat ætatis ſuæ annum trigeſimum ſextum. Natus enim erat geminus in Aquitania ex Hildegarda Sueviæ ducis Hildebrandi filia, anno ſeptingenteſimo ſeptuageſimo, octavo, atque etiam tunc à patre Carolo Rex deſignatus: bienniοque poſt ab Adriano pontifice in ipſa urbe Roma eodem fine conſecratus & poſtero deinceps anno ad regnandum in Aquitaniam miſſus cum curaroribus eam rem idoneis & præclaris. Sub quibus regificè educatus cùm eſſet & multa bonæ indolis documenta dediſſet, anno ætatis ſuæ decimo quarto ex Aquitania à patre evocatus & ab eo Raveſburgi enſe accinctus, annoque ſequenti in regnum ſuum remiſſus, bella deinde juſſu patris cum fratre Pipino in Italia geſſerat. Hinc in Aquitaniam reverſus, ſtatum ejus annonis militaribus, quas fodrum appellabant, ſublatis, evidenter emendaverat: conventus publicos egerat:

*Carolo Magno ſuccedit Ludovicus Pius.*

*813.*

*778. Ludovicus Naſcitur.*

& tandem

& tandem anno Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo ſeptimo ætatis ſuæ nonodecimo Hermingardum Nigrami Comitis Aquitani filiam duxerat uxorem. Ex eo porrò tempore ita porrexerat vivere, ut & domi charus & foris apud omnes eſſet venerabilis: & ſuis auſpiciis, paucis annorum intervallis, Ilerdam, Barcinonem, Tertoſam atque Oſcam Hiſpaniæ urbes celebres à Sarracenis inſeſſas rumore ſecundo caperet Chriſtoque lucri faceret. Anno idem poſt octingenteſimum decimo, Vaſcones rebelles ad obedientiam redigit & ab iis ſubactis per montis Pirinæi valles Pampalanem in reditu item à Vaſconibus uti pater ejus Carolus in periculũ venit, ſed ſua prudentia feliciter evaſit. *Nam cum per ejuſdem montis Pirenæi remeandum foret anguſtiasi (nquit ſcriptor vitæ ej⁹ Palatinus ſive Domeſticus) Vaſcones natium aſſuetumq́ fallendi morem exercere conati, mox ſunt prudenti aſtutia deprehenſi conſilio cauti, & cautela vitati. Vno enim eorum, qui ad provocandum proceſſerat, comprehenſo atque appenſo, reliquis pœne omnibus uxores aut filii ſunt erepti uſque quo eò noſtri pervenirent, quo fraus illorum nullam Regi vel exercitu poſſet inferre jacturam,* Ex quo intelligimus duplicem fuiſſe expeditionem in Hiſpaniam ſub Carolo Magno, unam ipſius Caroli, alteram Ludovici hujus Aquitaniæ regis: & errare Hiſtoricos, qui alteram cum altera confundunt, Caroliq́ue notum in hunc annum decimum temere trãſferunt. Quod hic veritatis cauſa monendum exiſtimavi. Ludovicus autem Rex, poſt ſuum exHiſpania reditũ, Eccleſiæ negotiis ſe totum dedẽs, ejus ordinem ſerio correxit. Revocavit enim vel ſuo exmplo clericos à militia & exercitiis militaribus ad pacem, ejuſq; ſtudia, luxu ad frugalitatem, breviq́ue effecit, ut monachorum contubernia, inſtauratis magno ſũptu monaſteriis, in Aquitania revaleſſerent: unde Pij cognomen videtur eſſe conſecutus. His verò rebus proſpere in Aquitania effectis, à Patre

*797. Ducit Vxorem.*

*810. Vaſcones domat.*

à Patre Carolo Aquiſgranum evocatur & totam æſtatem cum eo verſatus quomodo deinceps vivendum Imperandum, Imperium ordinandum, & ordinatum conſervandum ſit, ab optimo patre, non degener filius admonetur & inſtruitur: tandemque ſucceſſor publicitus aurea corona impoſita deſignatus, menſe novembri in Aquitaniam à Patre remittitur: unde poſt mortem patris Aquiſgranũ reverſus, Imperij habenas cum applauſũ omniũ, deo proſperante, ſuſcipit, anno ut ſcripſimus, poſt octingenteſimo decimo quarto hinc ad aulæ paternæ & in ea Gynęcei emendationem progrediens, promæ libidinis conciliatores atque reos abigit paucas mulierum ad miniſterio retinet: deinde Teſtamentum patris per omnia exequitur; Sororum cuique legittimam aſſignat & in ſua à ſe honeſte dimittit: quod de Theſaurus patris preterea ſuperat, ex mente teſtatoris, aut Romam id Pontificem Leonem mittit, aut ſacerdotibus, pauperibus, audiens viduis atq; orphanis pro rata erogat nihil ſibi retinet, præter unam menſam argenteam, quam ob patris amorem dato pretio & in pauperes erogata, redimere voluit. Poſthac ad legationes principum quę ex omni patre regnorum quotidie affluebant, converſus, benignè illas audit regificè tractat et prolixè numeratas à ſe demittit incolumes: cum omnibus pacis fædera aut recionans aut confirmans. Deinde populi ſui conventum Aquiſgrani habet: ibi auditis ſubditorum undique queremoniis, legatos conſtituit, ac in omnes ditiones ſuos ad jus dicendum ire jubet cum mãdatis, ut ibique pacem atque juſtitiam procurent, Læcis ſubveniant & ſua reſtituant: diſciplinam cleri atque populi emendent. Eodem tempore Friſiorum alij qui in avitis ſedibus degebant, & in pace veniebant alij verò, qui ex Vimodia una cum Saxonibus tranſalbinis in flandriam & vicina loca à Carolo Magno tranſlati olim fuerant, à Ludovico Pio Imperatore in integrum reſtituti jus pa-

*813. Coronatur à patre Aquiſgrani.*

*Friſii Vimodiani reſtituuntur in Integrum.*

ternæ Hæreditatis recuperant idque occaſione Harioldi Daniæ regis in ſedem ſuam reſtituendi. Superiore enim anno Regnifridus &Harioldus fratres Danorum Reges, à Godefridi Regis patrui ſui liberis regno pulſi, nonam hoc
814. anno in illos expeditionem ſuſceperant: ſed ambo victi operam luſerant. Regnifridus una cum uno filiorum Godefridi in acie ceciderat: At Harioldus pugnæ ſuperſtes ſolum vertere coactus ad Ludovicum Imperatorem cõfugere & quoniã jam antea cum Carolo fædus ei fuerat, in manus ejus ſe commendat: quem Imperator exulẽ miſeratus clemẽter ſuſcipit & in Saxoniam ire jubet, ibidemque operiri tempus quo auxilium ei ad recuperationem ſui principatus ferre poſſe. *Eo tempore (inquit ſcriptor vitæ Ludovici Pij anonymus ſed palatinus à P. Pithæo editus) " Saxonibus atque Friſonibus ejus paternæ hæreditatis, quod " ſub patre ob perfidiam legaliter perdiderant Imperatoria cle" mentia reſtituit. Quod alij Liberalitati, alij improvidentiæ " aſsignabant, eo quod hæ gentes naturali feritati aſſuefactæ, ta" libus habenis deberent coerceri: ne ſcilicet effrænes in perduel" lionis procacitatem ferrentur. Imperator autem eo ſibi ar" ctius vinciri ratus, quo eis beneficia potiora largiretur, non eſt " ſpe ſua fruſtratus.* Nam poſt hæc eaſdem gentes ſemper ſibi devotiſſimas habuit: Hactenus ille Palatinus. Ea verba Ianus Douſa Nordtuici dominus apud Hollandos ſuos & genere & doctrina vir nobiliſſimus ad Friſiorum injuriã manifeſtè trahit atque ita interpretatur quaſi omnes ubique Friſij tempore Caroli Magni fuerint perfidi & ob perfidiam jus ſuccedendi in paterna bona amiſerint mentianturq; propterea ſe libertatis privilegio à Magno Imperatore honoratos. Adſcribit autem eadem verba Aimono apud Pariſios ad S. Germanum monacho, qui libro quinto hiſtoriæ ſuæ ea recitat omiſſo auctoris unde ſumpſerit, nomine: eundemque putat teſtem oculatum & omni exceptione majorem. Verùm ut in hoc errat: ita

*Ianus Douſa Nortuici dominus errat in Aimonio.*

ita parum ſincere nobiſcum quos vicinos & amicos ſuos vocat, agit dum aliorſum verba auctorum inter pretatione producit, quam ab ipſis prolata ſunt. Ipſe quidem fatetur illos tantum Saxones, qui trans Albim commorātuur, in belgicam à Carolo fuiſſe tranſlatos: ſed pænam eorum univerſæ genti communem facit: idem Friſiis omnibus impingens, quod ſoli Vimodiani erant promeriti. Cùm enim libro ſecundo Hollandiæ annalium, Saxonū in colonias deductionem. Suo elogio cōprobaſſet, eveſtigio ſubjicit hæc verba: *Neq; tamen valuit hæc relegatio ultra decennium, inducente Auguſti patris decretum Ludovico ſucceſſore: cui novum imperium inchoanti utilis viſa clementiæ fama: itaque Saxonibus ſi vellent domum è belgica redeundi Liberam poteſtatem conceſſit. ac deſertas patriæ ſedes poſtliminio repetituris jus ſuccedendi in parentum & agnatorum bona ac teſtamenti factionem reſtituit: quorum utrūque non ſolum à Carolo univerſæ genti imminutum, ſed & penitus ademptum querebantur: Neq; Saxones tantùm, ſed verò & contermina illis Friſiorum natio, quibus conſimili pæna à magno illo ob lubricū fidei mulctatis de jure Hæreditario facta gratia ab novo Imperatore. Quòd ut liquidius teſtatiúſque lectori fiat ipſius Amnioni verba fidei cauſa repræſentabo. Ea verò ſic ſonant, quemadmodum nos ſupra ex palatino ſcriptore recitavimus: ne hic bis eadem repetere cogamus.* Nos autem contra hanc illationem ſuperiore libro retulimus ad annum octingenteſimum tertium in Hallenſi concilio ad Salam fluvium omnes Saxones libertati à Carolo reſtitutos & magiſtratibus Francorum parere juſſos, ſolas decimas clero pependiſſe, nec quemquam illorum ab eo tēpore moviſſe rebellionem, præter illos Saxones, qui trans & citra Albim habitantes, legatos Imperatoris ad jus dicendum miſſos interfecerant: ea re commotum Imperatorem per filium Carolum eoſdem caſtigaſſe & extra patriam in colonias ſparſiſſe: agroſque ipſorum Obotritis ad

poſſidendum tradidiſſe. Diximus etiam ex auctoritate hiſtoricorum inter eos Saxones etiam Vimodianos Friſios fuiſſe numeratos, utpote qui una cum Saxonibus illis rebellaverant. Quemadmodum Friſij minores & qui illos ad ortum antecedunt ad amaſum uſque à culpa Vimodianorum ſeperantur: ita etiã reliqui Saxones à Trãſalbianis ſejuncti: ut contra juſtitiam ſit & Caroli Magni Imperatoris virtute indignum inſontes eiſdem pænis, q; bus nocentis afficere: ſi omnes Friſii atque Saxones ob paucorum delictum ad ſupplicium commune conducantur. Sed neq; hoc ab auctoribus dicitur: quamvis à Douſa hic promulgetur: qui poſt commendationem reſtitutionis à Ludovico factæ porro adjicit ut Friſios omnino exagitet atque pungat, hæc verba: *Docet igitur Aimonus noſter Friſios teſtamenti faciendi ac ſucceſsionis Iure ſub Imperio Caroli excidiſſe, addit præterea cauſam cur exciderint & quidem verbis ſignificantiſsimis. Vnde quid de donatione illa Auguſta, qua ſe Friſij ob fidem & merita à Carolo Magno honoratos maniſsime gloriantur, exiſtimandum, meridiano ſole clarius dilucet.* Hic vides amice lector Ianum Douſam Aimoni litem, ſuam facere dum eum appellat Aimonum ſuum & ejuſdem cum eo culpæ & pænæ reum eſſe. Quia verò ille monachus, ſi Douſæ interpretationem ſequamur, nimis inſipidè locutus eſt, videamus quid illi prius ſit objiciendum, quam ad ejus interpretem Douſam veniamus. Interrogo itaque te Aimone, quos homines hic Friſiorum nomine intelligas? omneſne illos univerſim, qui in littore maris Germanici inter Rhenum & Eydoram flumina jam olim habitabant? an verò certos aliquos qui Saxonum vicini una cum ipſis præliati à Carolo Magno fuere dejuncti? Si Aimonus reſpondeat ſe univerſos putare objiciam ei Reginonis item monachi auctoritatem, qui partem tantum Friſiorum cum Saxonibus rebellaſſe affirmat, idque ad annum ſeptingenteſimũ

octuageſimum

octuageſimum quartum,uti etiam ipſe Douſa hic in margine annotavit. Adducam etiam fortaſſe teſtes complures,qui mecum docebunt ciſamaſanos Friſios ſemper in fide Caroli perſeveraſſe & conſequenter concludam, hãc ipſius aſſeverationem generaliter prolatam eſſe falſam & ab impudente monacho ad Friſiorum dedecus temerè confictam. Si verò ſuam affirmationem indefinitam & de illis tantum Friſijs intelligi oportere intẽdat,qui à Carolo Magno victi & in Gallias una cum Saxonibus tranſlati fuerunt : logica me docebit, ex parte totum male inferri & ridebit complexionem,ſi dicam, aliqui Friſiorum rebelles cũ Saxonibus inGallias fuere tranſlati: Ergo omnes Friſij tranſlati fuerunt. Cùm verò Aimonus de illis Saxonũ decem millibus tantũ loquatur, qui anno octingenteſimo quinto ſub Lyderico Saltuario in Flandriam ſunt traducti,ipſa ratio nos monet ut verba ejus ultra ſubjecti complexum non extendamus,utque inquiramus ex hiſtoriæ fide,quinã fuerint illi Friſij,qui armis contra Carolum motis ab eo victi & hæreditatibus mulctati in colonias una cum, Saxonibus fuere tranſmiſſi. At illi Friſij non alij fuerunt, quam qui in Vimodia habitabant, ut una cum Saxonibus arma tulerãt ut hiſtorici ad eũ anno 805. tradunt:Si igitur Vimodiani peccaverunt cum Saxonibus, cum illis etiã puniti ſunt & una cum illis reſtitutionem acceperũt:quę niſi libertate & patria ſpoliatis naturaliter dari non potuit. Illi autem Friſij qui anno 784. una cum Saxonibus rebellaſſe dicuntur ſemper in ſuis ſedibus manſerunt nec unquam aliô in coloniam ſunt deducti:immò ſi verũ fateri velimus ne rebellarunt quidem. Nam etſi in Friſia tum temporis templa ſanctorum everſa,ſacerdotes dei profligati omnia incendiis cædib⁹ & rapinis permiſta fuiſſe ſit veriſſimum: nullus tamen probaverit hæc omnia ab ipſis Friſijs fuiſſe geſta, ut ideo rebellionis crimen contraxerint. Omnes quos ego hactenus

*Soli VVimodiani Phriſii una cũ Saxonibus Tranſalbianis in Colonias miſſi.*

ejus ęvi ſcriptores vidi ejus anni vaſtitatē Videkīdo Saxonum duci aſcribunt: ut videre eſt apud Alfricum, Regmonem & Sigebertum. *Cumq́; vir dei Lutgerus (ait Alfricus) in eadem regione (Friſia) Doccomienſi annis ferè ſeptem in doctrinæ ſtudio perſiſteret, conſurrexit radix ſcelerum Videkind. dux Saxonum ea tenus gentilum, evertit Friſones à via dei, combuſſitque eccleſias & expulit dei famulos et uſque ad fleo fluviū fecit Friſones Chriſti fidem relinquere & immolare idolis juxta morem erroris priſtini.* Quis verò hic de dolo malo accuſet iſtos Friſios, qui tātas ſuorum ſtrages, qui domorum incendia, qui bonorum direptiones ab hoſte crudeliſſimo pertulerūt? Quis hic eos dicat perfidos, aut ob perfidiam inteſtabiles à Carolo Magno pronunciatos? Nemo certe vir intelligens niſi ſit vel monachus vel monacho imperitior. Si ſcit Aimonus ob perfidiam Friſios jus patriæ hæreditatis legaliter amiſiſſe, dicat quibus indicibus, quo tempore & loco ſint condemnati. Hoc enim illud verbum (legaliter) includit. Neque enim ſufficit ad infamiam alicui inurendam, ut quid ſimpliciter in legem ſit commiſſum ſed & ad eam rem etiam opus eſt condēnatione judicis ordinarii ut leges teſtantur. At inquies jure victoriæ Friſios jus ſuum amiſiſſe. Quaſi verò omnes victi eodē loco habeantur & Carolus ille cum prudentia tum juſtitia & rebus geſtis verè Magnus nullum inter Saxones atq; Friſios hoc eſt inter obſtinatos hoſtes & ſubditos ab hoſte victos diſcrimen poſuerit? Ille Saxonibus toties rebellibus, toties victis, & exarmatis ignoſceret idētidē & ob unā hanc culpam (ſi culpa dicenda eſt ab hoſte viribus ſuperari) Friſios, qui ab eo tempore, quo primum ſubacti, hacten⁹ fidi ſemper & morigeri fuerunt, ad extremum dedecoris crudeliſſime dejiceret? Credat illud qui volet: mihi certe illud nunquam perſuadebit vel Aimonus vel ſectator ej⁹ Ianus Douſa, licet ſit doctiſſimus. Hoc autem, Caroli Magni in Friſios tam immanē decretū cum

nuſquam

nuſquam alibi ſcriptum inveniamus & à recta ratione quã longiſſimè aberret, cõſequens, eſt ut id credamus quòd & Hiſtoriæ & rectæ rationi eſt conſentaneũ: Friſios ſcilicet non majores pænas ob hanc culpam ſubiiſſe quam hujus culpæ auctores & incentores pertuliſſe commemorantur. Notum autem eſt Lippis atque tonſoribus illum ipſum Videkindum, qui hanc cladem Friſiis intulerat, cum patruele ſuo Albione, altero confeſtim poſt anno, in gratiam à Carolo Magno receptum condonatis & remiſſis omnibus adverſus regiam Majeſtatem perpetratis facinoribus: & omnes Saxones toties majeſtatis tàm divinæ quàm humanæ reos eadem pace comprehenſos, in libertatem reſtitutos ſolique Deo & ſacerdotibus ejus idq; in decimis tantum factos tributarios: ut Villehadi Bremẽſis epiſcopi ſupra allatum teſtatur diploma & acta anni 803. in Halſenſi concilio, ad quæ lectorem remittimus. Cùm igitur ab iſto anno 803. nulla gens vel Saxonum vel Friſiorũ in Imperatorẽ præter Saxones illos qui cis & ultis Albim & in Vimodia habitabant qui Friſij dicebantur inſurrexerit neceſſario etiam conſequitur de nullis aliis etiam Annonum hoc loco ſenſiſſe: & iſtam Ludovici Pij in reſtituendis Saxonibus atque Friſiis benignitatem, ad eos tantũ pertinere, qui poſtremũ à Carolo magno patre ejus victi damnatique in terras alienas fuere tranſportati: & Friſios cis Amaſim flumen ad occidentem habitantes, qui longè extra Vimodiam ſunt, in eorum numerum aggregari non poſſe nec debere. Manifeſtum quoque hinc eſt Annoni ſcriptum non obſtare quo minus reliqui Friſij, qui damnati aut tranſlati non fuerunt, ſed in fide perſtiterunt, anguſtium illud libertatis privilegium, quòd tãtopere ab invidis carpitur à Carolo Imperatore ſuis meritis atq; virtutibus impetrarent ac rebus ipſis obtinerent. Eſt igitur quædam perfrictæ frontis jactantia, qua ſe pondus ejus privilegij Aimoni teſtimonio elevaſſe Douſa hic maniſ-

ſimè

ſime gloriatur. Nã etſi Aimonus ille monachus ſuperiora verba in ſuos commentarios contuliſſe verum eſt, ipſe tamen eorum verborum nõ eſt auctor, ut ex temporis ratione facile colligitur. Circumferuntur ejus libri hodie quinque, quorum primus à Troja capta & primis Francorum regibus incipit, quintus autem in Philippo Ludovici filio hoc eſt anno milleſimo centeſimo ſexageſimo quinto deſinit. Si quintum librum ſcripſit Aimonius non video quomodo ille videre potuerit ea, quę tempore Caroli magni extremo aut Ludovici pij ineunte geſta cõmemorat. Inter ſunt enim anni trecenti quinquaginta & unus, quos ille vivendo explere debuit. Verùm eximẽdus hic error viris doctis, qui Douſam minus providũ hoc loco decepit: & ſic de Aimono ſtatuẽdum auctorem quidem eſſe bonum, ſed non mereri fidem in iis, quæ ab aliis corraſit & in ſuos centones conjecit, niſi cum originariis conferantur. Fatetur ipſe in ſua præfatione ſe ſcripſiſſe libros quatuor & aliorũ verbis ſe pro ſuis uſum: *Hoc quidem, inquiens, me feciſſe non nego neq; id me piget ac deinde facturum autumo: habeo bonorum exemplum, quo mihi id licere facere, quod illi fecerunt, puto.* Quòd quidem rectè ab ipſo diceretur, ſi eos nominaſſet ex quorum fontibus ſuos deduxiſſet rivos: aut non intermiſcuiſſet alienis ſua eoque modo auctorum ſenſa conturbaſſet. Deprehendi enim totum pene librum quartum ex Adelmi benedictini Annalibus Carolorum, qui hactenus ſine nomine poſt Eginhartum editi fuerunt (ut loquitur freherus) eſſe concinnatum. Deinde hunc locum de quo velitamur ex incerto auctore deceptũ, qui inter annales & hiſtorias Frãcorum à P. Pithæo Francoforti apud Vecheli hæredes editos pag. 336. extat & Vita H. Ludovico Pij Imperatoris Caroli Magni F. inſcribitur. Quem libellum Aimoin⁹ ille monachus in nomen ac decem capita diſtinctum in librũ ſuum quintũ omnino tranſportavit non ſine plagio

*Aimonii Monachi libri quinque quales ſint.*

& injuria

& injuria auctoris. Ex prohæmio enim ejus libelli finē libri ſui quarti detruncavit & ſuo accommodavit inſtituto: ſed parum ex fide bona ſibi fidem aſſerens quæ alteri debetur: ut ex illius incerti auctoris verbis apparet quæ hic repræſentamus: ſunt autem de Ludovico Pio ſcripta in hunc modum: *Iam verò virtus adeo ei coalverat, ut tot ac tantis pulſatus malis, laceſsitus tàm privatis, quàm externis injuriis, nullo tamen, deo cuſtode, pectus ejus invincibile potuit injuriarum pondere frangi. Vni tantummodo ab æmulis adſcribibitur culpæ ſuccubuiſſe, eo quod nimis clemens eſſet. Nos autem cum Apoſtolo dicamus talibus: Dimitte illi hanc injuriam. Sed hæc utrum vera ſint nec ne perlegens quiſque ſcire poterit. Porro quæ ſcripſi uſque ad tempora Imperij Adhemari nobiliſsimi et devotiſsimi monachi relatione didici q̧ ei coævus & comnutritus fuit: poſteriora autem quia ego interfui rebus Palatinis, quæ vidi et cōperire potui, ſtilo contradidi.* Ex his verbis ſi conferantur cum ſcriptis Aimoni ſatis apparet, Aimonum nō eſſe teſtem oculatę fidei, ut eum hoc loco Douſa appellat: Deinde eundem caute legendū nec prius illi habendam fidem, quam auctorum verba propria legerimus, ex quibus ſuos centones confecit. Ex collatione enim ſcriptorum liquido patet, ipſum verba auctorum tranſponere, detruncare atque adeò etiam transformare ad libitum. Nam cum auctor vitæ Ludovici ſcripſiſſet, ſe ea, quę ante ſuſceptum à Ludovico imperium acciderunt ab Adhemaro teſte oculato, cætera ut Palatinum & domeſticum cognoviſſe: Aimonꝰ ea verba ſuę perſonę accommodans adjecit ad verbum: Imperij. Dictionem: Francorum & totam orationem reddidit obſcuram & ſuſpectā. Eodem modo cùm de Saxonū & Friſiorū reſtitutione à Ludovico ut putatur, facta, loqueretur, ea omiſit quę auctor vitę Ludovici de Harioldo Danorū rege interſerverat, cujuſque occaſione de Saxonum reſtitutione erat locutus. Quòd ut fiat clarius utriuſque ſcriptoris verba hic apponā quæ ſic habent apud Aimonū libro quinto

capite decimo. *Eodem etiam anno duorum filiorum ſuorum, alterum quidem Lothariam in Bojoariam, Pipinum verò in Aquitaniam miſit: tertium autem Ludovicum puerilibus adhuc conſiſtentem in annis ſecum detinuit. Sed hæc jam ſuperius dicta ſuprimantur. Hoc etiam tempore Saxonibus atque Friſonibus jus paternæ hæreditatis, quod ſub patre ob perfididiam legaliter perdiderant imperatoria reſtituit clementia.* Eadem autem verba apud alterum illum, quem palatinū vocare licet in vita Ludovici Imperatoris ſic ſcripta ſunt: *Eodem etiam anno duorum ſuorum filiorum Lotharum in Bojoariam, Pipinum verò in Aquitaniam miſit: tertiū verò Ludovicū adhuc puerilibus conſiſtentem in annis ſecum tenuit. Eodem etiam tempore Harioldus ad quem ſumma regni Danorum pertinere videbatur & qui pridem à filiis Godefridi regno pulſus fuerat, ad Imperatorem Ludovicum confugium fecit & juxta morem Francorum manibus illius ſe tradidit. Quem Rex ſuſceptum in Saxoniam ire juſsit & tempus, quo ei auxiliam ferre poſſet ad recuperationem ſui principat⁹ ibidem operiri: Quo etiam tempore Saxonibus atque Friſonibus jus paternæ hæreditatis, quòd ſub patre ob perfidiam legaliter perdiderant Imperatoria clementia reſtituit.* Hic videmus Aimonum hiſtoriam de Harioldo omittere ac ſupprimere non ſine incommodo lectoris, quàm antea in libri quarti caput centeſimum ſecundum conjecerat interpolatā his verbis: *Tunc duos ex filiis ſuis Lotharium in Bojoariam Pipinum in Aquitaniam miſit. Harioldus & Regnifridus reges Danorum, qui anno ſuperiore à filiis Godefridi victi & regno pulſi fuerunt reparatis viribus iterū eis bellū intulerūt, in quo conflictu et Regenfridus & unus de filiis Godefridi, qui major natu erat interfectus eſt. Quo facto & Harioldus rebus ſuis diffidens ad Imperatorem venit & ſe in manus illius commendavit. Quem ille ſuſceptum in Saxoniam ire & opportunum temp⁹ exſpectare juſsit, quo ei ſicut petierat auxiliū ferre poſset.* Cùm igitur ex his, quod diximus manifeſtum ſit Aimonum

num nec oculatæ nec bonę fidei teſtem aut ſcriptorē eſſe, tum illud ex palatini illius narratione elicimus, Ludovicū Pium Imperatorem Harioldi fortuna motum Saxones in integrum reſtituiſſe, cum eis Harioldum, ut clientem jam ſuum commendaſſet; quo is regio more & tuto apud illos eſſe & converſari poſſet: & propterea videri nomen Friſiorum ab aliquo mundo ſubjectū, qui hoc modo illis notam voluerit inurere. Nam cùm nos ſupra docuerimus cauſam reſtitutionis, quæ hic refertur, in Friſiis non eſſe veram ſed male à monachis intellectam: quia Friſij nunquam in Carolum Magnum rebellaverint: & ex hoc loco appareat non ad Friſios ſed ad Saxones Harioldū fuiſſe miſſum: deinde verùm ſit Ludovicum opera Saxonū & non Friſiorum in reſtituendo Harioldo fuiſſe uſum, ut hiſtoriæ declarant: ego quidem aliter ſentire nec poſſum nec debeo, quam hanc ſcripturam aut eſſe corruptam & malitioſè confictam aut ſi calumnia abſit, de illis Friſonibus intelligendam, qui cis Albim in Vimodia habitantes una cum Saxonibus, ut Belligerati & in Gallias traducti, ita etiam à Ludovico Imperatore ſint reſtituti ob viciniā atque opem, quàm ab illis in Harioldo reſtuendo ſibi cōmodam fore perſuaſerat. Cæteri ſane Friſij illo bello aut etiam aliis, Ludovico non militarūt, ut de illis dici poſſit, quod à palatino ſcriptore refertur, Ludovicum poſt hæc eaſdem gentes ſemper ſibi devotiſſimas habuiſſe.

*Quàmvis autem hæc ita ſe habeant, pergit tamen Ianus Douſa nihilominus argutari, ut teſtis ſui anonymi oculatū dictū confirmet: ſed ita pergit uti ſuam erga Friſios malevolentiam apertius declaret. Neq; enim ipſi ſatis eſt prodidiſſe in Aimono celebrando inſcitiam ſuam & inconſiderantiam, verum etiam impudenter negat Friſiorum in Carolū extare ulla tanta miniſteria quamobrem ipſi privilegio libertatis ab illo honeſtari debuerint hiſtoricis (inquiēs) ad unum omnibus palam ac publicitus defugientibus auctoritatem ſic quaſi de com-* **Hiſtoria auctorum ſilētio non eſt eſtimanda.**

*pacto. Idq́; haud aliter pronunciat quàm ſi verum ſit nullas res Friſiorum conſtare poſſe niſi ab hiſtoricis ſint celebratæ. Quid ſi invidiâ aut odio ſcriptores taceant? quid ſi ignorantia? an ideo res minus ſunt quod de iis non loquantur aut ſcribant homines malitioſi atque mundi? An ideo minus erãt Americani, quòd Europæi ante annos centum & viginti nihil de illis ſcirent? Silentium ſane alicujus non eſt tanti ponderis, ut eo aliquid, quod extet in rerum natura deſtruatur, cũ ipſum nihil ſit! Neq́; enim ſilentio auctorum ſed eorum ſermone res geſtæ comprobantur. Vel improbantur. At noſtrates hiſtorici de rebus Friſiorum non ſilent, ſed manifeſtè eas prædicant: quorum fidem deſtruere oportebat non taciturnitate malevolorum, ſed veris argumentis atque rationibus. Illi apertè profitentur Friſios anno 729. à Carolo Martello, Poppone eorum duce cæſo, victos & Francis citra contumaciam paruiſſe, donec à Carolo Magno ob Radbodi regis ſui crudelitatem deficerent: Quo fugato commemorant eoſdem à Carolo in gratiam receptos, ſuſcepiſſe religionem Chriſti eámque exercuiſſe fideliter, uſque ad tempus illud, quo Videkindus Dux Saxonum ſub Carolo Magno agros ipſorum vaſtavit, templa exuſſit, homines in ſervitutem abduxit & ad paganiſmum redigere conatus eſt. Poſt Videkindum verò à Carolo Magno in gratiam receptum ajunt Friſios item ad Caroli obedientiam reverſos atque eidem in Italia contra Longobardos, in Apulia cõtra Saracenos, in Pannonia contra Avaros, in Germania contra Saxones & Vilzos ſtrenuè militaſſe: ipſorum operâ reſtitutam Romam à Saracenis captam, promeruiſſe ibidem fanum & hoſpitium ſuis peregrinari volentibus. Quæ omnia, quemadmodum nos ſuperiore libro deduximus ſunt talia profecto quæ et laudẽ et præmium aliquod promereri debeant. Et ſane, ſi quis tempora diſtinguat, non obſtabit Friſiis ſub Carolo libertatem aliquando amiſiſſe, quo minus eam ſecuta ſit reſtitutio et novi privilegij acquiſitio. Nam ea dici contraria nequaquam poſſunt, quæ in facto poſita diverſis eveniunt & conſiſtunt temporibus: Videkindus Saxo Friſios anno 784. in Carolũ fecit rebelles: Fri-*

*ſij poſt ea cum Carolo in Vilzos in Avaros in Saracenos & Romanos profecti una cũ Saxonibus anno 803. libertate à Carolo ſunt donati. Poſt illam adeptam Friſij iterum à Danis oppreſſi, ſervitutis Iugum ſubjerunt auctore Gotrico Rege: ſed à Ludovico pio reſtituti in integrum quid mirum ſi libertatem à Carolo patre datam redintegrẽt & in precio habeant? Si eñ reſtituti in libertatem ſunt, amiſerunt illam prius & ſi amiſerunt, habuerunt eam prius quàm amitterent. Pertendit tamen Douſa Friſios etiam alia labe aſpergere: Neq; enim ſatis eſt ipſum negare Friſiorum in Carolum beneficia ſed etiam affirmat Friſios alienæ laudis adoream neque probe neq; liberaliter ad ſe trahere. Quòd tamen ille nunquam probare poterit. Neq; enim unquam Friſij ſibi illam laudem de Saxonibus trãſalbianis ad extremum debellatis adſcripſerunt: quam Abotritis ab hiſtoricis aſſignatam ingenuè fatentur. Et ſane commentum eſt vaniſſimum dicere in illorum privilegio iſtius poſremæ victoriæ ullam fieri mentionem nedum ipſis hanc gloriam fuiſſe aut eſſe adſcriptam. Qui enim potuit? cum privilegum iſtud Friſiis conceſſum perhibeatur anno 802. & iſta Saxonũ extrema debellatio in anno 805 incidat? Nec enim tã ſunt illiberales aut Improbi Friſiones ut obotritis debitã laudem ſibi imputẽt: cum ſuis rebus geſtis per ſe ſatis ſint illuſtres atque conſpicui, nec habeãt neceſſe à barbaris immaniſſimis ſuæ gloriæ fænerari lucem ad imitationem reprehenſoris iſti⁹, qui pro gentis ſuæ laude nunc in hæc nunc in alia caſtra etiam viliſſima deſultoris in morem ſolet transfugere. Nunquã Friſij aliud, quam libertatem & libertatis matrem autonomiam ſibi arrogarunt, ſuis rebus atq; pomoeriis perpetuo contẽti. Pro ea conſervanda patrimonia ſanguinem, vitam denique liberaliter profuderunt: de eo gloriantur & verè quidem gloriantur cum non minor virtus ſit tueri parta, quàm quærere. Si eodem animo illius majores ſive aborigines fuiſſent affecti minus bellorum inter finitimos & populares fuiſſet: nec tantis odiis inter ſe conſanguinei concurriſſent, dum alteri ſua defendere, alteri alienam libertatem & bona contra jus gentium invade-*

**Friſii liberi à Gotrico Daniæ rege ſubacti à Ludovico reſtituuntur.**

**Friſii auctore Douſa aliena laudis adoream ad ſe trahunt quod negatur.**

*re ſunt conati. Corrigit ſe tandem Douſa: verùm ita, ut laudando majorem infamiã infligat.* Neque hæc (inquit) ideo à me poſita, quod gentis fortiſſimæ optimeq; de re Criſtiana meritæ exiſtimationi detractum quippiam aut imminutum velim (procul ab ingenio Douſa hæc malignitas) ſed quòd alieni facti gloriam inani perſuaſione ad ſe trahere prorſus illiberale neque laudatiſſimi populi moribus conſentaneum exiſtimem. *Si vir nobiliſſime Friſij ſunt viri fortiſſimi & laudatiſſimi, uti eos vocas & illiberale cenſes alienumq; eſſe ab illorum moribus ibi gloriam alij debitam arrogare, cur hæc inter ſe multum diſſidentia contra apparentiam illis affingis? An unquam fando auditum laudari virum fortem Iuſtitia vacuum? Si fortes ſunt Friſij, non ſunt injuſti, non rapiunt, non appetunt aliena. Fortitudo enim pro juſtitia pugnat & ſi aliter faciat, non jam fortitudo ſed quædã immanitas erit. An eos ita putas eſſe fortes, ut quondam illi poetici Cyclopes fuerunt, qui omnia pro viribus agebant, ipſum Deum atq; homines cæteros præ ſe cõtemnentes aut quales aborigines veſtri Normanni, qui ſuo tempore rapinis, incendiis, cædibus omnia ſacra profana miſcuerunt? Sed ubi tandẽ Friſij affectaverunt hanc laudem quam dicis Abotritis debitam? oſtende nobis locum ullum in hiſtoria noſtrate ubi hoc ſcribatur? cur hic non repræſentas verba ſcriptoris? Sed ab eſt ab ingenio tuo malignitas. Quàm verò ea abſit, hæc tua conviciorum in Friſios effuſa liberalitas ſatis oſtendit. Oſtendunt etiam cætera quæ paſſim in annalibus ſequuntur. Pergit enim Douſa:* Quid quod opinioni noſtræ Crãtzium quoq; aſtipulari videmus ex cujus Saxonia hãc judicij quaſi decretorij ſentẽtiam huc tranſcribere veritatis potiſſimum ſtudio inducti cõpellimur. *AEquus ita me deus amet, eſt Douſa Iudex qui hoſti noſtro de nobis permittit iudicium. Sed ſimules habent labra Lactucas. Vterque eum de Friſiis gaudet ſpolia legere: Quòd Crantzius ubique ſine aſſimulatione diſſimulatione ſui in nos odii palam facit: Douſa autem ſub perſo-*

*Crantzius in partem adductus refutatur.*

*na*

*na amici p cuniculos: uterq́; vero prætextu veritatis ſuum virus ejaculatur & lectori fucum facit. Audiam⁹ autem quid in Friſios decernat amicus noſter Crãtzius:* Libertatis illi (Friſii) ſuæ literas jactant ex Magno Carolo temere: quarum exemplum cum nuper vidiſſem, riſum temerè vix potui. Nam appareat ex inſertis teſtibus emanatum eſſe à literis quas aliquando IV. Carolus Bohemus non primus Francus donaviſſet. *Decernere apud Iuriſconſultos eſt aliquid ſtatuere idque ut plurimum cum cauſæ cognitione. Inde decretum pro ſtatuto atque placito apud eoſdem, quod cognitionaliter eſt factum. Et ſentẽtia, apud illos vocatur decreti pronunciatio: qua à lite diſceditur. Si igitur hoc Alberti Crantzij flagrum vim decreti vel ſententiæ habet, Friſios neceſſe eſt ut aut falſi crimine, quod ipſis intentatur cõdemnet aut abſolvat aut definitura ſententia non erit, quæ judicium non terminet. Friſij (inquit Crantzius) libertatis ſuæ literas jactitant ex Magno Carolo tenere. Non jactant ſe (ô bone) quòd arrogantiæ & ſtoliditatis eſt proprium, ſed vere affirmant & certis rerum documentis approbant, ubi opus eſt, ſe eſſe liberos & libertatis privilegiũ à Carolo Imperatore promeruiſſe: quod utinam vicini noſtri nunquam fuiſſent experti: minus enim ſanguinis fuiſſet effuſum.* Quarum exemplum cum nuper vidiſſem riſum tenere vix potui, ſi verum erat exemplum. *Si verum erat exemplum literarum illarum (inquit Crãtzius) quod nuper legi erat ridiculum: at ſi verum non erat, quale tãdem erit Ridemus ea, quæ cum turpitudine aliqua deferuntatem quandam habeat ut eſt apud Ciceronem de oratore: turpè autem omne quòd cum honeſtate pugnat. Inhoneſtũ igitur & turpè fuerit illud exemplum quod vidit Crantzius ſi ridiculũ. At quæ eſt hic ſententia? aut quod Iudicium decretorium. Propoſitionis cõnexæ ſeu hypotheticæ, ut dialectici loquuntur, veritas dependet ex conditione ſive ſtatu partis antecedentis. Exhibeat igitur nobis illud ſuum exemplum literarum, quod vidit, Crantzius & ſi verum ac ridiculum erit, nos una cum*

*ipſo ridebimus: ſin minus, ne impingat nobis calumniã, quam probare non poteſt. At erat illud exemplum ridiculum. Nam (inquit) apparet ex inſertis teſtibus emanatũ eſſe à literis quas aliquando quartus Carolus Bohemus non primus Francus donaviſſet Qui ſunt autem illi teſtes qui Caroli quarti tempore vixerunt? Dic nobis illorum nomina ut ei veritatem agnoſcamus. Noſtrum enim diploma hujuſmodi teſtes non habet: et ſi illud exemplum Crantzij ejuſmodi teſtes habuit verũ exẽplum diplomatis noſtri non fuit ſed falſum & precij nullius & per conſequens ſententia hæc ex falſa Hypotheſi prolata eſt ipſo jure nulla Imo nec ſententiæ aut Iudicij decretorij nomẽ ullũ meretur, cum rem controverſam non definiat ſed ſuſpendat. Hactenus Douſa Friſiorum libertatẽ qua potuit logica oppugnavit & nos ad contradicendum impulit. Rogo autem lectorẽ ut boni faciat me neceſſitate defenſionis egreſſum longius ab hiſtoria; nunc ad propoſitum redeo.*

*Harioldus Daniæ Rex in patriam reducitur.*

Anno igitur poſt octingenteſimum quinto decimo Saxones Tranſalbini cum Friſiis Vimodianis in integrum à Ludovico Imperatore reſtituti Harioldum Daniæ regem reducere in patriam juſſi, per hiemem quidem Impediuntur quo minus id efficiant: Menſe autem majo copiis collectis una cum obotritis Eidorum Daniæ limitem tranſmittunt, Sialandiam occupant, ſubditos ad obedientiam compellunt & acceptis quadraginta obſidibus, ad Imperatorem Paderbornę conventum populi agentem læti revertuntur, rationeſque ſuæ expeditionis reddunt. Ibi tum ad Imperatorem fama delatum proceres aliquot Romanos in conjuratione contra Leonem papam deprehenſos & majeſtatis damnatos, capite pænas luiſſe: ea res Imperatori valde tum diſplicere: Sed cum audiret poſtea Leone Papa ægrotante adverſarios illius prædia in diverſis civitatũ territoriis ſita expoliaſſe & tantũ nõ incendiis cõſumſiſſe & majora auſuros fuiſſe, niſi Iuſſu Bernardi regis Italiæ per Vinegiſum Spoleti ducem fuiſſent repreſſi Imperator

*Leo quartus Papa Ro. inimicos ſuos ulciſcitur capitis pœna.*

perator iram ſuam non ingratis depoſuit: præſertim cum à pontifice miſſi eo nomine legati ipſi ſatisfacerent.

Anno autem ſequenti Leo quartus pridie idus Iunias Romę moritur cum ſediſſet annos viginti menſes quinq; & dies ſeptendecim: ei viceſima ſecunda Iunij Stephanus Diaconus ordine quintus ſed quartus appellatus ſuccedit qui ſecundo vix menſe ſuæ inaugarationis exacto in Galliam properat ut cum Imperatore amicitiam renovet & confirmet: ac ab eo reverẽter & magnificè ibidem exceptus, Remis eũdem Imperatorem una cũ uxore ſacro oleo inungit diademate aureo exornat & Auguſtos nuncupat idque ſecundo Calẽdas Septembris. Quaſi abſque eo foret & Imperator Romanorum dici nequiret. Eodẽ anno Franci Orientales & Saxonum Comites aliqui juſſu Imperatoris in Sorabos ducunt eoſque capto ipſorũ uno oppido ad obedientiam Francorum reducunt.

*816. Leoni mortuo occedit Stephanus quintus.*

*Sorabi domantur.*

Anno autem 817. Godefridi olim Daniæ Regis liberi, cum ab Harioldo patruo varie exagitarentur, nec quietẽ in Dania agere poſſent, miſſis legatis pacem ab Imperatore ſuppliciter petunt ſed cum ſimilationis ſuſpectarentur, nullam impetrant: Harioldo verò auxilia decernuntur. Interea Stephanus Papa circa octavũ Calend. Februarij. diem obit extremũ, cum ſediſſet mẽſes ſeptẽ & dies tres. Ei ſurrogatur à Populo Romano & clero paſcalis presbyter S. Praxedis: qui confeſtim miſſa legatione Imperatori ſe purgat tanquam invitus ad pontificatum capeſſendum inductus eſſet. Et pactum cum anteceſſoribus factum ſecũ renovari petit. Imperator triduo ante paſca, quo cœna Domini celebrari ſolet, quũ finito ſacro è templo domũ Aquiſgrani rediret, ruina porticus antiquæ atque putridę fere opprimitur: multi ſuorum una cum ipſo in terram delapſi damnum accipiunt: ipſe intra viceſimũ diem ſanitati à medicis reſtitutus Neomagum proficiſcitur & venationi indulget. Inde Aquiſgranum revertitur & populi

*817. Stephanus mortuo ſurrogatur Paſcalis presbyter.*

*Lotharius conſors Imperii à patre conſtituitur.*

conventum agit generalem. In eo Lotharium filiorum natu maximum Imperatorem dicit & regni conſortem: cæteros verò reges nominatos. Ludovicum quidem Bajoariæ, Pipinum verò Aquitaniæ præficit. Slaovurium Abotritis jam antea loco Traſiconis dederat regẽ: is dignitatem cum Ceadrago Traſiconis filio partiri juſſus, impatiens ſocij, rebellat & cum Godefridi Daniæ regis liberis in Francos conjurat. Sed & Bernardus Pipini filius Caroli nepos Italiæ rex Conſtituto Lotario Imperatore ſuam dignitatem imminutam ratus adverſus patruum inſtinctu Valonis propinqui ſui & aliorum principum novis rebus ſtudet: Alpum Anguſtias occupat, & præſidijs firmat: verum utrique ſua rebellio exitialis fuit. Nam & Slaovurus prius quam ſe Danicis munuit præſidiis à Saxonicis comitibus comprehenſus majeſtatiſque convictus in exilium mittitur & regnum ejus æmulo datur: & Bernardus Italiæ rex detecta conjuratione, quamvis pænitẽs & Imperatori ſupplex, majeſtatis reus peragitur & ex gratia crudeliter excæcatur & in monaſteriũ detruditur: ubi triduo poſt emoritur.

*Bernardus Rex Italiæ novis rebus ſtudet.*

*Excæcatus moritur.*

Anno ſcilicet 818. die 17. Aprilis. Ea res Ludovico Imperatori magnam invidiam peperit & multarũ in Imperio turbarum cauſa fuit. Neq; enim contentus ſola Bernardi morte Imperator tum fuit, ſed etiam alios molitos conjurationis ſocios aut morte aut exilio aut in monaſteria relegatione affecit: inter quos Drogonẽ, Theodoricũ & Hugonem fratres naturales tondere juſſit: S. Adelbertum Corbejæ Abbatem propinquum ſuum Bernardi filium Caroli Martelli nepotem Valonis fratrem in Herũ inſulam deportari juſſit: viros omnes dignitate virtute & fama nobiles & valde excellentes. Supplicia itaque paucis poſt paſca diebus de conjuratis ſumpto, Imperator in Britannos proficiſcitur & occiſo Murmanno, qui regis nomen induerat, provinciã totam recipit. Inde Andegavos

*S. Adelbertus Vſcia juxta Aldenardum occiſus.*

regreſſus

regreſſus biduo poſt quam eo venit Irmengardim uxorē fato amittit & Heriſtallum ea ſepultâ repetit. In itinere Sigonis ducis qui occiſo Grimoaldo Beneventum occupaverat, legatos cædem excuſantes audit & acceptis magnis donis clementer amittit. Sic ſtirps regia in Grinoaldo Longobardorum interiit. Erat enim Grimoaldus Deſiderii regis Longobardorum ultimi ex filia nepos quemadmodum ſupra declaravimus. Ludovicus autem Imperator Aquiſgrani in hiberna pergit. Ibidemque pro ſtatu Eccleſiæ conventum populi atque procerum habet. In quo capita quædā legibus civilibus addita; clerus ex ſententia epiſcoporum atque abbatum reformatus: gemmarum & veſtium ornamenta ordini eccleſiaſtico interdicta: ab equis ad ſacra ſacerdotes retracti: in omnibus faſtus improbatus & ut à luxuria ad frugalitatem atque modeſtiam rediretur, imperatum. Ea res ſacro ordini parum accepta fuit: qui hactenus liberius vivere conſueverat. Quia autem ex hiſce inſtitutis conjecturam faciebant de voluntate Imperatoris, qua in vitam monaſticā erat propenſior, proceres veriti ne Imperium deſereret ob moleſtias in eo ſubeundas hortanti ipſum ut uxorem alterā duceret & liberis operā quo magis reſpublica ſalva ſit. Illorum votis ipſi liberis obſecutus, extemplo multorum filias inſpicit & ex iis Iuditham Velphi filiam probat & ſibi conjugem adſciſit. Erat autem Velphus Iſenbardi filius Varini Comitis Altorfiani in Suevia nepos ab eventu voce Germanica ſic dictis. Nam cum inter ejus Ermentrudis mulierem quandam in ſua vicini ac tergeminos enixam velut adulteram culeo inſui & in profluentem abjici temerario judicio curaſſet, non ſine die providentia factum fuit ut & ipſa poſtero anno duodecim gemellos quo partu niteretur & ideo perculſa talionem metuens undecim ex illis ancillæ ad rivum deferendos mandaret Quia verò maritus Iſenbardus negotii, quod eveniebat

*3. octobris ſcilicet.*

*Stirps regia Longobardorum interiit.*

*819.*

*Ordo eccleſiaſticus ſe publici corrimoleſtis fert.*

*Imperator ducit Iuditham Velphi filiam.*

ignarus, ancillam ex improviſo obviam habens interogabat quid efferret, illaq; reſponderet, ſe catulos, qui vulgò Velpem dicuntur, efferre ad ſubmergendum, quos mater alere omnes nequiret: atque ita rei veritas detegeretur, cum ipſe Iſenbardus eos inſpicere vellet, evenit ut ancilla cogeretur gemellos expoſitios ad molitorem deportare cum mandato ut rem ſilentio tegeret & illos puſiones fideliter educet. Sexennio elapſo cum & duodecimus à matre Ermẽtrade retentus egregie creſceret & ceteri undecim eundẽ ſtatura & forma repreſentarẽt, curat Pater Iſenbardus, ut propinquis, ad conviviũ vocatis omnes eodem cultu cum ab ovis ad mala ventum eſſet, corã convivis & matre ſiſterẽtur & ab illis quæreret, quid mereretur ſupplicij quę hujuſcemodi infantes necandos exponi voluiſſet: Ibi mater Ermentrudis continuo contremiſcens & facti conſcia, cum ex ſe natos cõſpiceret ſemianimis in terram concidit. Et poſtquam à matronis, quæ aderant, modicum refocillata fuiſſet mariti pedibus advolvitur & peccati veniam petit: Maritus autem quia innocentiam uxoris norat, quodque magis ex ſimplicitate, quam malitia peccaſſet deprecantibus propinquis uxori ignoſcit Deũque laudat, qui male cogitatum vertiſſet in bonum ob eamque rem poſteros ſuos cognomen Velphi id eſt catuli perpetuo ferre voluit.

*Velphus unde ſit dictus*

*Acta hæc res perhibetur regnante Pipino Caroli martelli filio in caſtro Vingarto, quod in monaſterium poſtea converſum nunc Vinea domini appellatur in Bajoaria. Velfus autem ſolus è duodecim ſuperſtes Iuditham ex Catalina Romana fæmina ſuſcepit: ea fratres habuit Rodulphum & Conradum Comites: fuit hoc conjugium Imperatori quidem gratum valde, ſed prioris matrimonij liberis inauſpicatum & incommodum. Hoc anno Friſiorum poteſtas deſignatus eſt Focco Ludigmannus vir generis nobilitate & virtutis gloria inſignite clarus: qui patriam adverſus Normannos feliciter protexit. Nã*

Focco Ludigmannus Friſiorum poteſtas Normãnos arcet.

cum

*cum Harioldus Rex Daniæ profugus juſſu Imperatoris per Abotritos ad naves eſſet reductus, ut in regium ſuum remearet* 820.
*& duo ex filiis Godefridi, ſe ipſi comites adjunxiſſent dolo malo, qui detegebatur; reliqui eorum fratres regno ceſſerunt & anno ſequenti cum claſſe tredecim navium pro more ſuæ gentis piraticam exercere inſtituerunt totumq; vicinũ mare graſſaturis infeſtum tenuerunt. Quòd cum futurum cerneret Imperator omnes portus Britannici littoris præſidiis firmavit piratasq; ab excenſione in terram prohibuit: Quòd etiam tum temporis Friſii fideliter imitati ſunt. Naves enim illæ port⁹ omnes intermedios præternectæ in Flandrenſi littore præduci molientes ab iis, qui in præſidio erant repulſæ tandem in Aquitaniam delatæ et ſpoliato ibi vico Buimio cum multa præda domum reverſæ ſunt incolumes. Fuit autem hoc anno continenter tanta pluvia, ut ex ea corruptus aër peſtilentiam bobus* 821.
*& hominibus intulerit acerbiſſimam: utque fructus agri nec colligi nec collecti durare potuerint. Anno autem octingenteſimo viceſimo primo Kal. Maii Imperator Neomagi conventum populi agit.* Imp. regna partitur inter Liberos.
*Ibi partitionem Regni, quam inter liberos fecerat publicè recitari & proceribus profirmari jubet in ea Ludovico Bojoariam, Pipino Aquitaniam & Lothario reliqua omnia cum Imperio tribuebat ut Nithardus eſt auctor certiſſimus. Inde Aquiſgranum reverſus reliquum ejus anni tempus uſque ad octobrem menſem. Venationi in arduenna indulget Octobri verò menſe in Theodoris villam proceris iterum cõvenire Imperat: Ibique Lothario filio ſuo primogento Erungartim Hugonis Comitis filiam ſolenni jungit apparatu in præſentia legatorum Papæ Romani; qui magna munera conferunt,* Lothario dat uxorem: ignoſcit conjuratis.
*Ibidem Imperatoris clementia quàm maximè palam tunc evitunt. Nam revocatus omnibus, qui in vitam ejus regumq; conjuraverant, non modo vitam membrorumq; integritatem donavit ſed & poſſeſſiones quibus legittimè fuerant privati cũ inſigni liberalitatis teſtimonio reſtituit. Deinde Adelhardũ & Bernardũ Fratres alio deportatos Corbeiæ reddidt. Ipſe Aquiſ-*

grani, Lotharius verò Vormaciæ hiemat. Leo Armenius
822. Imperator à Michaele BalboConſtinopoli interficitur Baldus eidem ſuccedit Harioldus in partem regni à Godefridi filiis receptus pacem Daniæ facit. Sequenti anno Imperator Attiniaci conventum ſacri ordinis & procerum menſe Auguſto agit. In eo primum cum Fratribus ſuis naturalibus quos attonſos in diverſa monaſteria relegaverat in gratiam redit, deinde Adelhardo abbati Corbejenſi & Valacho ſive Valæ fratri ejus, patruelibus ſuis reconciliatur cunctiſq; aliis, quos aliquo modo læſiſſe videri poterat. Tandem etiã ſe maximè erraſſe in fra-

*Imperator omnibus reconciliatus ſibi ipſe pœnitentiam imponit.*

tris filio Bernardo puniendo confeſſus, ſponte ſibi ipſi pœnitentiam injungit deprecans ſacrum ordinem, ut pro ſe apud Deũ precibus intercedat atque pænam averruncet: adeo ad extremum dimiſſus atque humilis, ut etiam ea, quæ jure optimo feciſſet, ſuæ crudelitati imputaret. Ex quo illum fructum tulit ut ſacri homines illum porro partim odiſſe partim etiam contemnere ob levitatem inauditam conſtituerunt, ut in ſequentibus apparebit. Conventu finito Lotharium filium ſuum in Italiam ad jus dicendum & Iuſtitiæ exequendæ una cum Valacho ſuo propinquo: mittit qui & apud Carolum Magnum jam olim

*Corbeja nova in Saxonia. Vide vitam S. Adelhardi apud Surũ 2. January.*

in palatio multum valuerat & jam recens in gratiam redierat eratque Bernardi filius & Caroli Martelli nepos quemadmodum etiam ſupra retulimus. Ejus frater Adelhardus Corbeiæ abbas hoc eodem tempore nova Corbejam in Saxonia condere cœpiſſe perhibetur idque juſſu Imperatoris, qui ea ratione delictum ſuum in Adelhardum commiſſum expiare voluerit. Eodem tempore Imperator Pipino uxorem dat filiam Tietberti Comitis matricenſis. Et celebratis nuptiis in Aquitaniã proficiſci jubet ipſe Francofurti hiemat habito prius cum optimatibus earum nationum generali conventu: in quo lega-

*Lotharius Imperator et Auguſtus à Paſcali papa conſecratur.*

tiones Slavorum & Danorum audit & abſolvit. Menſe majo ibidem alterum concilium cogit, in eo duos fratres de regno Vilzorum contendentes componit & ob induſtriam & populi favorem minorem majori præfert utrumq; tamen muneribus

honeſtat

*honeſtat & ſuo Imperio ſubdit Lotharius Rex cum Italiæ negotiis ferè completis reverſionem ad patrem cogitaret, ut rationes redderet, à Paſcali Papa pro legatos mitatur, ut Romam accedat: Itaque circa paſcæ feſtum cum eo uniſset pontifice ambitioſe primum exceptos deinde apud ſanctum Petrū ipſo ſancto die Coronam Imperialem cum nomine Auguſti ſuſcipit: quo peracto Papiam proficiſcitur: & paulul um ibidem ob negatio commoratus menſe junio ad patrem venit. Mittuntur in Italiam legati, qui reliqua ſuppleant. Vacante ſede Metenſi Drogo frater Imperatoris unanimi conſenſu cleri atque populi nec non ipſiius Imperotoris Epiſcopus eligitur & rumore ſecundo conſecratur. Concilio demiſſo Imperator in calēdas Novembris nonum populi conventum Compendij indicit. Interea fama perpecatur Theodorum primicerium & Leonem nomenclatorem ob favorem in Lotharium Regem in palatio lateranenſi Romæ primum luminibus orbatos, deinde decollatos ea res Imperatorem non mediocriter turbavit. Itaque miſsis legatis ejus veritatem ſcire voluit: ſed cū arte papali pro legato varie eluderetur, Imperator quoque amplius inquirendum non ſenſuit: ſed calendis Novembris ad conventum Compendienſem acceſsit. Ibi cum diverſa referrentur prodigia quæ calamitatis in futurum portenderent Imperator jejunia celebrari, eleemoſynas elargiri precéſque ad Deū fundi ab omnibas & maximè à clero mandavit. Inde Legatos in Daniam mittit qui ſtatum ejus regni cognoſcant ne temerè Harioldo regi de expulſione timenti credat cum iis redit in Franciā Hebo Archiepiſcopus Rhemenſis qui Iuſſu Imperatoris anno ſuperiore eo miſſus multos ibi à paganiſmo ad Chriſtum converterat. Secuta eſt per totum Galliæ regnum immaniſsima peſtilentia, quæ multa millia hominem atque pecorū crudeliſsimè depaſta eſt: quam hiems aſperrima excepit quæ non minus frigore quam peſtilentia ardoro ſævijt.*

**Imperator ob prodigia ieiunibus ac preces indicet.**

824.

Anno ſequenti die quarto decimo Maij Paſcalis Papa Romæ moritur cum ſediſſet annos ſeptem menſes tres & dies

dies ſedecim: ei ſuccedit 17. Maij Engenius ſecundus prælatus ob vitæ honeſtatem Soſimo, qui ab altera parte fuerat electus. Menſe Iunio ex Iuditha uxore Imperatori naſcitur filius qui in Baptiſmo Carolus & poſtea cognomento Calvus eſt appellatus: Legati Michaelis Balbi Imperatoris Conſtantinopolitani decima Aprilis byſantiæ pacis firmandæ cauſa egreſſi mēſe demum Octobri venerūt in Galliam attuleruntq; Ludovico Imperatori libros Dionyſii Areopagitæ græce ſcriptos & comiter accepti ac dimiſſi Romam ad Engenium pontificem proficiſcuntur ut ille de quęſtione quę de imaginibus colendis agitabatur cognoſcat ſicut literis ſuis ad Papam datis Balbus petierat. Defuncto Engelranno Comite Harlebecano cuſtode littoris Flandrici & ſaltuario ſylvæ immanis, quā ſine miſericordia ſilvam appellavit antiquitas, ſuccedit filius Odoacer vir ſtrenuus & reïpublicæ utilis tertius ejus regionis ſaltuarius ſine cuſtos, Interea ſequenti anno prima Novembris Ludovicus Imperator ſinodum ſuper eadem quęſtione pariſiis coire jubet: q̃ illi obſequens, diſtinctè conſtituit, Imagines ſanctorum ſtulta præſumptione non eſſe confringendas nec ad injuiam ſanctorum abolendas & penitus deſpiciendas: ſed potius adorationis ſuperſtitione remotâ, juxta veram religionem, memoriæ & amoris cauſa eſſe retinendas: ſicut à Beatiſſimo Gregorio ſatis Catholice perſpicueque ſit declaratum. Sed aliud poſtea magis inolevit ex Papæ decreto, cui parendum fuit. Miſerat autem jam antea Ludovicus Imperator filium ſuum Lotharium in Italiam ut diſſenſiones urbis Romæ, quæ multæ erant, componeret & de electione Pontificis Eugenij cognoſceret. Is eô ubi venit, repperit ſtatum populi Romani quorundam Pontificum atque Iudicum perverſitate corruptum multos ſuos rebus ſpoliatos; quibus reſtitutis gratiam magnā à populo iniit: conſtituit inſuper Lotharius, ut juxta morem antiquum ex latere

*Carolus Calvus naſcitur*

*825.*

*Concilium Pariſienſe cultu Imaginum.*

Imperatoris

Imperatoris mitterentur qui Iudiciariam exercentes poteſtatem, Iuſtitiam omni populo facerent & tempore, quo viſum foret Imperatori æqua Lance penderent. Quòd ubi à filio reſciſcunt Imperator, valde eſt gaviſus. Hinc celebrato Aquiſgrani populi conventu, cum legatos Belgarum dimiſſet, audita Britannorum nova rebellione, in eos duxit & duce eorum interfecto totam provinciam ſibi reddidit obedientem: Inde Aquiſgranum menſe auguſto reverſus conciliū procerū egit in eoque menſe octobri pacem, quæ petebatur, Normannis dedit. Ipſe cum Lothario filio Neomagum ivit: Ludovicū verò filium Iuniorem poſtulantibus Boijs regem conſtituit & in Bojoariam ire juſſit: qui cum uxore ſua Hemmâ eo profectus, Hoc anno Reginoburgij habitare & regnare cœpit teſte Iohanne Aventino Bojorum Hiſtorico. Pace cum Godefridi liberis in Danorum regno confirmata venit cum uxore ſua Moguntiam Rex eorum Harioldus non modica popularum manu comitatus & ad S. Albanum cum omnibus ſuis Baptiſmi ſacramento initiatus multiſque muneribus ab Imperatorore donatus, eadem via, qua venerat per Friſiam in regnum eſt reverſus: utque ſecurior domi eſſet & ſi neceſſitas urgeret perfugium haberet condonavit eidem aut fratri ejus Errico Imperator comitatum Ruſtros qui hodieque Rruſtringia in Friſia Orientali nominatur Rorico fratri ejus Doroſtadiū cōmittitur. Cum autem nemo doctorum cum Rege ad Danos ire vellet ob Barbaricam crudelitatem, qua gens illa eſt infamis, ex nova Corbeja obtulit ſe S. Anſcarius cum ſocio Gaudberto, qui non, ſolum ad Barbaros verum etiam in mortē pro Chriſto ire erat paratus. Erat autem Anſcharius natus in civitate Friſiæ Vardena, quam progreſſu temporis inundatio maris oppreſſit & abſtulit, Vltrajecti in ſcola S. Gregorii Epiſcopi tertii inſtitutus, inde Corbejam Saxoniæ petierat vitæ monaſticæ ergô & in tantum profecerat

*Ruſtringia Friſiæ Comitatus datur Harioldo Regi Daniæ.*

...charius natus Vardena ... Danorū et Suedorū

ut ſanctam hanc legationẽ ad Barbaros ſuſcipere non for-
826. midaverit. Itaque Daniam cum rege ingreſſus, ibi multos ad fidem Chriſti convertit: & biennio exacto domum reverſus cum iterum ab Imperatore poſtularetur ut ultimos Sueonum populos (quos nunc Suedos vocamus) Euangelij gratia tentaret, intrepidus Chriſti athleta aſſumptis ſecum fratribus Giſlemaro & Withucaro doctoribus cum gaudio profectus eſt in Daniam: Ibique relinquens Giſlemarum Harioldo, id ſe cum Withmaro in Sueoniam transfretavit: ubi benignè à Rege Biorno ſuſcepti verbũ Dei publicè prædicare ſunt permiſſi. Multos itaq; anno vertente, lucrati ſunt D. Ieſu Chriſto: in quibus Hertgarius, oppido Bircæ præfectus, credidit, quem tradunt etiam miraculis & virtutibus fuiſſe inſignem. Hac legationis ſuę ꝓſperitate gaviſi Corbejam novi Apoſtoli cum triumpho duarum gentium regreſſi ſunt.

827. *Anno autem poſt octingenteſimum viceſimo ſeptimo Euphemus Siciliæ præfectus exemplũ ſui domini ſecutus (qui anno ſuperiore uxorem duxerat monialem Euphroſynam Conſtãtini Imperatoris filiam) vi rapit monialem eamque invitam & cum ob id ad pænas ab imperatore Michaele expoſceretur, ad Saracenos confugit in Africam, eiſq; promittit ſe ſi exercitu inſtruentur, Siciliam ipſis ſubjecturum quod & fecit. Saraceni autem non tantum Sicilia potiti ſunt ſed & poſtea magna parte Italiæ in Apulia & Calabria, proditor verò hoc precium ſui flagitij tulit, ut à duobus Siculis oppreſſus eadem æſtate capite truncaretur. Eodem tempore Saraceni quoque In Hiſpania Gallæciam & reliquas Chriſtianorũ regiones ferro & igne vaſtant. Filij item Godefridi reges Harioldum ſocium regno Daniæ deturbant. Eugenius Papa cum ſediſſet annos tres mẽſes duos dies viginti tres undecimo auguſti moritur, ſuccedit Valentinus qui ſedit dies quadraginta. Poſt hunc die vigeſimo quarto Septembris eligitur Gregorius quartus: qui & Leo quartus teſte Sigeberto Gemblacenſi eſt vulgò dictus.*

*Sarraceni Siciliam Calabriam & Apulum occupant.*

*Gregorius quartus Papa Romanus*

*Qui non prius conſecrari voluit, quâm Imperator electionem cleri atque populi Romani habuiſſet ratam, ut in vita Ludovici Imperatoris ſcribitur. Vbi additur eodem anno & menſe legatos Michaelis Imperatoris veniſſe Compendium munera attuliſſe, nobiliter ſuſceptos, opulentiſſimè curatos, liberaliter numerales & proſpere regreſſos. Quum Saraceni Galliam ex Hiſpaniâ infeſtarent, indictum fuit ab Imperatore triduanum Iejunium in toto ſuo imperio obſervandum ut eorum graſſatura compeſceretur. Sed & præfecti limitum puniti, quorum ignavia Saraceni in Galliam perruperant: qui tunc etiam cum Sicilia ejici non poſſent occaſionem Imperatori dederunt, exercitum mittendi in Africam: qui vaſtationibus & cladibus eô Saracenos redêgit, ut ad defendendã Africam Sicilia exiret. interea Gregorius Papa adverſus Saracenos piraticã tunc exercẽtes Oſtiam civitatẽ reparat & quaſi novã inſtaurat eoſq; ab exſcenſione feliciter repellit. Cum verò ad confinia Normannorum Saxoniæ Comites Imperatoris juſſu conveniſſent, ut & fœdus ictum cum Godefridi Daniæ quondam Regis filiis confirmarent & Harioldum Regem in ſocietatem regni reſtituerunt: Harioldus data occaſione, rei bene gerendæ nimium cupid⁹, rupta pace Normãnorũ aliquot villas incẽdit atq; diripit.* 828. 829. *Hoſtia civitas inſtauratur.* *Pax inter Harioldum & Godefridi filios.*

Quo audito, Godefridi filii ſubitò coactis copiis ad fines convolant: Francos in ripa Egidori fluminis conſidẽtes exinopinatò obruunt, caſtris ejiciunt, bona diripiunt & ſe ſine damno aliquo ad ſuos recipiunt. Rei autem veritate comperta ad Imperatorem legatos dirigunt, culpam deprecantur & in Harioldum transferunt, ſatisfactionem offerentes arbitrio Imperatoris, modo pax inter partes ſeriò confirmetur: quod Imperator fieri jubet. Qui medio menſe Auguſto Vormaciæ conventum populi agit: ubi omnia dona ſolemni more accipit: Varias legationes audit & abſolvit: eoque finito Lotharium in Italiã mittit: Bernardum Septimaniæ Comitem cubiculo ſuo præponit eique filium Carolum in manus dat: & ſecun- *Bernardus Septimaniæ Comes Caroli Calvi & aulæ moderator.*

das in Imperio partes agere jubet. Eodem anno Michael Balbus Imperator calendis Octobris Conſtantinopoli moritur, cum Imperaſſet annos octo, menſes ſeptem & dies novem, princeps improbus & cum Saducæis ſentiēs ſuccedit ei filius Theophilus, qui Iuramēto propoſito explorat ſubditos an ſint imaginum cultores & deprehēſos in vincula conjicit: Occidit omnes quorum auxilio Leo Imperator quondam fuerat occiſus.

*Anno autem poſt octingenteſimū trigeſimo cum Bernardus Septimaniæ Comes ſupradictus ſua poteſtate abuteretur & inſolentius ageret, ſacri ordinis homines & præcipue illi, quos ab infima ſorte ad sūmos honores evexerat, Imperator, adverſus ipſum cœperunt inſurgere: Perſuadent Pipino Aquitaniæ regi Bernardum cum Iuditha noverca ſtupri conſuetudinem habere, Imperatorem adeo ab illis faſcinatum, ut turpitudinem domus & uxoris ſuæ non videat aut intelligat, dicere filium ut patrem hoc onere liberet, iis ſublatis, qui illum ita devinctū teneant. Imperator: His cognitis Bernardum quidem fugere jubet, uxorem autem Lauduni commorari: ipſe Compendium proficiſcitur. Hi qui cum Pipino erant Iuditham Lauduno ſecum ducunt, miniſque eo adigunt, ut promittat ſe Imperatori, marito, ſi colloquendi ſeorſim cum illo facultas detur, perſuaſuram, ut dimiſſis armis & capillis attonſis monaſterium ingrediatur, quod & ipſa factura ſit. Eam rem quanto plus cupiebant, tanto facilius tum conjurati credunt. Ducta tum ad Imperatorem Iudita, ut velum ſuo capiti imponat, impetrat, quo mortis periculum ipſa evadat Imperator autem deliberādi ſpacium petit. Illa ad conjuratos reverſa exilio deſtinatur & in monaſterium S. Radegundis detruditur Conradus & Rodulphus Iudithæ fratres attonſi Pipino in Aquitaniā ſervādo committuntur. Interea circa Majum menſem Lotharius ex Italiæ Compendum venit inibiq; patrem repperit: Quamvis autē ille patri nihil dedecoris tum intuliſſe eſt viſus, probavit tamen omnia quæ in patrem geſta erant. Inſuper & Heribertum*

*Seditio in Imperatorē & uxorem ejus à clericis Gallicanis*

tum Bernardi fugitivi fratrem Luminibus privato & odonem conſobrinum ejus. Deportari permiſit tanquam eorum quæ Bernardo & Iuditæ acclamabantur, conſcios & fautores. Vt autem porro Imperatorem conjurati magis excrucient & ſuæ libidini ſatisfaciant, primo autumno conventum populi generalem in Francia indici ſummopere contendūt: refragatur Imperator, quis Francis diffidebat & in Germania enim convocari poſtulat: obtinétque ut Neomagi celebretur: cum mandato, ut qui eo venturus ſit cum ſimplici comitatu accedat, ne à multitudine adverſariorum opprimi poſſet. Fines deniq; ibi cuſtodiri & jus ſeverius dici à Comitibus jubet. Neomagum ubi eſt ventum tota pæne Germania adfuit Imperatori ſuppetias Latum. Quo viſo animi adverſariorū concidunt. Vt autem eos magis extenuet Imperator Hildevium S. Dionyſij Abbatē rogat, cur juſſus venire ſolus cum armato ſodalitio adſit? eumque ſtatim Paderbornam ire ibiq; in agro ſub pellibus degere jubet donec revocetur. Valonem item Abbatem propinquum ſuum Corbejam mittit. Duobus his capitibus exemptis conjurati fremere, ad Lotharium regem currere, arma poſcere: Sed ad patrem vocatus Lotharius cum paruiſſet & ei dicto audiēs eſſet, vulgi furor facile ceſſavit, ubi pater atque filius Imperatores in aſpectum ejus palam venerunt. Tumultu ſedato, quid de conjuratis agendum deliberatur: omnes tam filij, quam alij proceres à conjuratione alieni, eos capitali ſentētia percutiunt & morte afficiendos cenſent. Imperator quenquam ex iis occidi vetat, in liberas eos cuſtodias mittit, idq; magis ex agnata clementia, Quam ex reipublicæ commodo, quæ tum diſciplinæ ſeveritatem magis exigebat. Odium in Imperatorem conceperant ſacri homines primum ob leges, quas ad emendationem morum in eos tulerat: deinde ob crudelitatē qua erga Bernardum Italiæ regem & aliquot antiſtites fuerat uſus: Illud odiū dum levitate corrigere ſtudet, reſtitutis illis, quos legittimè damnatos vita donaverat, in contemptum incidit, adeò ut inimici ejus putarent juſtas ſe odii cauſas habere præſertim cum

820. Germani Imperatorem ab adverſa factione liberant.

Levitas Imperatori dānoſa. ipſe palam in conventu publico peccatum ſum confiteretur & ab illis veniam peteret. Enimvero cucullo, quam ſceptro aptior Ludovicus Imperator, hoc ſuæ pietatis precium tulit, & feret ſucceſſu temporis amplius. Dederat is ante mortem uxoris primæ Pipino Aquitaniam, Ludovico Bojoariam, Lothario verò Italiam & totius porro Imperii conſortium: ducta autē Iuditha, natoq; Carolo, cum nihil reſtaret, quod filio illi daret adegerat Lothariū Iuramento, ut ipſi permitteret Carolo dare partem Imperii, quam vellet ſeque promitteret illius fore tutorem & defenſorem perpetuū. Illo pacto Lotharii ſubnix⁹, Imperator Carolo donat primam Rhetiam, Alemaniam & partem Burgundiæ. Ea res ubi emanavit primo Hugonem ſocerum & amicos ejus Lotharij affinres male habet: quamobrē & ipſi Lotharium inſtigare ut fidem patri datam frangat, nec ſe fraudari Imperio promiſſo patiatur occipiunt. Lotharius injuſſa re & quoniam patri ob jusjurandum datū palam adverſari non audebat, occultè manibus pedibuſq; laborare, quo patrem fallere & eludere queat ſatagit, Igitur damnatis conjuratis, ita ut dixi, Lotharius quidem apud patrem manſit, & una
831. cum eo Aquiſgrani hibernavit, profectúſque eſt poſt paſca cū illo Ingelhemum ad conventum ibi indictum. At hinc demiſſus in Italiam ea lege, ne quid in patrem & rempublicam moliretur novi; cum audiſſet Aquitaniam Pipino ereptam & Carolo datam, occaſionem viſus eſt ſibi accepiſſe, quo iterum in patrem inſurgeret. Interea Imperator Iuditham uxorem cum fratribus ejus attonſis ex Aquitania revocat: damnatis etiam omnibus ex pietate ſolita dat veniam & in integrum reſtituit. Primo autem autumno in Theodonis villa populi conventum agit: ad eum tum revertitur Bernardus, qui fugerat, Septimaniæ Comes, accuſatoreſq; ad ſingulari certamen provocat: qui dum non comparent, quamvis vocati, ſacramento ſe à crimine objecto purgat & in aulam recipitur. Iuſſus erat & ibi adeſſe Pipinus ſed is niſi conventu finito nō venit: retentúſque à Patre uſque ad natalem domini, eo inſalutato in Aquitariam revertitur

*revertitur. Ibi cum Bernardus cum eo converſari diceretur & conſilia communicare, iterum Pipinus evocatur ad conventũ Aurelianenſem: cumque invitus compareret in cuſtodiam datus & Treveros perduci juſsus rurſus elabitur & patre digreſſo in Aquitaniam redit: Bernardus licet purgationi ſe offerret abdicare juſſus & ab aula ſecedere. His actis iterum inſtigati Imperatoris hoſtes, nova in ipſum conſilia coquunt. Ajunt enim plane uxorum eſſe factum, prioris matrimonii liberos omnino odiſſe et velle perditos: eoſq; denuo coeuntes hiſce ſuſpicionibus implent. Quum & ipſum Lugduni in Synodo Imperio deponi jubent. Quod Imperator Vormaciæ ut audivit, & ipſe cum exercitu in liberos properat, filii autem in Alſatia jam ſtativa habebant & Gregorium quartum Papam ſecum circumducebant: is ab illis ſubornatus tandem ad Imperatorẽ vadit, ſe tumultum & diſcordiam inter patrem & filios compoſitum venire ſimulans.*

Qui ab Imperatore pro illo tempore ſatis honorificè quidem ſuſcipitur, ſed non cum ea gratia qua priores papæ ſuſcipi ſolebant: nec enim merebatur. Nam donec apud Imperatorem fuit, nihil aliud occulte egit, quàm ut populũ ab eo averteret, qui partim donis abſtractus, partim promiſſis illectus, partim minis territus Imperatorem in procinctu ſtantem deſerit & ad inſtar torrentis ad filios ſtatim confluit: unde locus ille, ubi illa deſertio Imperatoris facta eſt, contumeliæ nomen tunc juverat, ut diceretur campus mendacii; quia ſubditi ſuo domino in eo fidẽ fefelliſſent atque eſſent mentiti. Imperator itaque à populo ſuo ita deſertus in filiorum poteſtatem venit, uxor iterũ ab eo abducitur & in Italiam relegatur: Carolus filius ejꝰ Primum in monaſterium mittitur: Lotharius tanquam ſolus Imperator omnia ad ſe rapit, patrem ſecum per diverſas regiones circumducit quo viſo, melioris notæ atq; fidei proceres ad ſe reverſi cum cernerent unumquemque ſuis inhiare cõmodis, rempublicam verò negligi cœpere

*Auctor vitæ Ludovici Imperator anonymus apud P. Pythœum.*

pere

pere ſtomachari, veterem ſuum Imperatorem requirere & tandem eo viribus contendere ut illum ſuo loco in integrum reſtituant: obſtat Lotharius quantum poteſt, verum ubi videt ſe ab omni parte tàm ab ordinibus, quàm a fratribus urgeri, nec poſſe per vim obtinere patre vivo Imperium, quod jam ſpe devoraverat; patrē tandem in monaſterio D. Dionyſii relinquit: eo confluunt ſtatim ejus amici viri utriuſque ordinis nobiliſſimi, hortantur ut Imperium capeſſat & ſe ipſe Imperatorē ſciat & profiteatur: facturum negat. Verùm quia decreto ordinis eccleſiaſtici ſit depoſitus, vult etiam ab eodem reſtitui: quod cōfeſtim rebus ipſis adimpletur anno 834. Reſtituto Imperatore Lotharius ſe Viennę continet, & poſt excurſionem in Catalaunos cum res ſuas in pejus vergere perſpicit ex mandato patris In Italiam concedit non rediturus inde niſi evocetur: idque juramento firmat. Rebus in Gallia ſic turbantibus, Friſii in magno metu erant ob Normannos, qui toto oceano piratam exercebant. Cogebantur enim Friſii quotidie ad Littus excubare cum armis quinque ligone ſcilicet, furca, ſcuto, gladio atque lancea, cum ut maris æſtum coercerent, tum etiam ut feros viſungos id eſt piratas amolirentur. Erant tamen interea novæ religione valde addicti. Condebant enim templa, quę alteribus & imaginibus ex more ſeculi illius ornabāt: exſtruebant monaſteria, eaque dotabant opulenter. Circa hæc enim tempora ædificatum fuit monaſterium Doccomi in loco, ubi S. Bonificacius ob Chriſti profeſſionem mortē obiit: habitatum primo à Canonicis D. Benedicti regulā ſecutis, deinde à præmonſtratentibus. Scribitur in annalibus anno Chriſti 834. Marquardum à Canga virum doctrinâ & pietate inſignem ad ſummum hujus monaſterii altare obtuliſſe tabulam in qua paſſio domini noſtri Ieſu Chriſti fuerit depicta, cum aliis multis donatiis, quæ illius viri religionem manifeſtam facerent. Refertur quoq; eū fratrem

*Lotharius juſſu patris in Italiam abit.*

*Monaſterium Doccomienſe ædificatur.*

fratrem Boialdũ Iepko à Canga (quæ familia nunc Camminga Libenter audit) veniſſe ex Dania à Rege proſcriptum eô, quod adulari neſciret aut nollet: apud Marquardum Hoſpitio exceptum obiiſſe diem extremum, duobus relectis filiis & in Monaſterio Doccomenſi ſepultũ. Marquardus autem à Canga reliquit poſt ſe filium Hajonem virum egregiè pium atque doctum: Hajo primum calicẽ argenteũ donaſſe templo dominico quod Almeni fuit ad S. Michaelem Archangelum perhibetur, quandoquidem æditui ejus templi ipſi copiam deſcribendi feciſſent privilegia, quæ Magnus Fortemannus uxoris ſuæ avus, à Carolo Magno rebus fortiter geſtis promeruerat eadẽque ad majorem ſecuritatem in adyto Doccomenſis monaſterii depoſuiſſe. Is etiam fertur Eſonſtadium ad laviçe oſtium inſtauraſſe & priſco ſuo nomini reſtituiſſe addidiſſeque oppido arcem robuſtã quam ſuo nomine indigitaverit, ut Hajo diceretur. Sed hæc poſterius geſta ſunt. Annno autem 832. Hildegrimus S. Lutgeri primi epiſcopi monaſterienſis frater germanus apud Halberſtadum Epiſcopus moritur cum ibi eccleſiam rexiſſet annos ſeptẽ & annos antea quadraginta epiſcopatui Salingſtadę quæ poſtea oſtervica dicta, præfuiſſet, à Carolo Magno illi anno 785. præpoſitus. At S. Anſgarius item Friſius qui apud Suecos, atque Danos Legatione hactenus erat functus in comitiis Wormacienſibus, ab Imperatore Lodovico Hamburgenſis ad Albim conſtituitur Archiepiſcopus, ut cunctis illis vicinis Danorum, Suecorum & Slavorũ nationibus Euangelium annunciet, doctrina & moribus præſit. Conſecratur autem à Drogone Metẽſi Epiſcopo cæſaris fratre naturali, adſtantibus atque faventibus Otgario Moguntinenſi, Ebone Rhemenſi, Hettone Treverenſi, Willerico Bremenſi & Helingando Ferdenſi epiſcopis: quibus duobus poſtremis ea diœceſis jam antea cõmiſſa fuerat, Gregorio quarto Papa Romano factum ap-

*832. Hildegrimus moritur.*

*Anſcharius Archiepiſcopus Hamburgenſis.*

H. Cãnga
Cal: argentea donat Templo in Almeni

Esonstad instaurat

Tredas

esonstade anses

probante pallii donatione,uti narrat Albertus Abbas Stadenſis. Quia autem illa ſedes ob viciniam Barbarorum quotidiano ſubjacebat periculo, addidit ei Imperator in Gallia Thuraltum cœnobium ut ſi ſede ſua pelleretur Archiepiſcopus confugium haberet, quo ſe reciperet. Beatus autē Anſcarius nunc Danos, nunc tranſalbinos adiens,innumerabilem utriuque gentis multitudinē perduxit ad Chriſti fidem,Datus eſt etiam ei in auxilium prædicationis Ebo Remenſis Archiepiſcopus: qui ſeu fatigatione itineris ſeu corporis debilitate impeditus ſive potius occupatione ſeculi delectatus vicarium pro ſe dedit Anſchario nepotem Gaudebertum, quem ipſi ambo conſecrantes epiſcopum vocaveruntSimonem miſeruntque divinæ gratiæ commendatum in Sueoniam.

*Ebo Archiepiſcopus Remenſis.*

Fuit hic Ebo trans Rhenum humili loco natus, ob ingenium & eruditionem ab Imperatore Ludovico ad Archiepiſcopatum Remenſem perductus ſed immemor cō-
833. ditionis ſuæ valde in dominum ſuum ingratus. Nam anno hunc ſequenti inter conjuratos, qui Imperatorē abire magiſtratu compulerunt, primas tenuit. Cæteris autem
834. poſtea fugentibus una cum Lothario, cui faverant, in Italiam,ipſeRhemis manſit nec prius pænitudine facti du-
835. ctus eſt,quam anno 835. ab Imperatore cum cæteris Metum ad comitia vocatus,aliis Latitantibus, ipſe ſolus cōparuit & culpam ſuam agnovit & ſe indignū Archiepiſcopatu cōfeſſus ad vitam privatam rediit:pro ſcelere manifeſto nullam pænam expendens. Tanta erat Imperatoris clementia ut etiam ingemuerit cum lachrymis cum poſtea audiret inimicos ſuos, qui ipſum exauctoraverant & filii partes ſectati erunt,In Italia diem objiſſe extremū Anno autem iſto Gregorius quartus PapaRomanus Galliæ atque Germaniæ feſtum omnium Sanctorum calendis Novembris celebrandum obtruſit & Imperiali mādato roborari fecit. Interea Lotharius in Italia antiquum obtinet,

*Feſtum omniū Sanctorum à Gregorio quarto inſtitutum.*

obtinet, ſpoliat & expilat Eccleſiæ Romanę ſubditos immemor ſacramenti quod proavus, avus atque pater Imo ipſus eccleſiæ Romanæ juraverant: quamobrem à patre miſſa legatione increpatur, & ut eccleſiæ ſua reſtituat, acriter admonetur. Enimvero ea re tantopere in filium excanduit Ludovicus, ut ſibi manſiones in itinere parari & ſtativa conſtitui mandaverit, qua Romam proficiſceretur: & ſane eo iviſſet ipſe niſi Normannorum in Friſiam irruptio ipſum retinuiſſet. Eo enim nuntio accepto, iter convertit, exercitum conſcribit &, niſi hoſtibus Normānis è Friſia fugatis domum revertitur. Verum paulo poſt iidem Normanni claſſe advectiDoreſtadiū in Batavia vaſtant: Antverpiam civitatem incendunt & Witlam Emporium juxta oſtium Moſæ fluminis ſitum igne cremant: Inde in Friſiam redeunt: tributum ab incolis accipiunt. Sed & anno ſequenti Doreſtadium ſecundo vaſtant & à Friſiis iterum tributa exigunt. Quod etiam in Walachria faciunt Eggehardo Inſulæ comite & Hemmingo Halpadani filio multiſque aliis circa 15. Kalend. Iulii occiſis. In Italia eo item anno peſte conſumitur Wala primum, deinde Ieſſe olim Ambianenſis epiſcopus, Helias Tricaſſinę urbis antiſtes Hugo, Matfridus, Lambertus, Godefridus & filius ejuſdem cum patre nominis comites. Item Albertus Comes Pertenſis, Burgaretus præfectus quondam Regiis venatoribus & tandem etiam Richardus: qui omnes in Imperatorem antea conjurati & Lotharium ſecuti; intra Calendas Septembris & divi Martini ferias vitam cum morte commutarunt. Quorum diſceſſu Francia dicebatur nobilitate orbatâ fortitudinequaſi nervis ſucciſis eviratâ & prudentiâ deſtituta. Verum enimvero his ſublatis oſtendit Deus vanam eſſe omnem Humanam ſapientiam nobilltatem atque fortitudinem, ſi à ſua gratia deſerantur. Mirari decet hic Imperatoris animum, qui de morte inimicorum ſuorum nuntio accepto, ita ſe geſſit

Norm: irruunt in Friſiam.

*Doreſtadiū Antverpia Vitla urbes à Normannis male habita: Friſia tributum pendit.*

*836.*

*Cunjurati peſte pereunt*

moderate, ut lachrimis profuſis illis ſalutem æternam ſit præcatus, ne dum ut illorum fatis inſultaverit. Eodem anno apud Vltrajectinos grandis natu moritur Rix fridus Friſius ejus civitatis epiſcopus ſeptimus, tertio nonas Octobris cum ſediſſet annos triginta tres. Succeſſit ei in cathedra S. Fredericus item Friſius, dictus Adelēſis: quia in Adelburgo caſtro Sexbieromi in Friſia erat natus. Pater ejus Adel dictus uti perhibent equeſtris ordinis inter primarios, mater ejus Conovella Adgilli Secundi Regis Friſiorum filia fuit, ſoror Gundobaldi & Radbodi Regū.

*Rixfridus Epiſcopus ſeptimus Vltrajecti moritur.*

Hæc fæmina cum eſſet in Chriſti inſtittutis educta invito etiam marito filios ſuos Fredericum & Albericum Rixfrido antiſtiti ultrajectino dederat in diſciplinā, ut in bonis literis atque moribus vitam traducerent: Ambo autem ſub illo præceptore tantos progreſſus fecerunt, ut Fredericus quidem mageſtro, Albericus verò fratri in Epiſcopatu ſucceſſerit. Ajunt enim à teneris ungviculis Frederico eam fuiſſe indolem, ut ſemper à jocis atque Luſu averſus in ſeria animum intenderet, utque à gradu in gradum officii altioris progederetur virtutem habuiſſe ducē Ex quo hoc ſit cōſecutus, quandoquidem in omnium oculis quotidie verſabatur, ut ob ingenii dotes & animi pii recte compoſitos mores non tantum vulgo, verum etiam ipſi Imperatori rumore ſecundo innotuerit. Nam cum de morte Rixfridi ad Imperatorem eſſet relatum, cleruſque ultrajectinus cum populę Fredericum elegiſſet ac legatos eo nomine pro confirmatione mitteret, Imperator ſtatim, ut ultrajectinos vidit, etiam legatione non audita, mandavit, ut Fredericum in locum Rixfridi collocarent, cumque legati hoc factum narraſſent Imperator cū gaudio ſubjecit, divinitus hoc eveniſſe videri quod populus atque Clerus ſecum in illum unum conſenſiſſent. Itaq; ſtatim etiam Fredericum accerſi & apud ſe conſecrari voluit. Peſtquam autem Fredericus Aquiſgranum venit

*Fredericus Adelenſis Epiſcogus Trajectēſis.*

(Nam

(Nam ibi tum Imperator Hibernabat) coram Imperatore conſiſtens magna alacritate ab illo exceptus & ſtatim aſſidere Iuſſus eſt. Fredericus autem ubi Imperatoris ſententiam cogmovit, multis ſe quidem modis excuſavit ne ipſe indignus tanta ſede conſecraretur Epiſcopus: verum ubi videt excuſationi locum non dari, mandato Imperatoris licet invitus modeſtè obtemperat & in magna procerum accepto pedo paſtorali frequētia ſe conſecrari patitur, poſtquam a Deo veniam percatorem multis lacrimis atque precibus eſſet precatus. Ceremoniis ſacris inde peractis, Imperator Epiſcopum Fredericum ſplendido cum ſuis excepit prandio & multis hinc inde habitis de religione atque republica ſermonibus, cum lætitia omnium in ſuum hoſpitium deduci juſſit Poſtridie ſummo mane, iterum accitus Fredericus coram Imperatore cum aſſediſſet, ab illo commonetur, ut verbum Euangelii fideliter prædicet, ut gentes aberrantes caſtiget, in viam rectam adhortando reducat, precipue verò det operam, ut inſulares Homines, qui Walachriam habitant à prava libidine ad rectum matrimonii uſum revocētur: Ibi enim eſſe quoſdam perverſos, qui ab eccleſia exorbitantes, ſe cum ſororibus filiabus atque matribus commiſceant. Hi ut caſtigentur per deum unum atque ſanctum Imperator epiſcopum adjurat: idque nullo perſonarum reſpectu habito. Eo audito cum epiſcopus ingemiſceret quæreretq; ab Imperatore, ſi præcepto ejus obtemperaret & inceſtos coargueret an id cum gratia ipſius facere poſſet: reſpōderetque Imperator, Epiſcopum non modo gratiam eo nomine ab ipſo initurum ſed ipſum etiam Imperatorem habiturum in puniendo auxiliarem: Epiſcopus eo reſponſo animatus: dic mihi inquit ſereniſſime Imperator, ſi piſcis ſit comedendus à capite ne an à cauda ſit auſpicandum & ſi domus ædificanda fundamento ne an in tecto primus ſit lapis deponendus? Imperator iſta audiēs, cum fa-

*Abuſus matrimonij apud VValachriam inſulam.*

Fred: Ep: imp: crim: arguit

cile perſpiceret, quorſum epiſcopus intenderet: à capite inquit piſcis & à fundamento domus incoanda mihi videntur. Recte inquit epiſcopus reſpondiſti domine, hoc enim volebam. Cum itaque tu ſis totius populi tui caput & eccleſiæ Dei, quæ eſt in eo, fundamentum, quandoquidem omnes coram Deo peccatores ſumus & emēdationis indigemus, conſequens eſt ut à te exordiar, quo tuo reſponſo conformis fiat exædificatio. Eſt tibi domine Imperator in contubernio Iuditha Welphonis ex Suevia filia ex qua gente etiam mater tua oriunda fuit, hæc ea cognatione te contingit, ex qua Iura canonū vetant uxorem duci. Eam igitur niſi dimitas inceſtum cōmittis & graviter in deū & eccleſiam malo exemplo peccas. Divus enim Gregorius in canonibus ſtatuit eum, qui neptem ſuam duxerit, eſſe anathema. Cum autem multis ſcripturæ divinæ locis hanc ſuam ſententiam beatus Fredericus & qui cum illo aderant Epiſcopi cōfirmarent & exaggerarent nec ſatis ad ea quæ dicebantur Imperator attenderet: ſubjecit Fridericus: Nos quidem, domine Imperator, juxta apoſtolum, Deum timere debem⁹ ejuſq́ue ſervare mandata te autem autem honorare & in bonis tibi conſentire: mala non modo non approbare ſed etiam corrigere dicente propheta: Si non fueris locutus, ut cuſtodiat ſe impius à via ſua, ipſe impius in impietate ſua morietur: ſanguinem verò ejus de manu tua requiram. Qnamobrem ſi nos tibi tuum peccatum non indicaremus nec tu ab illo deſiſteres admonitus, nos una tecum propter ſilentium, æternę damnationi eſſemus obnoxii. Deum autem iraſci propter peccatum tuum vel inde perſpicis, quod jam anno ſuperiore Murmannus tibi natus hoſtis eſt in Britannia, qui magiſtratus à te miſſos inde exegit & contra te ſe regem dixit: quodque Normanni jam bis in noſtra viciniaBatavodurum vaſtaverint & non tantum bis è Friſia, verum etiam ſuperiore anno è Walachria, ad quam me ire jubes atque etiam ibo libens

*Mildegardis*

*B. Fredericus accuſat Imperatorem inceſti.*

tributum exegerint quorũ ſimilia aut etiam majora eoſdem in populum tuum auſuros jam tibi prædico, niſi reſipueris & Iuditha relicta ad penitentiam te cõpoſueris. His auditis Imperator rubore perfuſus atque altum ſuſpirans: peccavi (inquit) & malũ coram domino egi; orate pro me, ut ipſe miſereatur mei: emendabo errores meos. *Si inquit pontifex) vere & ex animo te facti pænitet, miſericors eſt dominus nec vult mortem peccatoris, ſed ut convertatur & vivat. His aut ſimilibus ultro citroq; verbis habitis cum tempus prandii inſtaret, Imperator beatum Fredericum cæteroſq; qui aderant epiſcopos ad capiendum cibũ invitavit & bene acceptos abire permiſit unumquemq; domum ſuam. Beatus autem Fredericus Rheno deuectus cum veniſſet Trajectum à clero atque civibus magno cum gaudio excipitur & in templum D. Mariæ virginis deducitur, unde finito ſacro & concione peracta porro in caſtellum vadit, ibique domiciliũ capit, quod collapſum alicubi reparat et ſuis uſibus idoneum reddit.*,,

*Imperator dimiſſo Frederico ad ingenium redit, ex uxoris admonitu Carolum filium parte regni Francici donat, quæ à mari per fines Saxoniæ uſque in fines Ripuariorum & inde per Siquanam uſque in Oceanum & per ipſum mare uſque in Friſiam tendat, comprehendens in ſe Friſiam totam omneſque Epiſcopatus abbatias, Comitatus, fiſcos & cetera ad regiones interiacentes pertinentia ut auctor eſt Nithardus Caroli Magni éx filia nepos. Quod ut intellexerunt Lothari⁹ & Ludovicus Imperatoris filii ægre tulerunt, ſed diſſimulare coacti ſunt verum ea res Imperatorem non latuit: quamobrem anno ſequẽti menſe Septembri Cariſiaci conventum agit: ibi Carolum ex Iuditha filium annos natum fere tredecim armis virilibus induit, enſe cingit & corona Regia exornat, donatum prius parte regni quæ inter Sequanam & Ligerim jacens Celtica appellantur.* Hinc Pipino *& Carolo inter ſe conciliatis: Pipinum in Aquitaniam & Carolum in partem regni à ſe donati mittit.*

ſi mittit eujus incolæ ipſi ſacramentum dicuut Odoacer Flandriæ ſaltuarius moritur Aldenburgi & Harlebecæ ſepelitur: ſuccedit Balduin⁹ cognomento ferreus ob fortitudinē dictus.

Interea fredericus Adelēſis Friſius ultrajectinæ ſedis octavus epiſcopus, ut juſſus erat ob Imperatore, in Walachriam proficiſcitur: Synodum ibi convocat: cauſam ſui adventus proponit & graviter contumacibus minatur: adſunt ſeniores obedientiam ſpondēt: at Iuniores populi; qui peccati dulcedine deliniti erant omnem movent lapidem, quo epiſcopum à propoſito deturbent, qui tamen docendo monendo adhortando & comminando tandem vincit & fædum illum promiſcuæ & inceſtæ libidinis morem ex inſula profligat Incolarumque animos ad amorem puri conjugii ſedulo convertit. Quamobrem eccleſia illic probe ordinata Vltrajectum revertitur diocæſim ſuam deinceps per luſtrat atque viſitat. Quod ubi Imperator audivit, gaviſus eſt valde: ſed ex eo tēpore epiſcopū timere coepit, ne quando ipſi quod minatus erat fulmē excumunicationis intendat, ſi Iudithā à ſe non repellat. Itaque in Galliam abiens Iudithæ mandat ut hunc epiſcopū ſibi vel prece vel præcio vel denque minis placet. Enimvero Iuditha, quod juſſa erat facit precibus primū epiſcopo blanditur dein de divitias offert immēſas. At cū videt eū pro poſiti tenacē, nec precibus flecti, nec muneribus placari poſſe ut ipſā cū Imperatore tranquillā vitam agere ſinat, mortis periculum oſtentat: verum nihil proficit. Epiſcop⁹ enim ſemper reſpōdet, monere & adhortari ad meliara ſuum eſſe, concedere & approbare quod iniquum quod cōtra canones ſit, non eſſe in ſua poteſtate, ſed ſoli pontifici Romaro datum. Repulſam itaque ſæpius paſſa Iuditha, magno irarum æſtu fluctuat, odiunque concipit iu Epiſcopum internecinum. Imperatorem igitur in Gallias ſequitur, meditaturq; quomodo ſe cammuniat & filio ſuo regnum contra fratres ſtabilire poſſet Epiſcopus autem Fredericus ob eundo munus ſuum in Weſtrachiam Friſiæ proficiſcitur. Ibi comperit quam plurimos à fide recta ad Arrij Blaſphemias deflexiſſe. Condolet patriæ

Inceſtes nuptie Wallachria corrigontur.

Iuditha Imperatrix odio pro ſequitur Epiſcopum.

Fred: Ep: Fris: adit 838. arianismo pollutam

*ſet patriæ ſuæ & ei opem ferre pro viribus conatur: verum ubi rem perſpicit eſſe longioris laboris, quam ut ipſe eam queat ad umbelicum perducere, auxiliarem ſibi adſciſcit beatum Odulphum Trajectenſis Eccleſiæ canonicum. Erat hic Oorſcoti in Brabantia natus, ubi adhuc in parentum prædio in honorem ejus ædificata extat eccleſia quam, cum aliquandiu ut paſtor atq; curio prudenter rexiſſet cœnobilicæ vitæ ſtudio tandẽ reliquit & Trajectum commigravit: ubi omnibus velut ardens divini luminis facula tanto virtutũ ſplendore emicuit ut ab omnibus tanquam pater cœnobii celebraretur. Cum igitur S. Fredericus feroces Friſiorum animos nec per ſe, nec per Archidiaconos ab errore poſſet revocare, advocavit ſibi hunc præclarum atlethã ad eos edomandos advitorem: qui palmam martyrij expectans, lætus eò profectus eſt & populum prædicatione atque Euangelica eruditione ad viam veritatis reduxit reductumq; per aliquot annorum curricula feliciter gubernavit. Præſcripſerat ei S. Fredericus fidei de trinitate formulam quam quotidie apud populum inculcaret, confeceratq; orationem, quæ ter in die mane ſcilicet meridie & veſperi pro populo ad Trinitatem recitaretur. Cum igitur S. Odulphus ſtrenuè rem gereret, conſtitutus eſt à S. Frederico Staurenſis eccleſiæ paſtor, Ille verò haud immemor ſuæ profeſſionis cœpit ibidem extra muros civitatis è veſtigio cœnobium condere: quod viris religioſis, qui ex certa regula viventes canonici dicebantur, deputavit & S. Odulphi Monaſterium poſtea eſt vocatum. Conditum id erat ad occidentẽ urbis Stauriæ, inde poſtea tranſlatum intra urbem ad meridiem ob eluvionem maris & tandem ob urbis incendium deportatum in Hemelum. Prædixerat fore S. Odulphus, ut petra grandis ante oſtium fani in cæmiterio jacens ſine ope humana operiretur fluctu maris nec prius Friſiæ pacem & tranquillitatem reſtitutam fore quã illa eadem petra in ſicco poſita omnium oculis ſe iterum exponeret. Quorum alterum jam dudum evenit Monaſterium cum petra & cæmiterio occupante Oceano; quod tunc videbatur propter eminentiam loci*

S. Oduiphus Orſcoti natus.

Friſiam ab Arrianiſmo purgato.

Cœnobium extra muros Stavorenſis condit.

Vaticinus S Oduiphus

V

*omnino impoſſibile: alterum quando eventurum ſit ille ſolus novit qui omniũ rerum eſt arbiter ac diſpenſator Deus. Tranſibatur enim tunc flevus ponticulo, quod nunc eſt mare. Quemadmodum verò ex ſicco factum eſt liquidum: ita viciſſim mare recedere & ſiccum ſuo tempore poteſt reſtitui: omnium enim rerum in hoc mũdo viciſſitudo quædam eſt. Sanctus autẽ Fredericus relicto apud Stauriam paſtore Odulfo, cum viſitaſſet in Friſia eccleſias ſuæ dioceſios reverſus eſt Trajectum, nec ita multo poſt à duobus ſicariis à Iuditha ſubmiſſis interfectus Iuditha enim ubi Epiſcopum perſeverantem in propoſito videt, timens ne ejus auctoritas, quæ magna erat, apud ſacrum ordinem increbreſceret & caperet vires, prævertendum rata duos Iuvenes pecunia conduxit, qui ſanctum virum è medio tollerent, ipſa interea ſatagens, quibus artibus ſuo filio Carolo regnum fabricaretur & confirmaret. Obiit hoc anno Pipinus Aquitaniæ Rex relictis Pipino et Carolo filiis impuberibus. Ludovicum Bavariæ regem, ut privignum oderat Iuditha: reſtabat Lotharius, qui et maximus natu & jam à patre ſacramento adſtrictus, ut haberet ratum, quicquid pater de regni parte in Carolum fratrem transferenda conſtituiſſet. Is viſus idoneus, qui adverſus Ludovicum Carolo daretur tutor ac defenſor. Hoc etiam aulæ proceribus conſultum. Accerſitur igitur miſſis legatis ex Italia Lotharius: ſed ob morbum aliquan diu retardatur: venit tamen promiſſo regno patris dimidio ſed dividere juſſus patri optionem refert. Pater ex uxoris & aulicorum arbitrio Carolo Neuſtriam donat & regem Frãciæ appellat. Quod ad meridiem à Moſa jacet in Lotharium confert, omni ante acta vitæ culpa illi benignè remiſſa modo in poſterũ fidem ſervet & Fratri juniori fideliter, prout Iuraverat, præſit. Diviſione facta Lotharius in Italiam remittitur largiter muneratus: Imperator cũ Carolo & matre ejus in Aquitaniam contendit, ut res ibi à Pipini nepotis ſectatoribus conturbatas, ex arbitrio optimatum, qui ipſum advocabant, componeret. Idem nepoti Pipino vitæ ſequioris iratus*

*In ſanctũ Fredericum ſicarii duo à Iuditha ſubmiſſi.*

*Lotharius Carolo fratri tutor deſignatur.*

*Carolus Rex Franciæ Occidentalis.*

*Aquitaniam*

*Aquitaniam Carolo addit. Ea res poſtquam in Bajoariam delata fuit, Lodovicum ægre habet: Itaque & is in patrem inſurgere, conventum ſuorum Frãcofurti agere, de injuriis patris conqueri, Alemanniam appetere & de occupanda Germania, quæ ultra Rhenum ſita, conſilia coquere. Pater contra exercitum parare, ut filium ad obedientiam reducat. Interea apud Trajectum Rheni S. Fredericus Epiſcopus à percuſſoribus ſubmiſſis à Iuditha in ſacrario trucidatur anno 838. die 18. menſis Iulij. Cædes tantiſper ſilentio tegitur idq́; juſſu epiſcopi, dum homicidæ trajecto Rheno manus perſequentium evadant. Fit luctus ingens. Sedit autem in Epiſcopatu annos duos non integros, ſepultus ad S. Salvatorem in crypta. Succedit ei frater germanus Africus qui quamvis corpore formoſus non eſſet vitæ tamen integritate & bonis moribus ita placuit, ut cathedra dignus haberetur nonus Trajectenſis & Friſiorum Epiſcopus. De S. Frederico autem extat in ſcedis cujuſdam civis noſtratis viri docti & honeſti monumentum antiquitatis haud aſpernandæ; quod hic veritatis cauſa ſubjicere placet. Anno, inquit, milleſimo quadringenteſimo vigeſimo quinto in arca domus Adeleæ Euroauſtrum verſus cœptus eſt fodi puteus, ubi fundamentum veteris penuarii repertum eſt, in quo inſignia familiæ Adeleæ inciſa erant in Saxo rubro, ſuper quibus inſignibus literis majuſculis inſculptum erat: Adelburch. Inventa etiam eſt crumena, in qua & precioſus erat annulus cum duobus nummis aureis & aliquot numis argenteis, quos Douvo Rinada cuderat anno 992. Crumena iſta cum tolleretur in pulverem dilapſa eſt: ſed annulus & numi aurei æque priſtinum vigorem ac decus cõſervaverant, ac ſi non diu in terra jacuiſſent. Annulus erat robuſtus ac planus eique inſcriptum erat. Fredericus Adelenſis Epiſcopus Trajectenſis anno 837. alter numorũ aureorũ ex altera parte inciſum habebat: Adgillus Secund⁹ Friſionũ Rex: & ex altera parte: Moneta aurea civitatis Staurienſis aͦ 733. Alterum nummum aureum cuderat Gundeboldus primus Adgilli filius, in cujus altero late-*

**Aquitania à Patre donatur.**

**Ludovicus Bojoariæ Rex contra patrẽ Imperatorẽ.**

**Monumentũ antiquũ.**

*re ſcriptum erat Gundoboldus primus Friſonum Rex: in altero latere ſcriptum erat: Moneta aurea civitatis Doccumięſis Anno Domni 739. Hactenus ſcidæ illæ. Ex quibus diſcimus primum opinionem doctiſsimi Iani douſæ Nordevicis eſſe non veram, qui ſtudio carpendi Friſios evectus in ſuis Hollandiæ annalibus Adgillũ Gundeboldũ & Radbodũ Friſiorũ reges nec natos nec denatos exiſtimat. Deinde & hoc diſcimus S. Fredericum in Friſia natum ſtirpis ſuæ Adelenſis fuiſſe decus & adhuc eſſe inſignem gloriam. Notatu verò dignum eſt in vita S. Frederici apud Surium ad diem 18. Iulii multa narrari præpoſtere, ut etiam apud Iohannem Becanum in chronico quod de Epiſcopis Trajectinis & Hollandiæ Comitib⁹ ſcripſit, quæ juxta ſeriem temporum reſtituenda cenſemus.*

**Ianus Douſa reprehenſus.**

**Emendanda in Chronicis**

Ludovicus autem Imperator ut eo redeamus, audito motu Ludovici filii ſui cognominis ex Aquitania reb⁹ infectis, uxorem & filio ibi relictis hiberno tempore Aquiſgranum properat & Rhenum tranſgreſſus concilium filii diſturbat: filius verò legatos patri obviam mittit, qui patri verbis delinito filium recōciliant dum ipſe ſe iſti ſiſtat, quod facit. Pater Halæ Saxonum cōſidens litanias majores celebrat. In vigilia autem adſcenſionis Dñi quinta Maij hora duodecima in meridie Ecclipſis ſolis tanta fuit ut ſtellæ apparerent & ſol ab Occidente corniculatus paulatum lumen recuperaret ſuum ſicut nova luna conſuevit. Nec multè poſt Imperator morbo correptus ægrotare cæpit & Mœno flumine Francofortum primo, deinde poſt dies paucos in inſulam quandam Rheni fluminis propè Ingelheim deportatus in præsẽtia Drogonis Epiſcopi Metenſis & aliorum Epiſcoporum Theſaurum privatum diſtribuit. Inſignia Imperii Lothario tradi Iubet: Lodovico omnes injurias remittit, rogans epiſcopos, ut illum graviter de violata paterna pietate admonerent & paulò poſt duodecimo Cal. Iulii anno Chriſti 840. è vita migrat agens annum ætatis 64. regni Aquitanici 37.

Imperii

Imperii 27. Corpus ejus metas tranſlatũ à Drogone frate apud S. Arnulphim in Baſilica conditur.

*Imperium Fancorum ſub Carolo Magno ad faſtigium pervenerat: ſub hoc autem Ludovico paulatim inclinare cæpit: Carolus auctoritate ſua diverſos populos in unum quaſi corpus redegerat: Ludovicus ob humanitatem ac faciltatem dictus pius auctoritate enervata multos ad ſeditionem & rebellionẽ induxit. Clerus ſub eo licentia corruptus ſua vitia in populum ſparſit: filios ejus in ipſum inſtigavit, quia mores ejus redargueret & in ordinem redigere ſatagebat. A ſacerdotio omne malum in poſteros dimanavit. Sub eo Friſii à Normannis ſæpius afflicti: ab eo quoque medicinam aliquando acceperunt Rurſtros in Friſia Tranſamaſana Harioldo Danorum regi dedit unde poſtea multa certamina inter Friſios ac Danos exorta ſunt. Friſios Vimodianos aliô in colonias deductos libertati reſtitnit, ut ſupra quoque dixìmus. Reliquam Friſiam deinde Carolo filio minori aſſignavit. ſed quomodo ea tum gubernata fuerit, ab Hiſtoria non proditur: veriſimile eſt eam pari jure cum cæteris provinciis uſam, comitibus, quos poteſtates Romani appellare ſolebant paruiſſe: qui etſi Friſii eſſent ab illo tamen munus ſuum accipere fuere conſueti, non extante adhuc illo privilegio quo Friſiis permittur ſummi Magiſtratus ex ſuis eligendi facultas. Quam varie autem poſt ejus mortem ſint jactati Friſii & quibus obedierint, ex ſequẽtibus apparebit.*

Finis Libri Quinti.

# Annalium Phriſicorum
## LIBER SEXTVS,
## *De Lothario, Ludovico, Carolo Calvo & Carolo Craſſo Imperatoribus & Friſiæ Dominis.*

*Filii Ludovici Pii ob Hæreditatem in diſcordes.*

LVdovico Pio Imperatore mortuo, filii inter ſe diſcordes de familia herciſcunda certant. Nam etſi pater ante quã migraret è vita de Imperii diviſione aliquid diſpoſuerat, quod à liberis ſuis poſt mortem obſervari volebat: Illud tamen omne tale erat, ut a b illis ob iniquitatem facile contemneretur. Lotharius enim natu maxim⁹ eo tempore Italiam cum Imperatoris titulo poſſidebat: Pipinus Pipini ſecundo geniti filius Aquitaniam: Ludovicus tertio genitus Bajoariam: Carol⁹ cognomento Calvus ex Iuditha Welphi filia ſecunda uxore natus Franciam: univerſa autẽ Lotharius ſibi deſtinabat: Qui audita patris morte ſenſim ex Italia movet: literas in omnes Germaniæ atque Galliæ regiones mittit: omnes illos populos de ſuo adventu certiores facit: admónetque, ut ſe tanquam natu maximum & ab ipſo patre deſignatum Imperatorem, agnoſcant ac neglectis Fratribus in ſuam tutelam cõcedant: ſe obedientibus honores, quos habeant, firmaturum promittit: refractariis verò ignominiam & ſupplicia ingerit. His literis hoc quidem ille conſequitur, ut quidam populi, ſtatim ut venit, ad ipſum tranſeant: verum fratres his cognitis ad ſui defenſionem ſe parant. Paucis autem ante mortem diebus Imperator Ludovicus militem ex Saxonia, Francia ac Turingia cótraxerat, quo Ludovicum filium, ut rebellem, ſtatuerat aggredi. Is miles tum adhuc in ſuburbiis Moguntinæ urbis hærebat & jam pro Ludovico Bajoariæ rege ſtabat: In eum militem Lotharius ex Italia deſcendens, tanquã magis

*Lotharius totum imperium ad ſe trahere conatur.*

gis opportunum atque proximum, primos impetus facit: eoque repente diſturbato Francofurtum contendit, ut fratrem Ludovicum inde profligat: verum ab illo ita repellitur, ut pactis induciis facile diſcedat & in Carolum fratrem minorem arma convertat. Quod dum Lotharius agit, Ludovicus Francos Orientales, Alemannos, Saxones & Thuringos in fidem recipit & ſacramentis aſtringit: Rhenique dexteram ripam contra Lotharium præſidio firmat. Eo comperto Lotharius ab inſectatione Caroli regreditur & anno octingenteſimo, quadrageſimo primo mēſe aprili circa Wormaciam ſubito cum exercitu Rhenum tranſit ac proditū à ſuis ac pæne circumventum Ludovicum Franconia pellit & in Bojoariam reverti cogit: diſpoſitiſque excubitoribus, qui ipſum obſervent mox ad Carolum perſequendum redit. Enimvero Lotharius jam antea ſuis literis multos Gallorum in ſuam partē attraxerat: & Carolus eodem tempore abſens in Aquitania Pipinum fratris ſui filium perſequebatur: verum is ab amicis admonitus, ubi Lotharii adventum hoſtilem audit, extemplo legatos ad eum dirigit, eundemq; monet, ut memor Iuramenti, quod patri dixerat, ſua ſorte cōtentus eſſe velit, nec fratrē ſuum, cujus inſuper ipſe ſit pater fiduciarius, oppugnatum veniat, ſed ex fide promiſſa defendat: utque ſibi habere liceat cum bona pace, regni partē, quā utriuſque pater ex ipſius conſenſu ipſi aſſignaverat. Id cū identidem miſſis legatis Carolus obnixè rogaret, Lotharius autem ſemper contemneret ac nihilominus pergeret populos Caroli præter æquum bonum qua blanditiis, qua minis in ſuam clientelam adducere: Carolus tandem neceſſitate coactus exercitum ex ſuis conflat, Moſam fluviū trajicit, fratrem, Ludovicum ſuppetias orat, ut communi ope Lothario reſiſtant. Interea & Ludovicus diſperſum militem recolligit & per Alemanniam in occurſum Carolo iter inſtituit, Deoque proſperante cuſtodes finium

*841. Ludovicus Rex Germaniæ à ſuis pæne proditus.*

*Ludovicus & Carolus fratres conjunctis viribus bellum deprecantur.*

illorum,

illorum, quos Lotharius ibidem reliquerat, feliciter ſuperat: ſubmovet etiam Adelbertum Comitem Metenſem Auſtraſiæ ducem omnium diſcordiarum inter fratres incentorem, idque ad tertium Id. Maij: eaque parta victoria Rhenum amnem tranſit & Carolo fratri conjungitur. Fratres autem ita conjuncti, ne bellũ temere faciant, iterũ Lotharium miſſis legatis rogant, ut patris communis aliorumque principum Iudicium ſequi & ab armis velit deſiſtere quodque æquũ bonumque ſit comitiis procerum decerni patiatur. Verum cum is propoſiti ſui pertinax nihil æqui reſponderet, conſecutum eſt illud toti imperio Luctuoſum ac pæne exitiabile prælium, in quo ad ſeptimum Calend. Iulij, hora diei ſecunda, in agro Alcedorenſi, juxta villam fontenatam Ludovicus atque Carolus victores, Lotharium caſtris exuunt & Aquiſgranum fugere compellunt. Occumbit in ea pugna totius Franciæ nobilitas & omium regnorum ferè robur, Ludovicus atque Carolus ea victoria modeſte utuntur: cadavera utrimque cæſorum terræ commendant: à fratris ulteriori perſecutione abſtinẽt: & Deo ſolemniter actis gratiis ad ſuos revertuntur. Apud Friſios verò eo anno, quo Ludovicus Imperator è vita migrat, bellum externũ erat. Nam ut annales referunt Guſtavus quidam cognomento Lappon ex Suetia in Friſiam claſſe deſenderat, octingentis ſuccinctus Gothis, ſperans alicubi, in Friſia capere locum ſibi ſuiſque ad inhabitandum idoneum: verum ſpe ſua fruſtratus fuit. Adelbricus enim Adelenſis S. Frederici cognatus qui tum poteſtatis munere fungebatur, tantò impetu cum Friſiis ſuis in Gothos circa Colomum confidentes irruit ut pauci ex Gothis ſupereſſent, qui Fortunã belli in Sueciam renunciarent. Erant autem tum Friſii ſub Imperio Romano & Ludovicum Piũ hactenus pro domino agnoſcebant: poſt pugnam verò hanc Alcedorenſem in dubio ſtabant, quam partem ſequerentur. Ludovicus enim Rex

*Ludovicus & Carolus Fratres conjunctis viribus bellum deprecantur.*

*Iidem Lotharium in agro Olcedorenſi ad Fontanetũ vincunt.*

*Guſtavus Lappon dux Suecus à Friſiis cæditur.*

apud pag. Colom

Bojoariæ

Bojoariæ omnem quidem Germaniam ſibi deſtinabat ſed circa Francos Orientales atq; Saxones, ut plurimũ occupabatur: Carolus totis animi viribus Aquitaniam cogitabat & in Pipino demoliendo erat ſtrenuus: Lotharius verò interea fortunam variè tentabat: quo fratres turbaret ac everteret: Friſii verò quemadmodum in extremis Oceani littoribus ſiti á Principum aulis atque negotiis longè aberant, ita quaſi pro derelicto habebantur, dum in mediterraneis bella ferverent. Lotharius ut erat Imperij avidus, ita ob id & juſurandum & omnem religionem facile contemnebat: is in Saxonia nobiles in ſtudia partium concitaverat, ut aut ipſum aut Ludovicum ſectarentur: ibi ſervi quoq; qui liti audiebant, in dominos inſurrexerant & prędiis eorum occupatis, ſe Steilingas appellabant. Quin & omnibus in genere Saxonibus antiquæ religionis libertatem, ſi in ſuas partes tranſirent, Lotharius promiſerat, ſpretis Chriſti ſacris, in quibus fuerat educatus: Normannos quoque in Chriſtianorum cervices induxerat, ut eorum opera fratres debellaret; A noſtratibus item in annales relatum eſt; Lotharium anno quadrageſimo ſecundo poſt octingenteſimum donaſſe Regi Daniæ Friſiam tranſlavicanã, ut ejus auxiliis ſublevaretur: ſed Friſios renuiſſe in ipſius tranſire poteſtatem: ac inito prælio regem illum Daniæ finibus ſuis expuliſſe. Illud porrò ſcriptum extat, Ludovicum re cognita litos in dominos inſurgentes celeriter refręnaſſe & Stellingarum nomẽ in Saxonia deleviſſe: apud Friſios verò illorum nomen abolere non potuiſſe, remanentibus adhuc hodie eorũ poſteris in ea parte regionis, quæ ab illis Stellingwerff id eſt forum ſtellingarum appellatur: qui quidem Stellingæ etiam hodie eodem ſignificatu ruſtici prædiati dicuntur, quo illi veteres Saxonici nuncupati fuerunt. Ludovicus igitur atque Carolus diverſis expeditionibus à Lothario divexati, cũ nullum earum finem cernerent, interim Argentinæ conve-

*Friſiorum ſtatus ejus temporis.*

*Stellingæ.*

niunt & fædere perpetuo adverſus eum ſe confirmant Iuramentis interpoſitis. Nec multo poſt, cum Lotharium in Italiam abiiſſe arbitrarentur, totum imperium ita inter ſe dividunt, ut Ludovico tota Friſia Germaniaque cederent: Carolus verò, ut Occidentalia regna à Britannico oceano uſque in Moſam fluvium acciperet. Dum hæc à fratribus ſic tractabantur, reſpublica peſſum ibat, cunctis ſua tantum quærentibus. Verum enimvero pauci ſapiẽtiores tandem exorti, quibus reſpub. curæ erat, remedium tantis calamitatibus quærebant: quod non aliunde ſperari poterat, quam ex fratrum concordia. Itaque manibus pedibuſque in id operam dabant, ut fratres conjungerẽt & ex mutuo ipſorum conſenſu ditionũ inter ipſos fieret haud iniqua diſtributio. Lotharius quoque omnibus periculis fruſtra tentatis, cum fratrum fœdus ipſi valde obſiſteret, ad mitiorem denique ſententiam redit & datis induciis, ſuis proceribus de pace agendi copiam facit: qui ſæpius congreſſi huc tandem rem deducunt, ut Reges in gratiam reverſi unuſquiſque illorum ſponderet, quadraginta viros dare & partẽ imperii capere, quã illi centũ viginti viri ſuo arbitrio ex æquo & bono declaraſſent.

*Ex arbitrio centum viginti virorũ Imperium inter fratres dividitur & pax firmatur.*

*848.*

*Cum igitur anno Octingenteſimo quadrageſimo tertio menſe Auguſto Verduni Reges conveniſſent ac datis acceptiſque invicem ſacramẽtis ſe, quæ conſtituta ab arbitris eſſent rata in perpetuum habituros promiſiſſent, à centum illis & viginti viris pronunciatum eſt Lothario ut Fratrum maximo deberi Imperatoris & Auguſti nomen & cum eo Italiam atque Romã: His adjungunt Alamannos atque Teutones Galliã Belgicã atq́ Celticam incolentes, quique Germaniam ſecundam inhabitant Agripienſes, Tungros, Brabantos, Flandros, Camaracenſes & Picardos qui Lotharingi inferiores vulgo poſtea dicti. Addunt inſuper illis Galliam Narbonenſem cum Sequanis, Veſontione, Lugduno, Heduis, Lingonibus, Burgundis, Treveris, Mediomatricibus, Leucis & Virdunenſibus. Ludovico data*

*ſunt*

ſunt univerſa quæ ad partem, Rheni dexteram jacet, videlicet Germania magna, Rhetia, Suevia, Vindelicia, Illyricum, Noricum, Pannoniæ, Liburnia, Boij atque Venedi. Additi illis ſunt ob vini proventum in ripa Rheni ſiniſtra Moguntini, Vangiones atque Nemetes. Carolus accepit Galliam Belgicam ſecundam cum Gallia Lugdunenſi quæ & Celtica uſque ad Moſam fluvium: quæ pars hodieq; regnum Francorum & Francia Occidentalis appellatur: cujus caput eſt Lutetia Pariſiorum. Pipino Aquitania conceſſa. Hinc Lotarius porro Imperator audit Ludovicus titulū regis Germaniæ primus adſciſcit, Carolus Regis Franciæ, Pipinus, Aquitaniæ. Lothario Imperatore defuncto regnū ejus Lotharingia dictum fuit ab ipſo uti quidam exiſtimant. Verum cum Lotharingiæ nomen extet etiam apud S. Marcellinum in vita S. Suitberti, dicendum videtur, illud de regno illius Lotharij primitus dici cœptum, qui Francorum tetrarcha antequam Rex fieret Auguſtæ Sueſſonum ſedē tenebat, ſub qua tum illi inferioris Germaniæ populi continebantur qui Lotharingi inferiores vulgo nunc audiunt. Veriſimile enim eſt ab eo initium nominis eſſe, qui diutiſſimè in ea parte regnavit, deinde id nomen productum ad reliquos ob rationis ſimilitudinem. Quod monere hic volui, ne Hiſtoria in falſi ſuſpicionem veniat. Celebrata regnorum partitione Lotharius Metim in Auſtraſiam concedit: cæteri in ſua quiſque regna. Anno octingenteſimo quadrageſimo quarto Gregorius ejus nominus quartus Papa Romanus die viceſima quinta Ianuarii è vita diſcedit, cum D. Petri cathedram tenuiſſet annos ſedecim: Succedit ei ad decimum Februarii diem Sergius ſecundus, Os porci prius appellatus. Gregorio defuncto Lotharius filium ſuum Ludovicum Italiæ regem nominat & cum exercitu eo mittit ut Rex ibidem conſecretur: quod Idib⁹ Aprilis in die paſcæ à Sergio pontifice haud difficulter impetrat. Ipſe poſthac à rebus Italicis abſtinet & in novo ſuo regno exornando occupatur. Ludovicus Germaniæ Rex eodem tempore obotritos rebellionem meditantes domat & occiſo Goz-

Lotharingiæ nomen unde

844.

Gregorius 4. Papa moritur: ſuccedit Serguis ob porci dictus.

Zomulone ipſorum rege, regnum ejus in provinciæ formam redigit & per duces gubernare inſtituit. Carolus Calvus Frãciæ Rex contra Pipinum Fratris ſui filium in Aquitaniam movet ſed exercitus ſui grande detrimentum capit. Hugonem Abbatem Patruum ſuum Caroli Magni filium Naturalem in pugna amittit una cum multis aliis virtute & nobilitate viris inſignibus. Idem Bernardum ducem Barcinonis nihil mali ſuſpicantem ex inſidiis occupat & interficit, quoniam à Pipino ſtare videbatur. Normanni viſa Imperii diſtractione, fortunam aucupantes, Caroli Iuventutem parvi æſtimant, ejuſq; regnum ſuis conatibus peroppertunum ducunt, quod primum aggrediantur. Itaque Sequanam flumen claſſe ingreſſi Pariſios uſque contendunt, nec prius ab illorum vaſtatione abeunt, quam à rege Carolo & ſubditis ejus multa pecunia, ſupra ſpolia donati. Inde in Friſiam vela convertunt ac primo congreſſu victi: ſecundo atque tertio victores exiſtunt: multum populum internecione delent: tributum accipiunt & ad naves ſuas cum manubiis revertuntur incolumes. Hinc à Friſia caſtellum Hamburgum in Saxonia depopulantur ſed non ſine inſigni ſuorum damno. Inclyta civitas Hamburgum, inquit Adamus Bremenſis, tota aut præda aut incendio diſperiit. Ibi eccleſia, ibi clauſtrum, ibi bibliotheca ſumno collecta ſtudio cõſumpta. Sanctus, autem Anſcarius cum reliquiis ſanctorum Martyrum nudus evaſit. De Hamburgo quæſtionem movet Albertus Crantzius unde nomen acceperit. Id caſtellum cũ eſſet, dictum eſt prius Hogeburch, ut auctor eſt Abbas Stadenſis: illo à Wilzis everſo vocatum fuit Hamburgũ, non ab Ammone lybico, ut aliqui fabulantur: nec ab hama pugile, qui ibi à Starcutero victus occubuit, ut vult Crantzius: nec item à petaſonibus aut pernis porcorum infumatis, qui Hammen vulgò audiunt, ut ſcribit Iohannes Goropius Becanus, ſed à natura loci, in quo ſecum eſt oppidum; qui ut eſt Albi fluvio conjunctus ita ab eodem irriguus gramen atque paſtum pecori præſtat aſpectu viridem ac jucundũ. Loca enim paſcua præſertim rivis proxima

Normanni Pariſios & Friſios & Hamburgẽſes ſpoliant

Hamburgi originatio.

*proxima Hammen lingua Teutonica jam olim hodiéque dici vulgo eſt notiſſimum. Sedem autem Hamburgi ad flumen Albim in agro herbido & graminoſo eſſe oculis omnium eſt perſpicuum. Quod hic inſerere veritatis ergo volui, ut errorem Crantzii breviter detegerem. Ad hiſtoriam revertor. Hoc eodem anno cum Neomenius Britanniæ dux obedientiā exuiſſet regis nomen aſſumpſit & arma cōtra Carolum dominum ſuum induit. Carolus autem cōtra ipſum ducto ingenti exercitu infeliciter pugnat & cum paucis ſuorum vix evadit.* Britanniæ.

Ludovicus Garmaniæ rex quatuordecim Bohemorum principes in gratiā recipit, qui octava Theophaniæ Chriſtianorum ritu ſacris initiantur: ipſe primo autumno Paderbornæ conventum populi agit, ubi fratrum ſuorū nec non & Normannorum, Slavorum & Bulgarum legatos ſuſcipit audit & abſolvit. Bohemiæ.

Lotharius Imperator Folcradum ducem Arelatenſem cæteroſque Comites vicinos rebellionem molientes ex improviſo ſuperveniens compeſcit & iiſdem in ordinem redactis Provinciā pro ſuo arbitrio conſtituit & gubernat. Provincia Romana.

Anno 846 Giſelbertus quidam Aquitaniæ præfectus filiam Lotharii Imperatoris rapit & ſibi matrimonio jungit: ea re Lotharius ſupra modum offenſus, culpam in Carolum fratrem confert. Ludovicus atque Calvus iram ejus veriti, in publico procerum conventu conteſtantur ſe à culpa alienos, factum Giſelberti ſibi quàm maximè diſplicere oſtendunt Ludovicus quoque hinc ſtatim ad Lotharium proficiſcitur, pro fratre Carolo deprecatur magnoque ipſum conatu in gratiam reſtituere nititur: ſed incaſſum: deinde menſe Auguſto in Slavos Margenſes ducit & rebus ibi compoſitis cum magna difficultate, quamvis victor, per Bohemiam ad ſuos redit. Mauri quoque cum Vrbē non poſſent, Baſilicā D. Petri Romæ vaſtant. 846. Lotharius Imperatoris filia rapitur.

Anno 847. Sergius Papa duodecimo Aprilis Romæ diem ſuum obit extremū cum ſediſſet annos tres & men- 847. Sergius Papa moritur: ſuccedit Leo quintus.

ſem unum, ſuccedit ei pridie Idus Aprilis Leo quintus, q aliis quartus dicitur. Sarraceni in Italia Beneventum occupant: Juditha Imperatrix Pii vidua fax diſcordiarum inter fratres imperii conſortes moritur. Lotharius Imperator Ludovicum Germaniæ regem fratrem ſuum ad benevolentiam invitat & viciſſim ab eo invitatur, mutuiſq; conviviis ludis, atq; ſpectaculis inter ſe ambo certant. Carolus tamē in gratiā recipi nequit. Otgario Archiepiſcopo apud Moguntiam mortuo ſurrogatur Rabanus Maurus, Abbas Fuldenſis, inſignus orator & poëta, principibus ob eruditionem jucundus. Is juſſu Ludovici Regis Moguntiæ ſynodū habet, in qua vivendi ratio Sacerdotibus præſcribitur; Theodo mulier quædam plebeia in Suevia vatem ſimulat & diem judicii extremum inſtare denunciat, ſed convicta ſimulationis virgis cæditur & tumultus populi conquieſcit. Normanni in Friſios delati eorum terras miſere populantur. Doroſtadum, quod veteribus Batavodurum erat, incendio vaſtant: ſuorum calamitates ex longinquo ſpectante Lothario Imperatore.

*Friſia Normānis vaſtata & Doreſtadum inſē ſum.*

848. Anno 848. Lotharius & Ludovicus apud Moſellæ & Rheni confluentes iterum menſe Februario conveniunt & ut fratres inter ſe familiariter colloquuntur. Ludovicus bellum, quod in Carolum Lotharius cogitabat, obnixè deprecatur: Lotharius viciſſim poſtulat, ut Ludovicus, deſerto Carolo ſuis partibus accedat: Negat Ludovicus ſe fidem Iurejurando firmatam violaturum & cum bona gratia domum redit. Inde per filium ſuum Ludovicum Bohemos compeſcit. Circa Calendas Octobris conventum populi Moguntiaci agit: Ibi fratrum ſuorum nec non & Normannorum atque Slavorum legatos audit & abſolvit: Rabano Archiepiſcopo ſubditos inobedientes reconciliat: Pro Giſelberto, qui filiam Lotharii rapuerat & in ipſius clientelam hoc anno à Carolo pulſus Aquitania, venerat, ad Lotharium in Theodonis villa comitia agentem

*Ludovici Regis ergo fratrem fides.*

gentem legatos mittit. Legati Giſelberto veniam & Carolo pacem impetrant. Erant hoc tempore in Germania tres viri eruditione præclari: Quorum Vilfridus qui & Strabo, S.Galli Abbas: Rabanus Archiepiſcopus Moguntinus & Rodulphus Monachus fuldenſis erat: Hi commentarios in omnes ſacræ ſcripturæ libros ediderunt: qui vulgo gloſſa ordinaria nuncupantur.

*Auctores gloſſe ordinaria ad Biblia*

Rabanus hoc item anno ſynodum Moguntiæ habet alteram in qua Godſchalcus monachus qui docuerat non omnes homines ad vitam æternam prędeſtinatos, damnatur & in Galliam remittitur, dato Iurejurando, ſe nunquã in regnum Germaniæ reverſurum. *849.*

Anno ſequenti Leo quintus Papa Romanus civitatem à Leone quarto cœptam circa ſuburbia urbis Romæ atque Baſilicam D. Petri munit: illum Lotharius Imp. & Ludovicus Italiæ Rex pecuniis juvant: nec ita multo poſt veniunt ex Africa Sarraceni, ut Romam invadant ſed ad Oſtia Tiberina profligantur à Neopolitanis atque Siculis, qui Leoni Papæ ſuppetias venerant.

*Civitas leonina Romæ munitur.*

*Eodem anno S. Hieron natione Anglus, profeſsione presbyter in Hollandiam venit & Euangelium Chriſti apud Nortuicum anunciare cœpit: mercedem autem recepit Apoſtolicam à Normannis tunc graſſantibus occiſus. Circa finem anni videlicet 8. Kal. Ianuarii Lotharius filium ſuum Ludovicum Italiæ regem Aquiſgrani nominat Auguſtum atq; Imperatorem. Ludovici verò Germaniæ regis exercitus à Bohemis grave dãnum accipit, dum ejus duces invidia contra Taculphum Sorabici limitis ducem moti, temerè in Bohemos irruunt, ſpretis per ſuperbiam pacis conditionibus, quæ ab illis proponebantur.* *850.*

*At Horicus Danus, qui aliis Ericus, frater Harioldi Regis Danici, piraticam hoc anno in regnum Lotharii occeptat, motus injuriis à Lothario illatis. Fuerat Horicus à Ludovico Pio Imperatore jam olim Doreſtato præpoſitus & in honore habitus. Poſt obitum patris Lotharius ipſum proditionis inſimulatum*

*Horicus Danus piratia graſſatus Doreſtadiū occupat,*

*ſimulatum carceri incluſerat: verum eo elapſus ille ad Ludovicũ Lotharii fratrem confugerat: ubi aliquandiu inter Saxones apud confinia Danorum commoratus, ſibi tandem collegit non ſpernendam Danorum manum, quâ mare ingreſſus, primum Lotharici regni littora id eſt Friſiam & vicinas regiones ad Oceanum Septentrionalem ſpoliat: deinde Rheno ſubvectus Doreſtatum recipit: qua expelli cum nequirit à Lothario in gratiam reſtituitur: & tam ærario Imperatoris, ut quæſtor quam littori maris Oceani veluti cuſtos contra piratas præficitur. Normannni hoc modo à regno Lotharii per ſpeciem fœderis excluſi, duce Godefrido Regneri quondam regis Danici filio Sequanam claſſe petunt, Regnum Caroli Calvi ſummis viribus deprædantur. At Carolus ubi ſe imparem videt nec fratri Lothario ex propinquo auxilia pollicenti fidere audet, ex tempore conſilium capit & pacem indecoram cum Normannis facit data eis parte regni ſui quæ poſtea ab illis Normannia eſt dicta. Ne autem Normannorum potentia ulterius progrederetur, Rupertus Videkindi filius virtute & rebus in Francia bene geſtis præclarus, à Carolo rege intra Legerim, & Sequanam Comes Andium conſtituitur, ut regnum Franciæ contra Normannos porro defendat. Illius poſteri regno Franciæ univerſo tandem potiti ſunt Hodiéque adhuc illic regnant.*

*Normannia unde cœperit dici*

Apud Vltrajectinos Alfricus epiſcopus decimo octavo Calend. Decemb. moritur cum ſediſſet annos duodecim & in fano S. Salvatoris apud S. Fredericum germanum ſuum fratrem honorificè ſepelitur.

Laboratum eſt hoc anno apud Rhenum tam magna rerum penuria ut multi fame interirent. Fertur autem Rabanus Archiepiſcopus Moguntinus in ſua dioceſi tum exercuiſſe inſignem in pauperes liberalitatem pluſquam trecentos quotidie alendo præter ſuam non exignam familiam.

In epiſcopatu Vltrajectino Alfrico Adelenſi ſuccedit Lutgerus epiſcopus decimus item Friſius ſed parum diu vivit

vivit: obit enim diem vitæ extremum anno ſequenti No- *851.*
no Cal. Maij ut verior eſt hiſtoria: etiamſi ei Iohannes de *Lutgerus Epiſcopus Vltraectinus decimus.*
Beca aliquot annos videatur attribuere, ut illic ad margi-
nem annotavimus. Succeſſor illi datus eſt Hungerus na-
tione item Friſius, vir admodũ prudens & pacificus. Sub
hoc epiſcopo multa dicuntur apud Trajectenſes & Hol-
landos accidiſſe, de quorum fide haut immerito dubites. *Hungerus Epiſcopus undecimus.*
Nos ſeriem temporis ſequemur & ſingula ſuis locis refe-
remus.

*Ermingardis regina Lotharii uxor moritur Ludovico, Lothario atque Carolo relictis liberis.*

Ludovicus Italiæ Rex & Imperator à patre Lothario dictus Saracenos Benevento expellit & regiones ejus inter duces æqualiter diſtribuit.

*Leo Papa ejus nominis quintus Leoninam civitatem ſolemni more Romæ dedicat: ejus Formula extat apud Anaſtaſium Bibliothecarinum.*

Ludovicus Germaniæ Rex Sorabos in Francos vicinos ſuos inſurgentes fame domat, conſumptis ferro & flamma illorum frugibus.

*Anno 852. Saraceni vaſtant Sardiniam atq́; Corſicam. Hinc multi Sardi atq́; Corſi deſerta patria Romam commigrant & in nova civitate Leonina ſedes accipiunt.* *852.*

RabanusMaurus Archiepiſcopus Iubente rege Ludovico Moguntiæ ſynodum habet. In ea ſacri ordinis homines de rebus eccleſiæ ſeorſum agunt: Rex autem Ludovicus cum ſuis proceribus lites & civiles cauſas tractat & tandẽ decreta ſynodalia ſuo judicio comprobat. Hinc legatis Bulgarorum ac Slavorum auditis ac dimiſſit in Bojoariam redit rebuſque ibidem compoſitis Coloniam celeriter deſcendit. Ibi cum primoribus Lotharii Fratris ſui colloquium habet: quo finito in Saxoniam tendit ut & ibi Iudicia inſtauret & legum prævaricatores puniat. Hic jura ſibi debita ab injuſtis detentoribus recuperat. In *Ludovici Germaniæ Regis virtus*

ſingulis territoriis, per quæ iter facit populi cauſas audit & recte decidit. In Thuringia apud Erfordiam conſtituit nequis præfectorũ in ſuo territorio advocatũ agat, in alieno id ut ei liceat: in ſumma boni regis officio ubique fungitur.

*At Carolus Calvus frater ejus apud Aquitanos boni re-*
853. *gis nomen plane amittit. Anno enim 853. Pipinum fratris ſui Pipini filiũ Aquitaniæ regem Calvus capit & ad S. Medardum Monaſterio includit: Carolum item fratrem ejus nihil male meritum aut ſuſpicantem, cum Fratrem Pipinum vellet inviſere, per ſuos retineri jubet & apud Corbejam cuſtodiri: Goſbertum nobilẽ virum indicta cauſa interfici curat. Hinc procerum & cognatorem quærelæ ad Ludovicum Germanicũ deferuntur ut Aquitaniam in ſuam tutelam recipiat & Carolum in ordinem redigat quãdoquidem ipſius tyrannis tolerari diutius nequeat. Interea Normanni Ligerim fluvium claſſe ingreſſi Nannetes primũ deinde Andes & deniq; Turones Galliæ civitates inſignes de populantur: D. Martini ædem incendunt & omnia vicina loca ad inſtar turbinis nemine reſiſtente devaſtant.*

Caroli Calvi vitia.

Haymo Epiſcopus Halberſtadienſis.

Apud Saxones Haymo tertius Epiſcopus Halberſtadenſis ſexto Calendas Aprilis moritur, cum ſediſſet annos tredecim. Succedit ei Hildegrimus Friſius S. S. Lutgeri & Hildegrimi Fratrẽm ex ſorore nepos, vir ob prudẽtiam atque pietatem eccleſiæ utilis. Fuit autem Haymo ex Angloſaxonũ gente item oriundus, Venerabilis Bedę conſanguinius, Alcuini Diſcipulus, Rabani Mauri in cœnobio Fuldenſi cõtubernalis, epiſcopus ſupra modum doctus, ut monumenta declarant, quæ adhuc hodieq; extãt.

*Ludovicus Germaniæ Rex præcibus Aquitanorum delini-*
854. *tus anno 854. Ludovicum filium ſuum in Aquitaniam cum exercitu mittit, ut Carolum coerceat: ſed incaſſum expeditio fuit. Nam cæteris Aquitanorum quieſcentibus, ſola Goſberti interfecti factio, quæ ſuppetias oraverat partes ſuas exequi nequibat.*

*quibat. Quamobrem Ludovicus re infecta ad patrem redit inglorius. Normanni quoque qui hactenus totos viginti annos Francos atque Friſios, quos claſſe accedere potuerant, continẽter cædibus rapinis ac incendiis attriverant, onuſti prædis ac quaſi ſaturi in patriam vela convertunt & domum regreſſi inter Ericum Daniæ regem ac Guthorinum fratris ejus filium excitata diſcordia ſe mutuis cædibus adeo cõficiunt ut innumeris de plebe occiſis ex regio ſanguine præter unum Ericũ Iuniorem nemo ſuper fuerit: Deo ſuorum injurias manifeſtè vindicante. Erat Guthorinus Haraldi filius à patruo Erico quem alii Horicum vocant regno pulſus. Is Piraticam Hactenus in Frãcos atque Friſios vicennalem exercuerat: nunc verò regnum repetens ſuorum internecioni cauſam præbuit: ut eſt veriſimile. Ericus autem Iunior, qui ex pugna ſuperſtes fuit, erat Sigardi filius, Regneri nepos, qui Regnerus prioris Erici fuerat frater. Is Ericus Iunior rerum in Dania potitus extemplo Criſtianæ religioni bellum indicit. Templa Chriſtianorum claudi jubet ſacerdotes eorundem expellit: verùm à S. Anſgario friſio Hamburgenſium Epiſcopo tandem mitigatur. S. Anſgarius enim ad eum audacter profectus rem Chriſtianam ibidem reſtituit & ſuis concionibus effecit ut non ſolum Sleſuici eccleſia recluderetur verùm etiam ut apud Ripã oppidum nova Chriſto ædes extrueretur & quidem ipſius Regis Erici ſumptibus quẽadmodum Albertus Abbas Stadenſis videtur innuere. Tanta tum in S. Anſgario virtus & ob eam auctoritas fuit.*

Normanni ſe mutuo cõficiunt.

S. Anſgarius Friſius Archiepiſcopus Hamburgenſis Daniæ tyrannum placat.

Anno 855. Lotharius juventutis ſuæ exorbitationes recolens, pænitentiam agere pro ſeculi ſui more atque doctrina ſatagit: prius tamen inter ſuos liberos bonorum diſtributionem facit: & Ludovico quidem majori filio Italiam cum Imperii titulo aſſignat: Lothario autem regnũ Auſtraſiæ, quod tunc Lotharingia audiebat, donat: At Carolum filium natu minimum Burgundiæ Provinciæque regem facit. His peractis Prumiam Monaſterium Trevirenſis dioceſis ingreditur & depoſita cæſarie monachum induit nec diu poſt videlicet ad diem 27. Sep.

Lotharius Imp. in cuculla moritur.

tembris vitam deſerit. Ita immenſa ejus ambitio, quæ fratres qua denique populum ſuum univerſum indigne vexaverat, cicu lla tenui atque ſordida circumvolvitur. Ab hoc tempore filius ejus Ludovicus Imperator occidentis quartus regnat annos novendecim & menſes decem: ſed in Italia tantum. Ibi enim tunc & duces provinciarum & ipſe Papa Romanus res novas plerumque moliebantur & magna diligentia in officio cõtinendi erant ob Saracenorum & Græcorum quotidianas incurſiones, quæ animos ſubditorum valdè conturbabant.

*Ludovicus ſecundus Imperator occidentis quartus.*

*Eodem anno Leo Papa ejus nominis quintus die 17. Iulii excedit è vita cum ſediſſet annos octo, mẽſes tres & dies quinque. Succedit ei Iohannes octavus ſexu fœmina, habitu virũ mentita, ob eruditionem, quam Athenis comparaverat, facta pontifex, ſedétque annos duos menſes quinque & dies quatuor, donec in via publica prolem eniteretur ut Platina ſcriptor pontificalis in literas retulit. Cõſtãtinopoli Michael Imperator malè educatus Neronem æmulatur & Theodoram matrem ſuam in Monaſterium detrudi ac interfici jubet.*

*Iohannes Papiſſa.*

Friſia toto hoc tempore quod à morte Ludovici Pii exactum eſt, in ditione Lotharii Imperatoris & apud ejus filium Lotharium poſt hac etiam manſit, ut ex diviſione, quæ inter Ludovicum regem Germaniæ & Carolũ Calvum de Lotharii Regno poſt mortem ejus inſtituta eſt, facile intelligitur. In ea enim Rex Germanicus Friſię partes duas & Calvus unam capit ut apud Aimoinum monachum eſt videre. Quamobrem, quod ad annum ſuperiorem in annalibus Friſiæ vernacula lingua ſcriptum extat de Friſia Tranſlavicana in Comitem Hollandiæ tranſſcripta merũ eſt imperiti cerebri ſomnium. Quemadmodũ enim tunc temporis alienum donare Ludovicus Germaniæ Rex in Fraudem pacis publicæ noluit, ita etiã non potuit id in eum Comitẽ conferre qui nullus adhuc tum in rerũ natura extabat: ſicut in ſequẽtibus apparebit.

*Status Friſiæ.*

Quod

Quod autem ibidem porrò additur, Comitem à Friſiis non fuiſſe receptum, eo quod ea donatio ipſorum privilegiis adverſaretur, eandẽ meretur fidem ac priora. Nulla enim tunc Friſii præceteris adhuc libertate gaudebant cũ principes perpetuo ſuccedaneos haberẽt & fere quotidianis Normannorum incurſionibus infeſtarẽtur eoſq; dominos tolerarent, qui parum curabant extrema ſui Imperii deturpari.

*Multa hoc eodem anno portenta ſunt viſa, ut ſunt terræ motus crebri, tempeſtates inſolitæ, ob grandines atq; fulmina: quæ Gozbaldi Archiepiſcopi mors, Infelix Ludovici Germanici in Slavos Mergenſes prælium & deniq; Lotharij Imperatoris obitus ſubſecuta perhibentur.* Portenta diverſa. *Anno 856. quarta Februarii die hominem exuit Rabanus Maurus Archiepiſcopus Moguntinus cum ſediſſet annos novem, menſem unum & dies quatuor: ſurrogatur ei ex auctoritate patrui Regis Carolus Pipini quondam Aquitaniæ regis filius, qui cum à patruo Calvo captus & Corbeja monaſterio relegatus eſſet, cuſtodia eluſa in Germaniam evaſerat & à Ludovico Rege item patruo ſuo ad eam ſedem promotus fuit. Lotharius Iunior Imperatoris defuncti filius Francofurtnm à ſuis proceribus ad Ludovicũ patruum ductus ab eo Rex Lotharingiæ conſtituitur & confirmatur: Idem hoc anno Tietborgam ſororem Hucberti qui ad S. Richerium in Burgundia Abbas erat, ducit uxorem ſed parum auſpicato. Matrimonium enim hoc non ſolum ipſi, verum etiam toti regno funeſtum fuit.* 856. Lotharius Rex Lotharingiæ.

*Menſe Auguſto Germaniæ Rex Ludovicus aſſumptis ſecum Soraborum Ducibus in Dalmatas movet eoſq; vincit ac tributarios facit. Inde per Bohemiam revertens nonnullos illorum dynaſtas in deditionem accipit. Menſe autem Februario ſequentis anni idem Rex apud Rheni & Moſellæ confluentẽ cum Lothario colloquium habet & media quadrageſima conventũ ſui populi apud Vangiones. Roricus Danus, qui & Horicus & Ericus ab aliis dicitur, Doreſtadio præfectus, à Rege Lothario* 857.

*commeatũ impetrat & claſſe comparata in Daniam cõtendit: Ericus verò Iunior Rex Daniæ illum in gratiam receptum, inter Iutiam & Egidoram Limitis Danici conſtituit ducem. Circa Calendas Octobris Moguntiaci celebratur Synodus de jure eccleſiaſtico reſtituendo: præſidet illi Carolus Archiepiſcopus, In ea recitantur epiſtolæ de prodigiis Coloniæ & Treve-*
858 *ris factis. Kalendis verò Ianuarij anni 858. diverſis in locis terra horribiliter movetur, maxime autẽ circa Moguntiã. Quarto nonas Ianuarias ejuſdem anni Lotharius in Prumia monaſterio reſidens donat Eccleſiæ Vltrajectinæ, Bergam Monaſterium in Maſo ſitum ut diploma indicat, quod hic ſubjicimus, ut lector ex eo illius ævi ſtatum cognoſcat.* In nomine Omnipotẽtis Dei & Domini noſtri Ieſu Chriſti Lothari⁹ divina præveniente gratia Rex: *Si locis divino cultui mancipatis quicquam muneris confirmamus, id nobis procul dubio ad æternam beatitudinem nanciſcendam, affuturum eſſe confidimus. Igitur comperiatur omnium fidelium ſanctæ Dei eccleſiæ & noſtrorum præſentium ſcilicet & futurorũ induſtria, quia ex relatu Guntharii ſacri palatii noſtri ſummi capellani & Hungarii venerabilium epiſcoporum didicimus, quod Trajectenſis eccleſia, quæ in honore Chriſti confeſſoris Martini cõſtructa eſſe dignoſcitur, Barbarica imminente nequitia pæne deſtructa & ad nihilum redacta ſit Canoniciq́ olim in ea militantes paſſim per diverſa loca quidam diſparſi quidam etiam interempti ſunt: hac deniq́ incumbentè maxima neceſſitate deprecati ſunt, celſitudinem noſtram, ut memoratæ S. ſedi infra regnum noſtrum, quietum & pacificum locum ad conſolationẽ ac refugium Canonicorum tribueremus. Quorum ſaluberrimis & ſynceriſſimis ſuggeſtionibus pro amore domini noſtri, ob emolumentum etiam ac remedium animæ avi noſtri & piæ memoriæ genitoris noſtri Lotharij quondam Auguſtorum, nec non genitricis noſtræ Hermingardæ ſeu pro ſalute noſtra & regni ſtabilitate libentiſſimum præbentes aſſenſum hos clemẽtiæ noſtræ apices fieri juſſimus, per quos in pago Maſo ſuper fluvium Ruræ*

Donatio Bergenſis monaſterii Hungero à Lothario facta.

*vium Ruræ monaſterium in honorem S. Petri conſtructum, quod Bergh nuncupatur ad præfatam ſedem Trajectenſem ſub omni integritate tradimus, per omnia tempora ad conſolationem & tutamentum rectorum ejuſdem ſedis vel cleri famulaturum concedimus, quatenus præſignati ſervi Dei, noſtrâ perceptâ liberali munificentiâ, eos domini miſericordiam pro noſtra ac prædeceſſorum ſalute liberius exorare delectet. Et ut hæc noſtræ traditionis ſeu pietatis largitio per futura tempora inviolabilis perſeveret, manu propria eam ſubter firmavimus & annuli noſtri impreſſione aſſignari juſſimus.* Signum Lotharii generoſi Regis: *Daniel Notarius recognovi ſcripſi & ſubſcripſi. Data quarto nonas Ianuarii anno, Chriſti propitio, regni D. Lotharij glorioſi regis tertio, indictione ſexta. Actum Prumia Monaſterio in Dei nomine feliceter, Amen.* A. C. 858.
*Hoc Diploma apud Wilhelmū Hedam præpoſitum Arnhemenſem in Hungero extat; unde paret Iohannem de Beca in ſua hiſtoria valde errare, qui hanc donationem Lothario Imperatori adſcripſerit: quæ filio ejus debetur. Equidem exiſtimo ſub Hungero Epiſcopo accidiſſe cladem hanc Vltrajectinis ſed non eo anno, quo ſcripſit Beka. Ab illa enim clade, qua Trajectū à Normannis deſtructum fuit, efluxerunt aliquot anni, ut videtur, uſque ad hanc donationem. Beka eam calamitatem anno 856. adſcribit, ſed ſine aliorum teſtimonio. Si vera eſt Becani ſententia, major etiam ejus eſt error, quod patri adſcripſerit, quod filio debebatur, cum ex epocha cladis ſcire potuerit, jam tum patrem fuiſſe mortuum utpote qui anno 855. 27. Septembris vita exceſſerit. Ianus Douſa Nortuici dominus inquirere in epocham aut rei veritatem noluit auctoritate Becani contentus. Quoniam verò diverſæ res & variæ hic narrantur, quæ diverſis accidere temporibus, operæ preciū me facturum arbitror, ſi eas aliquo modo diſtinguam et in ſuos annos redigam. Dicit igitur Iohannes de Beca ſub Hungero Epiſcopo Vltrajectino Danos cum Normannis anno Domini Octingēteſimo quinquageſimo ſexto claſſe invaſiſſe Hollandiā* Chronologia in Iohāne Beca reſtituta.
*ibiq;*

in Durostadio Ecclesiæ par. 55

ibiq́ʒ inauditam exercuiſſe tyrannidem, diſtruxiſſe Doreſtadiū, vicum totius patriæ nominatiſsimum, in quo perhibeantur fuiſſe parochiales eccleſiæ quinquaginta quinq́ʒ. Annales autem Francorum antiqui à P. Pithæo editi Doreſtadium anno 835. à Normannis fuiſſe vaſtatum & prædis exhauſtum commemorant et anno duodecimo poſt ab iiſdem incendio cōſumptum anno nimirum 847. Triennio poſt ab illo excidio anno nempe 850. claſſe eo devenit Roricus Danus & cum expelli nequiret, accepit illud Iure beneficii clientelaris poſſeditq́ʒ uſque in annum Octingenteſimum quinquageſimum ſeptimum: quo anno ille cum bona gratia regis Lotharii Iunioris Doreſtadium reliquit & in Daniam reverſus eſt: nec aliter de Doreſtadio ſcribunt auctores reliqui. Addit Beka eodem anno Trajectum urbem cum caſtello veteri à Normannis everſum, cives fugatos, clericos partim cæſos, partim in diverſas regiones diſsipatos: Hollandos miſerum in modum ab iiſdem vexatos, S. Adelberti fanum in Kinnemaria deſtructum, Hieronem Presbyterum Nortuici in via publica capite plexum: multos denique paßim ab illis interemptos. At Chronicon Saxoniæ & Iohannes Balæus magni nominis apud Anglos hiſtoricus centuria 13. cap. 65. martyrium Hieronis anno 849. adſcribunt: quod mihi quidem videtur verò ſimilius. Nam cum Annales ſupra memorati apertè ſcribant Roricum à Lothario Imperatore, ut malæ fidei ſuſpectum, Doreſtadio fugatum ſed à Ludovico Rege Germaniæ, in clientelam ſuſceptum, tandem claſſe comparata cœpiſſe litora regni Lotharici id eſt Friſiam atque Hollandiam carpere & deprædari & ad extremū anno 850. occupaſſe Doreſtadium ut ſe à contumelia inflicta vindicaret, ex eo ſane ſatis fit perſpicuum Hollandiam ante fuiſſe ſpoliatā à Rorico, & in eo trucidatum Hieronem quam is ad interiora et ad occupandū Doreſtadium progrederetur: In ea expeditione etiam tum cecidiſſe Vltrajectum ex ea conjecturam facio, quod Guilhelmus Heda ejus excidium in tempus Alfrici Epiſcopi Trajectenſis noni manifeſtè conjiciat. Sed & is

*eodem loco multa narrat veluti per ſatyram: quæ quidem verè ſint geſta à Normannis ſed non uno tempore. Quēadmodū etiam Beka facit qui hic addit inſuper caſtrum munitiſſimū Arunduli regis propè Voirburch eodem tempore fuiſſe deſtructū quod quondam Aureliani Auguſti arx fuerat ut Heda teſtatur & rūdera indicāt. Ejus autē arcis evaſtationē alii ad annū 838 referūt. Dolendū vero eſt admodū ſceleratos homines & à fide Chriſti alienos tantū tūc potuiſſe in gentē Chriſtianā ut omnia paſſim peſſundarent, raperent et exportarēt nullo reſiſtente aut belli aleā in Normannos ſubeunte. Duo laudantur equites à Beka, Theobaldus nimirū & Gerolphus qui ſe Normannis fortiter in Hollandia oppoſuerint: ſed hoc ſuæ fortitudinis conſecuti ſunt præmiū ut morte obita multos ſecū in ruinā traxerint utq; Normanni magis ac magis exaſperati nullo nec ætatis nec ſexꝰ diſcrimine habito omnē populū aut neci dederūt aut ſecū in terras alienas captū crudeliter abduxerint. Idq; ob peccata mortaliū Deo ꝑmittente. Enimvero velim hæc diſtinctius tradere ſed nemine veterū præeunte qui poſſum? Illud nobis abūde ſatisfaciat vera eſſe ea omnia quæ de Normannorū crudelitate à diverſis ſcriptoribus traduntur: præſertim cum & publica documēta cū illis conſentiant quemadmodū hoc Lotharii diploma quod ſupra retulimus & anno 858. eſt conſcriptū.*

Eodē hoc anno mēſe Februario Rex Germaniæ Ludovicꝰ Forchemi cū aliquot ſuorū procerū colloquio habito, novū conventū indicit Vlmam Alemānię villā ubi die dicta legatos Ludovici Italiæ regis audit & pace cū eis facta honeſtè dimittit. Inde Francofurti paſcalia celebrat. Die 16. Februarii vitam deſerit Papa Benedictus ejus nominis tertius, cum ſediſſet annos duos menſes ſex & dies decem. Succedit Nicolaus cognomento magnus idq; 24. Aprilis. Is tandem Hamburgenſem & Bremenſem Epiſcopatus jungi mandat & ex duobus unum Archiepiſcopatum facit. Hamburgo deſtracta à Normannis atque Danis B. Anſcarius ejus Epiſcopus varie oberrabat nec ta-

*Hamburgenſis & Bremēſis Epiſcopatus conjunguntur.*

men deſinebat intentus in ſalutem Paganorum eſſe: ad quos in Suetiam atque Daniam identidem reſpectabat: Diviſione quoque inter reges fratres Ludovici Pii Imperatoris hęredes facta, exciderat idem B. Anſcarius Thurholto Flandrenſi Monaſterio, quod ipſi pridem in ſubſidium fuerat aſſignatum. Quo autem ipſi tandem ſubveniretur, Ludovicus Rex Germaniæ Bremenſem diœceſim cum Hamburgenſi contulerat: ſed eam cernere & adire ob vicinorum invidiam B. Anſcarius non audebat: alioqui vir ad omnia pericula ob Chriſti gloriã imperteritus. Itaque ſe Ramſolæ in ſuo Monaſterio continebat: hoc autem anno 858. Nicolaus Papa controverſię finẽ impoſuit & B. Anſcarium cum Hamburgo Bremam habere juſſit etiam cæteris Epiſcopis & præcipuè Colonienſi refragantibus.

Dum Ludovicus Germaniæ Rex Francofurti ad Mœnum hæret, redeunt ad ipſum ſui legati à Lothario dimiſſi referentes die dicta Lotharium Cófluentię affuturũ. Lotharius verò promiſſis non ſtetit: neque enim aut ipſe venit aut quemquam miſit, qui ipſum excuſaret. Cauſa autem emanſionis, Caroli Provinciæ regis mors fuit. Illius enim regnum Carolus Calvus Patruus excluſo fratre Lothario armis occupare contendebat. Verum Lotharius ope Ludovici Imperatoris fratris ſui ipſum à propoſito diſpulit & nihilominus tamen cum illo adverſus Ludovicum Germaniæ regem patruum item ſuum, fœdus icit: rebuſque hoc modo compoſitis, cum fratre Ludovico Imperatore regnum Caroli fratris defuncti benignè dividit: Imperatori Galliã Narbonenſem ultra Rodanum & ſibi Burgundiam citra Rodanum aſſignat, ejus autem Burgundiæ tractum, qui inter Montem Iurã & Alpes Cottias jacet Hucberto conjugis ſuę fratri donat, quem jam olim Zaringiæ ducem nominabant continentem Vchtlandos, Sedunenſes, Valeſios Suitonum partem. Ludovicus autem Germanię rex ſe à Lothario deluſum

*Lotharii regis in patrũ Ludovicum Levitas.*

cernens

cernens, Confluentiâ Francofurtum revertitur & rempublicam diſponere ſatagit. Conſilio procerum habito, tres exercitus cogit: quorum primus duceCarolomanno filio majore in Slavos Margenſes atqueRaſticem tendat: alter duceLudovico filio minore moveat in Obotritos & Linones: Tertius verò Traculpho ducente Sorabos dicto minus audentes invadat: ut eo modo hoſtibus externis compreſſis, ipſe domi regni negotia ſecurus tractet. Verumenimvero cunctis adproficiſcendum accinctis, menſe Iulio maxima cura ipſum invaſit, quę ipſius animum, alioqui generoſum atq; magnum in diverſa diſtraxit. Nam cũ duo ex Gallia Legati, adveniſſent q; dicerent, populũ à paganis hoſtibus ex hauſtũ, á Carolo rege ſuo Chriſtiano ita lacerari atque diripi, ut ejus ſævitia modum non haberet & omnes de ejus emendatione deſperarent: Ideoque rogarent ut ipſe afflictæ Galliæ opem ferre & extremis incolarum miſeriis aliquam adhibere medicinam vellet, ne deſtituti à paganis neceſſario petere compellantur auxilium, quod alioqui à Chriſtianis ultrò offerri debeat. Ludovicus ea oratione adeo conturbatus fuit, ut diu in ancipiti poſitus, quid potiſſimum ageret ignoraret. In fratrem enim ducere impium atque Nephas exiſtimabat: æque putabat impium populo in cauſa honeſta periclitanti non ferre ſuppetias. Si fratrẽ oppugnet fore multos opinabatur, qui id fieri cupiditate novi regni judicarent, ſi populũ desereret, ne reipulicæ defuiſſe cẽſeretur, timebat. Vicit tandẽ ea ſententia, q̃ populi magis, q̃ unius curã habendã ſtatuebat. Quãoborẽ legatis bene ſperare juſſis, ipſe in vãgionibus ſtatim menſe Auguſto militẽ colligit & recta in Galliã tendit· Ibi ab illis qui Carolum fratrẽ ejus oderant etiam ab illo deſciverant è veſtigio benignè ſuſcipitur & copiis inſtruitur pluribus, quam adduxerat. Carolus autem tunc contra Normannos ad ligerim caſtra habebat, & audito Ludovicum fratrem ſui coercendi cauſa adeſſe &

*Ludovici Regis Expeditio in Galliã Contra Carolum fratrẽ*

*Carolus ex acie fugit.*

ipſe ſe ad pugnandum componebat. Itaque militem ipſe quidem primo educit, aciem inſtruit & in procinctu ſtat: verum ubi ad arma ventum eſt à ſuo exercitu ſe clam ſubducit & in latebras conjicit. Quamobrem miles compertâ regis ſui fugâ ad Ludovicum tranſit Ludovicus autem ſedato populi impetu Carolum perſequi cupientis pro adepta poteſtate regni negotia dirigere inſtituit. Exercitum ſuum quem è Germania eduxerat, domum ermittit & porro in Gallia Hibernare decernit de populi regá ſe conſtantia nimium ſibi promittens. At illi, qui non ita pridem regem ſuum Carolum deſerverant, cum viderent Ludovicum à milite nudũ ſecure agere nec quicquam àCarolo mali exſpectare, repentè mutati Carolum inſtigare, vindictam ſuadere & conflato clam exercitu in Ludovicum ducere. Et ſane oppreſſiſſent minus cautum niſi de Soraborum nova defectione nuntius adveniſſet; qui ipſum ſubito domũ redire monuiſſet. Enimvero Ludovico diſcedēte Carolus ſtatum regni ſui ſedem nemine repugnante recipit.

*Ludovici Regis ſecuritas nimia.*

Eodem tempore malus quidam genius nequitiæ ſuæ in quadam villa ad Rhenum manifeſtum fecit indicium. Illic enim ille mendacii pater primum pulſare malleo parietes domorum cœpit, deinde homines lapidibus appetere, hinc etiam loqui, furta clandeſtina prodere, lites inter vicinos ſerere & tandem in unum hominem innocentem omnem culpam conjicere nec prius abſiſtere quam ipſum omnibus bonis exuat & ſuperſtitioſis quibuſdam cæremoniis ſe quaſi victum callide ſubmittat. Hiſtoria extat in annalibus fuldenſibus D. Freheri ad annum hunc 858. de quo loquimur.

*Diabolus nequitam ſuã exercet palã.*

859. *Anno 859. Ludovicus Rex Germaniæ primo vere ex Gallia domum reverſus, eventu ſuæ expeditionis conſiderato facile vidit, ſe in fratrem fratriſq; filium enormiter deliquiſſe, quod populi Gallicani levitatem ſecutus, in eorum provincias temerè*

*Ludovicum pænitit expeditionis in Galliam.*

*temerè feciſſet impetum. Quo igitur illorum indignationi medeatur, ad utrumq; confeſtim legatos mittit, qui factum excuſent quique ut omnis controverſia communi procerum concilio terminetur, rogent. Itáque ab illis dies Andernacum condicitur: Ibi in quadam Rheni inſula principes deinde cum certo ſuorum quiſque numero cōveniunt, cætero comitatu utrimque in ripa eventum præſtolante. Poſt longas autem altercationes, cum inter eos pax coire nequiret, novus conventus in autumnum Baſileam conjicitur & quiſq; domum regreditur. Interea Ludovicus cum Carolum fratrem exacerbatum cerneret, utpote, qui rogatus eos reſtituere in integrum nolebat, qui anno ſuperiore ex ſuis ad Ludovicum defecerant, infamiam metuens Tjotonem Fuldæ Abbatem ad Ludovicum Imperatorem fratris ſui filium nec non & ad Papam Nicolaum excuſandi ſui gratia in Italiam legat: ipſe ad diem conſtitutum Baſileæ comparet, ſed neminem adverſæ partis ibi invenit: Quamobrem inde ad Lacum Brigantinum profectus, obvium habet Tjotonem fuldenſem ex Italia reducem, qui ipſum apud Imperatorem atque Pontificem Romanum pro ſuperioris anni rebus in Gallia geſtis honeſte excuſaverat, quemadmodum literæ ab illis ſcriptæ teſtabantur. Hinc Abbas Tjoto legatione perpulchre functus, ad ſuum monaſterium à rege gratioſe remittitur.* *Tjoto Abbas Fuldenſis.*

Anno ſequenti Ludovicus, Carolus atque Lotharius Reges apud Rheni & Moſellæ confluentes iterum congregati pacē inter ſe jurejurando firmant: cujus formula in annalibus à P. Pithæo editis & in fuldenſibus extat: Hiems hujus anni aſpera & diuturna etiam mare Ioniū tā durâ conſtravit glacie ut ubi pridem naves ibant, jumenta cum plauſtris atque ſarcinis decurrerent. Hanc fructuū in arboribus magna ſecuta eſt calamitas. *860.* *Reges pacem inter ſaciunt*

Ludovicus à quibuſdam ſuorum, ut putabat, appetitus inſidiis, eos dignitatibus privat: filium etiam Carolomānum natu maximum rebellionis ſuſpectū habet. Verū is *861.*

862. anno 862. accepta fide publica ad patrē Ratisbonam venit & ſe ab adverſariorum calumniis egregiè purgat, priſtinæque gratiæ reſtituitur. Ludovicus verò pater inde Moguntiā proficiſcitur & cum Lothario fratris filio ibidem colloquitur: deinde in obotritos ducto exercitu ducem eorum vincit & Obſidem dare filium cogit.

863. *Annus 863. eſt valdè notatu dignus: complura enim in eum incidunt, quæ admirationem merentur. Nam & Carolomannus iterum apud patrem calumniis tàm atrocibus oneratur, ut pater in ipſum veluti majeſtatis reum copias ducere pararet ducemq́, earum in locum filii Carentanis præficeret, ſi filium ſibi prodidiſſet. Verumenimvero Carolomannus vitæ integer ſceleriſque purus Iracondiæ paternæ ſapienter ſpacium concedit & paulò poſt innocentiæ ſuæ confiſus, ad patrem intrepide revertitur lætúmque & jucundum ſe patri exhibet. Eodem anno & Carolus Archiepiſcopus Moguntinus Pipini Aquitaniæ regis filius 2. Non. Iunij è vita migrat: ei ſecundo Cal. Decembris Luytbertus à rege Ludovico ſurrogatur. Anno 860. Carolus Calvus cum fratre ſuo Ludovico pacem fecerat, adeo firmam, ut jam ſe in regno ſecurum & ſine lite futurū certo perſuaderet: verum ecce repentè domeſticum inter proceres incendium exoritur tantum ut vix reſtingui queat. Lābertus eum, inter Sequanam & Ligerum dux cōſtitutus Vivianum potentem virum dolo malo interficit: Lambertum verò Gausbertus Comes viciſſim pari modo cædit. Gausbertus autem à Carolo captus morti quoque ad judicatur & ſuccumbit. Deſtitutam hoc modo à principibus terram coſilióque nudatā Britones cōſpicati, arma corripiunt, Ligerim tranſeunt, Francorum fines invadunt & in Pictones uſque omnia cædibus rapinis, incendiis vaſta faciunt & nemine reſiſtente cum ſpoliis ad ſuos inulti revertuntur. Carolus ut inſolentiam Britanorū compeſcat, militem cogit, in Britanniam ducit. Verum Saxones duce Widekindo in prima acie collocati, equitum Britannicorum ratione pugnandi inſolita perturbati loco cedunt: Nox prælium*

Bellum Caroli Calvi Britannicū.

prælium dirimit. Multi ex Francis cæſi: plures vulnerati: magna quoque equorum ſtrages accepta. Poſtridie iterum pugnatur ſed multo infœlicius, quam prius. Carolus ſuorum clade territus in fugam ſe de nocte conjicit: Hoſtis caſtra diripit, omnia convaſat, etiam regis tentoriũ cum utenſilibus in prædam vertit. Apud Britones Regem ſe dixerat Numenejus homo, in fallor, paganus. Is cum Caroli ſubditos multis afficeret damnis & templa Chriſtianorum ubique fere everteret, viſus eſt ſibi quodam tempore videre ſanctum Maurilonem Audeganẽſis eccleſiæ antiſtitem, cohortantem, ut à ſua crudelitate deſiſteret, ſimùlque fuſte percutientem caput ſuum: unde ille attõitus & domum deportatus vitam cum regno finiviſſe dicitur: Huic ſucceſſit Heriſpius contra quem Carolus infeliciter primum & deinceps pugnavit. Nam cum iterum collecto magno exercitu in Britanniam moveret ita ab Heriſpio eſt acceptus, ut omiſſa pugna, ad artes ſe converterit, quibus Heriſpium deliniret. Heriſpius enim donis corruptus ad Carolum tandem venit & in clientelam ejus ſe modeſtè ſubmiſit. Sed nec fortuna Caroli hic ſtetit. Superiore anno Balduinus ferreus Harlebecæ Comes Iuditham Caroli Calvi filiam ſibi à teneris annis dum patri ſtrenuè militat, dilectam, Silvanecto, ubi tunc degebat, non invitam abduxerat in Flandriam et ex ea mox ſuſceperat prolem maſculam: Pater Carolus filiam bello repetens bis erat fortiter repulſus. Igitur quod armis non poterat, ſacrificorum diris evincere ſatagit: Balduinum à ſacra communione Chriſtianorum excludi curat, Balduinus hoc fulmine territus cum Iuditha uxore ſua hoc anno Romam proficiſcitur: Nicolao pontifici fit ſupplex, oratque ut pro amantibus apud Carolum intercedat: fit deprecator pontifex: Balduinum atque Iuditham execrationi eximit: Legatos in Galliam mittit, qui Sueſſione cum Rege & epiſcoporum cœtu collocuti Carolum permovent, ut Balduino pacem & filiam concedat. Donandum enim aliquid erat precibus ſummi Papæ & cavẽdum ne Flandriæ populus adhuc indomitus, cum Normannis

*Balduinus Farreus Flãdiæ ſalutarius Iuditam Calvi Filiam non invitam rapit.*

*Deprecato Pontifici recipitur in Gratiam.*

hoſtibus

*hoſtibus qui undique ingruebant ſe conjungeret. Antiſsiodori nuptiæ celebrantur. Balduinus Carolo fidem Iurat, Comeſque regni cognominatur & totam regionem Schalde Somona & Oceano terminatam à ſocero rege in dotē accipit. Iuditha jam antea Edulpho Weſtſaxonum in Anglia regi circa annum domini 857. cum is Roma per Galliam reverteretur, nupſerat: eoque poſt annum mortuo in privigni ſui Adelboldi thorum invita conceſſerat. Illo autem paulo poſt defuncto ad patrem In Galliam redierat & Silvanectiſe continebat: ibi dudum tenere Adamata à Balduino volens rapitur et ex regina comes efficitur: Sic amor juſſit, qui corda Iuvenum regit. Ex hoc autem anno 863. quidam auctores Comitatus Flandrici initia auſpicātur: ſuperiores enim non comites ſed ſaltuarios & Flandrici littoris præfectos appellatos voluit: Inaugaratus autē & in fidem receptus eſt Balduinus, ut pro regno Franciæ contra Normannos & Danos ſtaret & quaſi propugnaret unde & Comes Francorum & Marchio Flandriæ eſt dictus. Eodem anno (inquit Meijerus Flandriæ Hiſtoricus) Carolus Rex quo plures haberet, quos Danis Normanniſque tam efferis hoſtibus opponeret, Hollandiam quoq; Batavorum olim celebrem inſulam, comitatus honore decoravit Theodorico cognomine Friſio Fortiſsimo viro primo inſtituto Comite. Apte quidem Meijerus hæc cum ſuperioribus connectit ſed quam verè, nos poſtea videbimus, ubi originē hujus erroris manifeſtā fecerimus.*

Fit Comes regni Francici & Flandriæ Marchio.

Initium comitatus Flādrici à C. 863.

*Videtur autem ejus narrationis auctor eſſe Iohannes de Beka Canonicus Vltrajectinus in ſuo Chronico, quod de Epiſcopis Vltrajectinis & Hollandiæ Comitibus inſcripſit & nos hoc anno quo hæc ſcribimus Typis evulgavimus. Is enim ceteros & tempore antecedit & expreſſe comitatus Hollandici initiū in hunc annū conjicit his verbis:* Anno 863. Carolus agnominatus Calvus Francorū Rex & cōſequenter Imperator Romanorum filium Ludovici Pii, filii Caroli Magni tunc apud vicum Pladellæ reſidens ac Hollandiā omnino eſſe deſolatam percipiens, tradidit ad inſtantiam Haganonis Nobili

1611. Iohannes de Beka Canonicus ultrajectinus initiū Comitatus Hollandiæ conjicit in annum 863

Nobili viro Theodorico fratri Valgeri principis, Eccleſiã Egmondenſem & Kinheim à Suidgardeſſchaga uſq; fortenpaga per paginam ſpecialis privilegii roboratam imagine regalis annuli. *Hanc Iohannis de Beca narrationem ſecuti ſunt deinde alij, qui poſt ipſum de rebus Hollandiæ ſcripſerunt: nec ea contenti, addiderunt etiam plurima de ſuo, quæ nuſquam alibi comparent. Inter illos primum locum occupat Iohannes Leydis apud Haerlemenſes ſuo tempore Carmelita, qui Chronicõ illud magnum Hollandiæ anno 1517. à ſe cõpilatum vernaculo ſermone edidit. Is huic narrationi addidit Theodoricum donatarium Sigeberti Aquitaniæ ducis filium à Machtilde Haganonis ſorore, Sigeberti conjuge, commendatũ, ob egregia ſua facinora, quæ ductu patris cõtra Paganos & Saracenos perpetraverat, à Carolo Calvo Rege Francorum impetraſſe ſuaſu dicti Haganonis Comitis Xanxtenſis & legatorũ Iohannis Papæ ejus nominis octavi, totam Hollandiam, cum parte Friſiæ, quæ in Lavicam amnem uſq; trans flevum pertineret: idque ut eas terras ab incurſu Danorum ac Normannorum, qui tunc Vltrajectũ tenebant & Chriſtianis infenſi erãt, defenderet. Adjicit præterea Comitiis Pladellæ celebratis, Carolum regem è veſtigio cepiſſe impetum introducendi Theodoricum clientem ſuum novũ in poſſeſſionem Comitatus Hollandici: verum oppoſuiſſe ſe illi Burggravium Leydenſem & Falckenburgi dominum, contractis undiq; viribus ſociorum, tam ex Friſia, quem ex Hollandia, qui malebant ſub Imperatore, quam Comite ignotæ vitam ducere. Ait deinde prælio inito, prævaluiſſe Carolum, cecidiſſe Burggravum cum Falckenburgio: vulgus reliquum veniſſe in poteſtatem victoris & Theodorico dixiſſe ſacramentum. Eo facto Carolum Regẽ una cum Theodorico maximiſq; copiis trajeciſſe in Friſiã Orientalẽ coegiſſe populũ ejus, ut Theodorico ſemper ſe in ditione ejus futurum dato jurejurando promitteret: Hinc abiviſſe Carolum in Franciam: Theodoricum interea paucis annis eas terras ſecure poſſediſſe. Paulo enim poſt cum Friſii intellexiſſent,*

Iohannes Leydis Carmelita apud Haerlemenſes auctor Chronici Hollandici varia addit ad becam.

*Theodoricum poſſent excutere & ſua ſede deturbare. Theodoricum re cõperta ſtatim iter arripuiſſe in Franciam, indicaſſe Carolo ſubditiorum machinationes: Carolum ſcripſiſſe Iohanni octavo pontifici Romano, qui tunc Moguntiæ agebat ut rectũ conſilium daret, quo Friſii atque Hollandi in officio contineri poſſent: Papam lectis Caroli Regis literis tabellarium ad ſe vocaſſe, ipſo coram conſcidiſſe literas in multas corrigias, earum capita defregiſſe: deinde ſub veſperam duxiſſe eundem tabellarium in hortum multis arboribus diverſæ magnitudinis cõſitum, In eo quaſdam ex majoribus ac etiam minoribus truncaſſe capitibus idq́; cum multo ſilentio. Tandem verò tabularium petiiſſe à Papa reſponſum, quod regi ſuo domino referret, nec aliud impetraſſe, quam ut regi indicaret, quid in præcidendis literarum Laciniis & arborũ cacuminibus à ſe fieri vidiſſet: Carolum ex eo mentem pontificis conjeciſſe, collecto grandi exercitu cum Theodorico Comite rediiſſe in Hollandiam atq́; Friſiam, utrobiq́; noctu cepiſſe potentiſſimum quemque è ſtratis ſuis, eoſque capite mulctaſſe: populum viſa Regis in puniendis magnatibus ira atque conſtantia perplexum ingenua procidiſſe, veniam oraſſo & tandem in gratiam benigne receptũ, Treodoricum demũ inauguratum, poſthac in honore & precio habitum. Hæc omnia diplomate comprobari, quod annulo ſuo aureo Carolus Calvus ipſe ſignaverit. Sic Iohannes Leidis diviſione 4. cap. 6. & deinceps refert. Hunc ſecuti ſunt ferè omnes, qui de rebus Hollandicis deinde ſcripſerunt. Primus autẽ Wilhelmus Heda præpoſitus Arnhemenſis qui Hiſtoriam Vltrajectinam anno Chriſti 1521. latine contexuit, odoratus eſt errorem Iohannis de Beca in donatore Carolo Calvo, oſtenditque ex Haganonis perſona donationem illam non Calvo ſed Carolo Simplici eſſe adſcribendã. Hunc ſecutus eſt Ianus Dorſa Nortuici dominus vir & genere & eruditione nobiliſſimus qui cornicum oculos omnino configere niſus eſt & longa oratione demonſtravit plæraque omnia eſſe falſa, quæ uterque Iohannes de tempore comitatus ceteriſque ejus circumſtãtiis plenis buccis effutiverunt.*

*Error Epochæ Comitat' Hollãdici detectus ab Heda & Dorſa.*

*cis effutiverunt: rẽ tamen ipſam acu non tetigit. Etſi enim vere dixit Carolum eo tẽpore inter oceanum Britannicũ & Scaldim ſive Moſam fluvium coarctatum non habuiſſe jus, imo ne facultatem quidẽ in alieni territorii fines penetrandi aut quicquam de illis ſtatuendi, præſertim cum illorum diſtincti domini ſuas res curare & poſſent & vellent, ideoq; minime conſentaneum ſit, illum ipſum Calvum undique tum quaſi obſeſſum à Normannis, ad Hollandiæ vel Friſiæ defenſionem arma contuliſſe, rectè etiam addiderit cum Heda initium Comitatus Hollandici non Calvo ſed Carolo Simplici deberi· veram tamen Epocham diplomate Carolino expreſſam invenire non potuit licet in ea eruenda multum laboraverit. Ex ætate Haganonis Comitis in Inſtrumẽto donationis commemorati uterque Heda & Douſa ad Caroli Simplicis cognitionem facile pervenit: ad annum autem ipſum dati inſtrumenti conjectura cujuſdem ſcripturæ perverſæ (ut putabat) Douſa pervenire conatus eſt. Scriptum enim exiſtimabat fuiſſe in diplomate literis Majuſculis annum Chriſti D.CCCC.XIII. Hoc modo: & in eo cenſebat C. quartum in L. mutatum, cujus in locum ſi C. reſtituatur fore Epocham annorum nongentorum atq; tredecem quæ alioqui non plures quam octingentos & ſexaginta tres præferat. At idẽ non animadvertit illis annis ſic reformatis in diplomate inſuper aſſignari indictionem undecimã, quæ in annum 913. non incidit. Deinde ibidem addi Haganonem notariũ, qui vice Rotgeri Archiepiſcopi ſummique Cancellarij ſcriptum recognoverit: qui Rotgerus Treverenſis Archiepiſcopus ordine ſexageſimus octavus fuit & anno demum 914. in cathedram aſcendit, ut annales Treverenſium docent. Non potuit igitur Hagano anno 913. ejus nomine, ut Archiepiſcopi diploma recognoſcere, q nondum tunc exiſtebat in rerum natura. Eſt autem diligenter animadvertendum, originali donationis inſtrumẽto annos Chriſti non fuiſſe additos ſed annos tãtum Caroli regis appoſitos in tria intervalla diſtinctos, ex quibus cæteriſque adjunctis tẽporum indicibus clare demonſtrari*

Per D. et quatuor C. & XIII.

Indictio cũ Douſæ calculo non congruit ſed & à Douſa eſt omiſſa

*donationem controverſam à Carolo Simplice Frãcorum Rege Pladellæ celebratam anno Chriſti 923. Indictione undecima 17. Kal. Iulÿ & fruſtra laborare omnes qui aliam epocham illi diplomati affingant. Scriptum enim eſt in fine ejus: datum 17. Kal.* Iulii indictione XI. Anno trigeſimo regnante Carolo rege, redintegrante XXV. Largiore verò Hæreditate indepta X. *Ea tempora ſic diſtincta annum nobis repræſentant Chriſti 923. quemadmodum ſuo loco oſtendemus, ſi vita ſuppetet. Quamobrem recte dicimus & Becam & Hedam & Douſam ceteróque omnes hactenus erraſſe, qui initium Comitatus Hollandici in annum hanc 863. contulerunt aut in alium quam in 923. conferre voluerunt. Quemadmodum autẽ ex Caroli regis ſtatu de donatoris perſona judicium fecimus: ita quoque ex donatarii perſona facile judicamus donationem eãdem hoc tempore de quo loquimur, non eſſe confectã: Nam cum ex Regi none & aliis referant ſcriptores Theodoricum hunc fuiſſe Valgarÿ fratrem: Valgarium Gerolphi filium Gerolphum verò anno 885. una cum Gardolpho à Godefrido Dano Friſiæ domino miſſum ad Carolum Craſſum Imperatorẽ, quis non videt filium ante patrem in rerum natura non eſſe conſtituendum? Verum hæc accuratius ſequenti libro deducemus: Nunc ad propoſitũ reverſi dicimus hoc anno 863. de quo hactenus verba facimus, Carolum Calvum bello Britannico multum difficili primum deinde nuptiis filiæ implicitum Pladellã in Hasbaniam venire non potuiſſe & ex eo ceteriſq; quæ attulimus, evidenter concludimus omnia illa eſſe falſa & impudenter adulatoribus conficta, quæ de ejus expeditione in Hollandiã atq; Friſiam Iohannes Leydis Carmelita effuſe ſcripſit & nos ex parte ſupra recenſuimus: idq; ideo magis, ꝙ Hollandia atque Friſia illo tẽpore in ditione Lotharÿ erant quodque, is eſſet tum Lotharius, ꝗ Caroli patrui hoſtilem in provincias ſuas ingreſſum ad dehonaſtamentum & damnum ſui non eſſet paſſurus: licet eo tẽpore in diſcrimine bonæ famæ verſaretur: & concilia diverſa agitaret. Lotharius eum Auſtraſiæ Rex Lotharÿ*

Vera epocha donationis Carolinæ.

Filius ante patrem non vivit.

Hollandia atque Friſia in poteſtate Lotarii Auſtraſiæ regis.

*tharij Imperatoris filius anno ſuperiore Tietbergam Hucberti Abbatis ſororē uxorem ſuam repudiaverat & prætextū quærebat, quo id ſibi licuiſſe ex jure comprobaret. Quamobrē hoc anno 863. menſe Iunio indictione 11. ſynodum indicit ad urbem Mediomatricum. Eô conveniunt omnes Lotharingiæ epiſcopi, præter Hungerum epiſcopum Trajectenſem, q propter morbum venire non poterat. Amabat autem Lotharius Waldradā cōcubinam, cū qua domi paternæ in juventa conſueverat. Hujus amore cæcus conjugem ſuam Tietbergam odio proſequebatur internecino Itaque Guntharū Archiepiſcopum Colonienſem Archicapellanum tunc ſuū primo per internuntios aggreditur, deinde promiſſis onerat liberalibus, ut contra Tietbergam pro ſe ſtare velit: Conjugiū enim cum ſorore ejus pollicetur, ſi Tietbergâ liberari poſſet. Guntharius homo levis & parum conſideratus facile capitur. Ille Tietgandum Archiepiſcopum Trevirenſem, virum alioqui ſimplicem & in ſacra ſcriptura min⁹ verſatum contortis quibuſdā teſtimoniis in ſuam quoque ſententiam pertrahit.*

Lotharii cū Tietberga divortium.

Hinc Tiedberga quaſi legittime evocata in cōcilio Epiſcoporū ſiſtitur. Vna cū libello producūtur teſtes. Multa congeruntur crimina: inter quæ & illud, Tiedbergam confeſſam ſe à fratre germano vitiatam prius, q̃ Lothario nuberet: eo audito, patrum de inceſtis decreta recitātur: Tietberga velut inceſta à marito ſeperatur & ad pænitentiā condemnatur. Sic nefaria regis libido voti cōpos facta. Modico poſt intervallo altera ſynodus Epiſcoporū evocatur Aquiſgranum. Illuc cum veniſſet Lotharius, conqueritur libello exhibito, ſibi invito extortam uxorem, q̃ perpetuo ſtatuiſſet retinere, ſi ſe inceſtā confeſſa non fuiſſet. Quamvis autē ſynodi decreto obedire ſit paratus & uxorē amittere, non eſſe tamen æquum, ut ipſe in poſterū omni matrimonio careat.. Natura enim ſe in venerem proclivem, iniquum eſſe ſi culpa alterius remedium peccati impetrare non debeat id eſt ſi uxorē alteram ducere

nequeat. Synodus his auditis priora decreta repetit, ſtatuitque ob inceſtum commiſſum, Lothariũ inter & Tiedbergam matrimoniũ non fuiſſe: licere propterea Lothario alteram uxorẽ ducere: quia melius ſit, juxta Apoſtoli ſententiam, nubere q̃ uri. His actis Waldrada pellex in publicum procedit, cinctaq; obſequentium multitudine Regina audit. Tiedbergæ verò fratres hac tam enormi contumelia affecti mirificè conturbantur, Romã petunt, omnemq; rem, uti geſta eſt, ad Nicolaum pontificem deferũt & ab eo cognoſci ac decidi rogant. Pontifex ſtatim cauſâ

*VValdrada Gellex, à Lothario adſciſcitur.*

864 receptâ legatos duos anno ſequenti in Galliam mittit, qui in rei geſtæ veritatem inquirant. Legati muneribus corrupti, Lothario magis, q̃ Tietbergæ favent: callide hortãtur utrumq; Archiepiſcopum, ut Romã vadant & ibi coram Papa ſe excuſent: ipſi Romam regreſſi acta referunt, addentes nullum ſe in toto Lotharii regno clericũ, preſbyterum aut epiſcopum inveniſſe ſapientẽ. Legatos Guntharius & Tietgandes Archiepiſcopi ſubſequuntur: qui coram admiſſi decreta Synodorum exhibent, interrogatique an ea approbent, ſtolidum eſſe affirmant, quod ſcriptum à te ſit, id ore non confiteri. Pontifex his acceptis, eos in hoſpitium ire & exſpectare reſponſum jubet. Interea ipſe ſolus cum paucis ſuorum, decreta cudit, quibus metenſis illa ſynodus damnatur, ambo Archiepiſcopi ab officio deponuntur & ut execrabiles Chriſtiana communio prohibentur. Hæc decreta Archiepiſcopis tanquam ab aliqua ſynodo prolata in conclavi obſeratis foribus, in pręſentia quorundam pontificalium adulatorũ, nullo pręſente epiſcopo, ſine cauſæ cognitione prælecta de charta, vim ſententię definitivæ jubentur obtinere. Archiepiſcopi autẽ de nullitate & manifeſta injuria proteſtati, Papę faſtum, ſuperbiam atq; Tyrannidem viciſſim exprobrant & cum ipſo item communionem aſpernantur quãdoquidẽ ipſe ſe propriis verbis anathemate innodaverit, dicẽs illum

*Fraus Romani Papæ in condemnandis Archiepiſcopis.*

illum, qui apoſtolica præcepta non ſervat anathema eſſe; quæ ipſe hac in cauſa planiſſime neglexerit. Sic illi deturbati officiis domum abeunt. Lotharius autem factum ſuũ decretis Synodalibus tuebatur: ſed & Waldradam omittere & Tiedbergam recipere juſſus eſt, fulmen excõmunicationis minitãte pontifice.

*Lotharius amiſſa VValdrada Tiedbergam recipere jubetur à Papa.*

Dum hæc Romæ & in Lotharingia geruntur, Carolus Calvus in ſuo regno cum Britonibus decertabat & quidem ſatis infeliciter: Nam etſi cum Heriſpio Britonum Rege pacem fecerat eumq; ſibi ſubjecerat donis magis, q̃ armis, eidem tamen fidere non audebat. Quo igitur à Britonum incurſationibus, regnum ſuum tueretur melius, hoc anno 864. Carolus cõventum populi agit Compendii: Ibi Robertum Videkindi filium ex conſilio procerum ducem creat atque regni limites inter Sequanam & Ligerim ſtrenuè defendere cõtra Britones jubet.

*864. Robertus VVidekindi filius dux Andium.*

Interea Coloniẽſis & Treverenſis Archiepiſcopi diris à pontifice Romano devoti ſedem Apoſtolicam iterum adeunt & abſolvi petunt ſed nihil impetrãtes tandem in Italia extorres & abſtenti moriuntur.

Eodem anno S. Anſcharius item Friſius Hamburgi & Bremæ Archiepiſcopus quarto nonas Februarii è vita migrat & Bremæ in Baſilica D. Petri ad altare D. Mariæ virginis ſepelitur: cũ ſediſſet Hãburgi annos ſeptẽ, in Rãſola novẽ & Bremæ duodecim ante inpetratã à Papa eccleſiarum unionẽ & poſtea ſeptẽ: vir literis ſacris ac prophanis juxta eruditus: qui tam in ſcola, q̃ templo ſtrenuè ſemper docuit, pauperes aluit, captivos redemit, afflictos conſolatus eſt Barbariſq; Euangeliũ annuntiavit etiã cum vitæ & Fortunarũ periculo: foris Apoſtolus, intus monachus nũquam otiari eſt viſus.

*S. Anſcarius moritur.*

Succeſſorem habuit Rembertum Friſium agnatum ſuũ, quem Turholto abductũ ſibi adoptavit filium & inſtituit ſucceſſurumq; in Archiepiſcopatu quaſi vates prędixit. Anno ſequẽti Rodulphus apud Fuldam monachus toti Germaniæ ob eruditionẽ notus, Hi-

*Rodulphus Monachus Fuldenſis bene notus moritur.*

ſtoricus

ſtoricus & poëta non ignobilis octavo Id. Martii diē ultimū claudito Arſenius Epiſc. Nicolai Papę legatus ut pacē inter Ludovicū & Carolū fratres & Fotaram fratis filium Reges componat Francofurti à Ludovico Rege magnificè excipitur & muneribus honoratus ad Carolum Regem in Galliam dimittitur: ubi idem regificè habitus cum Carolo Coloniam Agrippinam redit & abſente Lothario ibidem inter fratres regis quæ pacis ſunt conſtituit & cum bona gratia Romam revertitur. Idem deinde anno 866. ab eodem Papa in Franciam eadem de cauſa miſſus à regibus iterum liberaliter tractatus & tandem Fancofurti dimiſſus in Lotharingiam proficiſçitur: ubi ille non minorē quam ipſe Papa auctoritatem exercuit. Convocata enim Epiſcoporum Synodo Regi Lothario ad eandem vocato optionem proponit utrum velit, Tietbergam recipere an diris percuti? ea ſane interrogatione perculſus Lotharius Tietbergam recipit, juratq; ſe eam perpetuo retenturum ut uxorem legittimam. Waldradam deinde Arſenius legatus ire Romam jubet, ut ab ipſo Pontifice veniam impetret verum illo digreſſo nihil eorum quæ mandata erāt ſervatur: Waldrada iterū Lotharii animum blanditiis capit, Tietbergam criminatur acerbius & majores, quam antea in eam iræ ſtimulos concitat. Tietberga eventum infelicem præſagiens fuga periculum vitat ad Carolum Calvū abit & fuga ab illeque defenditur. Pontifex factū Caroli regis laudat. Waldradam pellicem de purificationis Mariæ virginis communione Chriſtiana privat datis de eo ad omnes Germaniæ & Galliæ Epiſcopis literis. Hucbertus Abbas Tietbergæ frater Tranſiuranę Burgūdie dux à Lothario conſtitutus in regem ſuum inſurgit, illumque præliis aliquot vincit: ſed tandem à Conrado comite ſuperatur, prope caſtrum, quod urba dicitur, ut Viginerius affirmat: qui ait hunc Conradum fuiſſe Rodulphi Burgundiæ poſtea regis partem: & per conſequens Hugonis

*Arſenii legati pontificalis in Lotharingia auctoritas.*

*VValdrada à pontifice excommunicatur.*

Abbatis

Abbatis filium & Widekindi Saxonis nepotem, ut alibi explicabimus.

ApudBritannos eodem annoHeriſpius à Salomone cognato ſuo ex inſidiis interimitur: Salomon nihilominus iiſdem conditionibus quo Heriſpius à Calvo in clientelã ſuſcipitur & regnare permittitur, ne bellum faciat. *Salomō Britannis parricidia & Rex Britanniæ à Calvo ſuſceptus.*

Eodem anno Amelandiæ Inſulæ apud Friſios Dominus Hajo nomine ex voto Monaſterium condidit in eadẽ Inſula in loco qui olim Pagano Deo Foſtæ fuerat ſacer, ut illius memoriam aboleret. Quamvis autem Monaſtrium benedictini ordinis monachis erat conſecratum, religio tamen Chriſtiana apud Inſulanos tantum non valuit, quin idem Monaſterium Foſtæ nomen retineret ibique ſtaret annos ducentos quadraginta tres,donec in continẽtem tranferretur, ut ſuo tempore referemus. Mon: in Amelandia Bened:

Hoc item tempore Ludovicus Ludovici Regis Germanici filius patri ſuo iratus ob quædam beneficia ſibi erepta & in Carolomannum fratrem collata, cum multis aliis proceribus in eum conjurat, verum ab epiſcopis pacis amantibus res ſine cæde & ſanguine componitur & filius cum patre in gratiam redit. Eodem anno Bulgarum legati ad Regem Ludovicum Ratisbonam profecti nunciant regem ſuum, cum populo, fidem Chriſti ſuſcepiſſe petereque ſibi viros doctrina & pietate preſtantes mitti, qui ſe ſuumque populum in religione erudiant. Verum ubi Rex Ludovicus anno ſequenti ſacerdotes ſuos inBulgariam mittit, qui ibi Euangelium annuntient, comperit à Romani Papæ legatis provinciam occupatam & ſuam operam ibidem jam eſſe inanem at inutilem. *Bulgarorum Chriſtianiſmum ſuſcipiunt.* *867.*

Eo anno Normanni duce Haſtingo Nannetum Turonumq; finibus evaſtatis oram Ligeris fluvii occupant: eos Ranulphus Aquitaniæ dux & Robertus Comes Andium Widekindi filius exercitu celeriter comparato è veſtigio conſequuntur Normanni id ſentientes claſſem repetere

ſatagunt: ſed ab exercitu Francorum impediti in quandam villã divertunt ac in ejus Baſilica ſe conveniunt. Illos Franci in ea obſidere parant: quo dum Normanni conſpicantur, eruptionem faciunt: Robertum forte exutis armis & capite nudato in ſe vadentem occidunt: Ranulphũ ex feneſtra Baſilicæ ſagitta ſauciant. Ducibus hoc modo infeliciter cæſis exercitus Francorum, diſſipatur: Normãni ad naves ſuas cum præda redeunt. Præfectura ligerina, quæ Roberti fuerat, Hugoni Abbati commendatur, quandoquidem filii Roberti Otto & Robertus adhuc impuberes erant. Hugo autem Abbas fuiſſe dicitur Roberti frater, Widekindi Saxonis item filius.

*Ranulphus & Roberti Francorum Duces à Normannis cæſi.*

Saraceni in Italia Beneventum occupat.

*Eodem tempore Sarraceni ex Africa in Italiam claſſe vecti Beneventum occupant: Ludovicus Imperator fratris ſui Lotharij Auſtraſiæ regis auxiliũ implorat: quod ei Lotharius ſtatim ex Burgundionibus collectum bona fide ſubmittit: quin & ipſe præclaram ſuo fratri operã præſtat: nec niſi invalitudine & peſtilentia ſui exercitus ab eo divelli poteſt. Interea Nicolaus Papa die 13. Novẽbris Romæ moritur, cum ſediſſet annos novem, menſes ſex & dies viginti. Succedit ei die 14. Decem-*

868. *bris Hadrianus ſecundus. Lotharius Rex comperta Nicolai morte, novo Papæ de electione gratulatur: ab eo reſtitui & in gratiam recipi petit. Annuit poſtulatis Hadrianus, ſi Lotharius ſe recte purget. Hinc Lotharius Romam vadit & ſumpto corporis Chriſti ſacramento ab adulterio ſe inſontem jurat & una cum eo proceres aliquot idq; menſe Iulio. Enimvero regnũ ſuum repetiturus, Placentiæ in itinere peſte corripitur ac cum multis ſuorum die Auguſti octavo è vita migrat, manifeſtum Deo haud dubiè ulciſcente perjurium. Dum Ludovicus Imperator frater ejus in Italia cum Sarracenis luctatur & Ludovicus Germaniæ Rex ægrotat, Carolus Calvꝰ occaſioni ſerviẽs Lotharij Regnũ occupat & anno 869. indictione ſecunda quinto Iduum Septembris Metis in Eccleſia S. Stephani ab Hincmaro Archiepiſcopo Remenſi aliiſq; ſuffraganeis in regẽ Auſtra-*

Lotharius perjurus brevi moritur.

Carolus Calvus Lotharingiæ regẽ ſe conſtituit.

ſiæ ungitur & coronatur. Ea re vulgata Ludovicus ad Carolum fratrem legatos mittit, eumq; admonet, ut memor pactorũ conventorum ſit, ne quid in re communi citra arbitrium alterius temerè ſtatuat, alioqui arma ſibi eſſe, quibus jus ſuũ evẽdicare poſſit. Interea Vinidos cum quibus ipſi bellum erat, per filium Ludovicus vincit. Hoc etiam tempore Baſilius Cæſar Michaelem Imperatorem ſuum Conſtantinopoli occidit atque ejuſdem invadit Imperiũ: filiam Ludovici Imperatoris Romani ſibi uxorem petit ſed repulſam patitur. Saraceni in Italia Ludovici Imperatoris exercitum à tergo ſequentes capiunt: AEdem S. Michaelis in monte Gargano ſpoliant. Salomon Rex Britonum cum Normannis pacem facit. Hugo Abbas Normannos ad ligerim conſidentes turbat occiſis illorum ſexaginta: Normanni viciſſim eruptione facta Pariſios invadunt: S. Germani monaſterium depopulantur & igne injecto cellarium Monachorum exurunt. Rex Carolus Turones & Cenomannos trans Sequanam civitates ab incolis muniri rogat. Normãni eo audito frumentum unum & argentum ingens ab incolis oxtorquent & cum illis pacem faciunt. Pridie Nonarũ Octobris Ermentrudis Caroli regis uxor apud S. Dionyſiũ mortem obit & ibidem ſepelitur: Carolus apud Diutziam illud audiẽs ſeptimo Idus Octobris prædicti, à Boſone Bovini Ardemiæ Comitis filio, Richildum ſororem ejus extemplo ſibi adduci jubet eamq; in concubinam accipit: Boſoni Abbatiam S. Mauritij cum aliis honorariis donat. Ipſe hinc Aquiſgranum cum amica properat, ut & reliquos de Lotharii regno ad ſe polliceat: id fruſtra fuit.

Hugo Abbatis Normãnos turbat.

Carolus Calvus mortua uxore concubinã capit.

Inde ad Gundulphi villã profectus legatos Hadriani Papæ audit: qui ipſum admonebant, ne Ludovico Imperatori contra jus atque fas regnum Lotharij intervertat, niſi anathemate feriri velit & diris devoveri. Cum illis una aderant legati regis Ludovici tantundem poſtulantes. Carolus auditis & amiſſis legatis, dum perſuaſus falſis rumorum nuntiis Ludovicũ fratrem aut eſſe mortuum aut morti proximum credit, nibilomi-

*nus in Alſatiam contendit, ut & ibi ſibi quoſdā adjungat: nec conatu fruſtratur. Inde Aquiſgranum reverſus nativitatem domini ibidem celebrat. Anno ſequenti Neomagum proficiſcitur, fœduſque novum cum Rorico Normanno percutit deinde nuptias cum ſua Richilde in feſto ſeptuageſimæ agit. Eam celebritatē ſupervenientes Ludovici Germaniæ regis legati turbant. Iubent enim ipſum Aquiſgrano & Regno Lotharij omnino decedere; omniaq; in priſtinum ſtatum reſtituere aut ſine miſſione bellum exſpectare. Quibus minis admodum perculſus Carolus, per nuntios intercurrentes jurat, ſe Ludovico fratri portionem ſuā Lotharici regni ſine dolo malo ceſſurum: ſi tantundem Ludovicus præſtet. Eoq; facto rectâ Compendium proficiſcitur: menſe autem Majo Attiniacum ad palatium redit. Ibi inter legatos & ipſum convenit, ut in ipſo Lotharij regno, diviſio ejus celebretur à proceribus, qui ejus notitiam habeāt. Eam ob rem quinto Calendarum Auguſti Ludovicus atque Carolus reges ad condictum locū Marſanæ ad Moſam congregati, Lotharici regni talem inſtituere partitionem, qualem P. Pithæus ad calcem Nithardi & Aimoinus monachus lib. 5. cap. 25. nobis in ſcriptis reliquerunt. Ex qua apparet, Friſiæ partes duas Ludovico Regi & tertiā Carolo Calvo tunc obveniſſe & conſequenter ante hæc tempora Friſiam fuiſſe, poſt Caroli magni & Ludovici Pij fata, in ditione deinceps utriuſque Lotharij: quod recte à noſtratibus intelligi operæ precium duco. Erat hac ætate Vltrajecti Epiſcopus S. Hungerus natione Friſius homo doctus ac prudens, quemadmodum & ſupra diximus. Is cognita morte Lotharij Regis Francofurtum profectus, orat Ludovicum Germaniæ regem, ut ſuæ eccleſiæ immunitates jam antea à patre ejus conceſſas, benigne confirmet nec ab ipſo repulſam patitur. Ludovicus enim pleniſſime epiſcopi preces approbat ſuo diplomate, quod apud Guilhelmum Hedā in hiſtoria Vltrajectina hoc loco extat & ipſe regni ſui anno in Francia Orientali viceſimo nono, indictione ſecunda id eſt Chriſti 869. Francofurti in regio palatio dedit, qui annus S. Viro etiam fa-*

Regium Lotharii dividitur inter Ludovicū & Carolū Reges.

Hungerus Epiſcopus Vltrajecti moritur.

*talis*

*talis fuit, utpote qui undecimo Kal. Ianuarij è vita deceſſerit cum ſediſſet annos tredecim. Ei in epiſcopatu tum ſucceßit Odilbaldus item Friſius. Epiſcopus duodecimus de quo infra.*

Quamvis autem hoc tum Ludovico regi licuerit propter mortem Lotharii & ſpem hæreditatis acquirendę, quę tum vacabat & ipſi potius, q̃ Calvo debebatur ob prærogativam germanitatis, ut ſic loquar, tamen veriſimilè non eſt eundem Germanię regẽ eadem atq; ſimili uſum libertate in donanda Vaſda, quę tunc temporis omnino erat in poteſtate aut regis Calvi aut Comitis Flandriæ Balduini. Scribit autem Iohannes de Beca, cujus ſupra quoq; mẽtionem fecimus, in Hungero hoc Vltrajecti Epiſcopo, poſt verba ſupra allata de donatione Carolina continenter hoc modo: *Ludovicus autem Rex & frater jam dicti Caroli contulit etiam eidem Theodorico Comite precibus Hemmæ reginæ Foreſtum Vaſda comitatui ſuo contiguum, pro eo quod vir eſſet Valde Famoſus & in cunctis geſtis militaris exercitii colludand°.* Hanc Iohannis Becani narrationẽ itẽ approbat Iohañes Leydẽſis Carmelita in Chronico Hollãdiæ majore: ſequuntur porrò omnes minorum gentiũ Hiſtorici. Solus Guilhelmus Heda & Ianus Douſa Nortuici Dominus hic turbant, ſed explicare ſe omnino nequeunt Douſa diploma antiquum furcillare non audet, medicinam quærit ſed non invenit: propter Hemmã reginam, in Ludovico rege Germaniæ figitur, qui Hemmam nomine uxorem habuit Hiſpanienſem. Verùm enimvero, ſi monachorum inertiâ & imperitiâ vitiatum inſtrumentum cogitaſſet, facile in viam veritatis ſe ipſe deduxiſſet. Quemadmodum enim in Caroli diplomate, quo eccleſia Egmõdenſis Theodorico Comiti donatur, Epocha Chriſti præter morem illius ævi à ſciolis eſt addita & in ea corrigenda nequicquã laboravit Dauſa: Sic item in hoc proſteriori inſtrumento quod Ludovico regi adſcribitur ætas Chriſti temerè appoſita omnem difficultatem parit cum alioqui inſtrumẽ-

*Quis Vaſdã donaverit Comiti Hollandiæ quæritur.*

tum eâ ſublatâ per ſe ſit explanatu facillimum quamvis Theodorico primo Hollãdiæ Comitii accommodari nequeat. Conſidera quęſo te, benignè lector, inprimis mecũ æram Chriſtianam, quæ anno 868. conſtituitur: deinde incipit Ludovici regnãtis annum decimum quintũ, confer porrò indictionem duodecimam, ut in diplomate ſingulatim hæc exprimuntur, invenies profecto iſta omnia inter ſe diſtare longiſſimè, quæ convenire debebãt. Anno Chriſti 868. indictio eſt prima: anno Ludovici decimo quinto indictio eſt tertia: eſt enim annis ille Chriſti 855. Iam ſi Vthelricum Archiepiſcopum & ſummũ Cancellariũ ꝓ quo Gezæ Cancellarius diploma recognovit, ſub Ludovico Rege Germanię quæras, nullũ invenias. Illo enĩ tẽpore Coloniẽſi eccleſiæ pręſidebat Gũtherus, Treverẽſi Tetgãdus ambo ob Lotharii adulteriũ à Nicolao põtifice excõmunicati ut ſupra vidimus; ſed & Moguntinenſi ſedi tũ pręerat Lutbertus: Nec alii in imperio Germanici regis aut Archiepiſcopi aut Cãcellarii tũc audiebant. Quid igitur dicemus? falſum eſſe inſtrumentũ in Archivis repertum & ævi longinquitate comprobatium? Abſit à me iſta temeritas. Sane ſi Ludovicum Germanię regem donatorem, Si Thedoricum primum Hollandiæ Comitem donatarium: ſi annum Chriſti 868. ſpectes erit profecto diploma falſiſſimum. Sin autem characteres in eo aſſignates ſequi voles, perſona cancellarii, ætas donatoris & indictio in rem pręſentem te deducent liquidoq; cognoſces annũ Chriſti nongenteſimum ſexageſimum nonum illis omnino reſpondere nec alium eſſe donatorem quam Lothariũ Ludovici Tranſmarini filium aut donatariũ quam Theodoricum Hollandiæ Comitem ejus nominis ſecundum & nequicquam hic de Theodorico Aquitano aliove ſomniari, quemadmodum nos ad illum Chriſti annum rebus ipſis demonſtrabimus. His ita obiter refutatis contenti, de proſapia Comitum Hollandicorum, de eorũ primis domiciliis

*Vaſda à Lothario rege Franciæ donata Theodorico ſecundo Comiti Hollandiæ. Anno Chriſti. 969.*

miciliis, de rebus ab ipſis præclare geſtis, nihil hic porro adjicimus, quandoquidem unumquodque ſuo loco & tempore ſtatuimus agere, ne Hiſtoriæ rigor conturbetur. Sunt autem pleraque talia, quæ Hollandici ſcriptores de illis prodiderũt, ut me illorũ & pudeat & miſereſcat. Verũ ad rem. Diviſione regni Lotharici inter Germanię & Frãciæ reges conſtituta Ludovicus Aquiſgranum, Carolus Heriſtellium conceſſere. Pontifex autem Romanus Hadrianus ſecundus inſtinctu Imperatoris Italici legatos re cõperta in Germaniã & Galliam dirigit, comminatur utrique regi diras in Lotharii hæreditatem vi occupatam Ludovico Imperatori reſtituant. Reges autem hujus Papæ importunam inſolentiam ægrè ferentes in propoſito perſiſtunt; legatos tamen honorificè ſuſcipiunt ac dimittunt. Erat Carolo regi filius nomine Carolomannus: qui quãvis ſacris à patre initiatus eſſet, contra voluntatem tamen patris illum ordinem deſerverat ſcurriſque ſe & nebulonibus male vivendo ſonaverat. Is ſæpius & à patre & ab eccleſia acriter correptus, cum ad meliorem frugem redire nollet, hoc anno ex decreto epiſcoporũ privatur oculorum acie & Corbejam in monaſterium mittitur. Carolus quoque ejus frater volens experiri vires ſuas, cum Albino ob corporis robur inter aulicos famoſo equite, in tenebris congreditur, & ab eo ignotus opprimitur. Hoc domeſtico infortunio Calvus pater eodem tempore percuſſus, ſolum Ludovicum cognomento Balbum habet hæredem, nec eo ſegnius inferiorem Burgundiam bello aggreditur, Gerardoque Comite debellato Viennam, quæ ipſum portis excluſerat, fæliciter recipit. Ab hoc Gerardo Burgundicorum Comitũ origines nonnulli deducunt ut apud Vignerium eſt videre.

*Regis Papæ minas contēnunt.*

*Carolo Calvo domicalamitas in filiis duobus*

*Interea Ludovicus Rex Germaniæ per Carolomanum atq; Carolum filios, cum Slavis & Bohemis varie pugnat, Raſticē Marcomannorum ducem tradente Suentobaldo nepote ejus capit &*

*pit &*

*pit & ex Iudicio populi oculis privat, alioqui mortis communi calculo condemnatum. Ludovicus autem atque Carolus filii*
871. *Regis Germaniæ cum fando audiſſent ſibi quædam teſtamento*
Ludovicus Rex Germaniæ domi turbatur à filiis. *legata à patre, in Carolomannum fratrem preter meritum eſſe tranſlata, in pagum Spirenſem à patre ſecedunt, nec niſi beneficiis deliniti ad patrem revertuntur. Suentobaldus quoq; dux Marcomannorum apud Carolomannũ falſo accuſatus capitur, ſed innocens deprehenſus, numeribus affectus cum exercitu dimittitur, ut ditionis ſuæ occupatorem ad reſtitutionẽ compellat. Ille verò injuriæ majorem quam fidei rationem ducẽs, ad ſuos reverſus exercitum à Carolomanno ſibi commiſſum ſpoliat ac*
Zuentobaldus dux moraviæ perfidus. *necat: Bojoarios ex improviſo aggreſſus magnis detrimentis afficit. Carolomannus audita ſuorũ clade Suentobaldo ut captivos ſuos redimat, obſides reddit: ſed unum tantum ſeminecẽ recipit: de vindicanda injuria conſilium capit. Forte fortuna tum quidam Moravi proceres filiam Bohemici ducis principi ſuo nuptam in Moraviam ducebant: Hi in inſidias Francorũ ex inſperato incidunt: capiuntur eorum equi ſexcenti quadraginta quatuor una cum ſellis frænis atq; ſcutis quorum ſeſſores in Nemus Harcinium ſe condunt; Franci cum præda in caſtra læti revertuntur.*

872. *Circa Epiphaniam domini menſe Ianuario Baſilius Macedo Imperator Conſtãtinopolitanus miſſis legatis Ludovicũ regẽ germaniæ inter cætera munera cryſtallo miræ magnitudinis*
Ludovicus Rex Germaniæ regnũ ſuum inter filiis dividit *amicitiæ ergô donat. Ludovic⁹ viciſſim legatos magnificè tractatos regificè quoque remimeratur: deinde inter filios regni ſui diviſionem inſtituit, ut quiſque illorum ſciat, quam partem à morte patris ſit accepturus, eoque modo eoſdem in gratiam recipit: filii vice verſa in præſentia totius exercitus patri fidẽ perpetuam jurant. Carolomannus tunc in Moravos pugnabat auxilia ei ſubmiſſa periclitantur, dum æmulatione inter ſe contendunt. Suentobaldus incendia & cædes in ſuis paſſus eruptionem in Bojoarios facit: multos illorũ apud naves ad Iſtrũ profligat, necat & ſubmergit. Multa hoc anno in cælo prodigia*

*viſa Rex*

viſa Rex Ludovicus Francofurti hibernans menſe Ianuario 873.
pro regni ſui commodo conventũ populi agit. Ibi cum ſeptimo Cal. Februarii curiã introiſſet coram Epiſcopis atq; præfectis, Carolum filium ejus natu minimum malignus ſpiritus invadit & graviter adeo vexat, ut vix à ſex viris robuſtiſſimis contineri poſſet. Is precibus Epiſcoporum à Deo ſanitati reſtitutus, faſſus eſt ſe toties à Diabolo fuiſſe occupatũ, quoties in patrem mala cogitaſſet. Paſcalibus verò exactis Rex Ludovici ad villam Wiſſenſtadium Wormaciæ confinem proficiſcitur: ibi Ludovicum atque Carolum filios cauſis ſubditorum audiendis & determinandis præficit: illi eo officio ita perfunguntur ut controverſiis deciſis populus pro Iuſtitia adminiſtrata lætus ad ſua redeat. Menſe Auguſto ejuſdem anni Rex Germaniæ conventum populi apud Mediomatricos generalem habet: eô legati Danorum à Sigefrido & Halpdano regibus miſſi ab eo oblatis Honeſtis muneribus pacem petunt & ſe in clientelam recipi poſtulant. Annuit illorum precibus Rex fœduſque apud Egidoram fluvium ſuis utrimque juramentis firmatum icitur. Legatis Danorum remiſſis, Rex Argentoratum & inde in Bojoariam redit

*Carol' Craſſus Ludovici Regis filius à diabolo vexatur.*

Eodem anno fames Italiam & Germaniam incredibilis attenuat: multi mortalium inedia pereunt. Accedit huic malo Locuſtarum quædam inuſitata multitudo: quæ agminatim volantes ad inſtar exercit' agros premiſſis ducibus occupabant & quaſi caſtra metatæ omnia viridia in illis conſumebant. Quæ tandẽ in mari Britanico ſuffocatæ & æſtu maris in littora rejectæ aerem fætore complebant, unde peſtilentia orta hominum generi magnam cladem intulit. In Italia tunc apud Brixiam tribus diebus ſangius de cœlo pluiſſe perhibetur. Anni autem 874.
ſequentis menſe Iunio claſſe in Friſiam deſcendit Rodulphus Nermannus ſuperiorum regum (ni fallor) frater. Is cum ſæpe numero regnum Francorum incendiis ac prædis crudeliter vexaſſet ad novam rapinam converſus à Friſiis tributum exactabat, Friſii verò affirmãtes ſe nulli alii principi præterquã

*Fames & Peſtilentia in Italia & Germania.*

Dani.



*Ludovico Germaniæ regi tributum debere aut ſolvere, homini Barbaro ita bilem commoverũt ut temere juraret ſe omnes ſublatis maribus, parvulos & mulieres in prædam verſurũ, ignarus planè quid ſerus veſper veheret. Enimvero cum ſubito terram ingreſſus prælium intentaret: Friſii contra armati occurrentes implorato Dei auxilio & ipſum ducem ſuperbientem una cum Octingentis ſuorum primo impetu occiderunt & reliquam turbam in domum quandam compulerunt unde ſe movere nequibant: quam deinde obſeſſam, cum obſides dediſſent, ea conditione tandem dimiſſerunt, ut omne aurum & argentũ, quod in navibus erat Friſiis appenderent & porro jurarent, ſe nunquam poſt illum diem in regnum Germaniæ regis prædãdi cauſa reverſuros. Sic leviter punita Nornannorum ſuperbia, ne deſperatio obſeſſis animos daret. Hoc factum annales patriæ Heſſelo ab Hermana adſcribunt, qui tum numere poteſtatis functus accepto gravi vulnere ſaucius aliquãdiu ex illo decubuerit. Quem ajunt inſuper fuiſſe virum valde mitem ergà ſuos: in hoſtes verò intrepidum & formiduloſum pugnam autem hanc ad annum 869. annotant, triennio prius, quam annales veterum Francorum.*

*Rodulphus Normannus cũ ſuis à Friſiis ceſis: argentum & aurũ à Normannis oportum.*

*Heſſel⁹ Hermana Friſiæ poteſtas.*

Huj⁹ anni Hiems fuit aſperrima Rheno & aliis Germaniæ fluminibus glacie conſtrictis. Multi illic frigore perhibẽter mortui, qui propter nives lignari in tempore non potuerant. Peſtilentia deinde in totam Galliam & Germaniam ſæviter graſſata dicitur. Interea Ludovicus Rex Germaniæ per Alpes Noricas in Italiam profectus apud Veronam cum Imperatore Ludovico & Iohanne octavo pontifice Romano colloquium habet: Inde reverſus forchemi cũ Carolomanno & Ludovico filiis verſatur: Inibi legatos Zuentobaldi Maraviæ Regis pacem petentes audit & abſolvit; ſicut & legatos Bohemorũ. Hinc primo Francofurtum deinde Aquiſgranum cõtendit & tandem menſe Decembri Leodicum. Ibi fratrẽ Carolũ convenit. Francofurti verò Natalem domini celebrat. Vxor ejus

Hemma

Hemma paralyſi afflicta, uſum loquendi amittit. Hibernis Francofurti finitis paſcalibuſque exactis in Bajoariam redit, ut reginam uxorem viſat. Inde reverſus circa Calendas Iunii Triburiis, conventum populi agit. In eo ſeditio inter Francos & Saxones orta prudentia Ludovici Iunioris ſedatur, ne mutuis cædibus concurrant. Octavo Iduum ejuſdem menſis à borea cometa viſus eſt horrendum ſcintillans. Tempeſtas quoque ſub noctem orta in agro medio procul à fluminibus ſitum pagum fere totum aquâ pluviâ delevit, arbores radicitus exſtirpavit, ædificia evertit, Iumenta atque pecudes neci dedit, maritos cum uxoribus atque liberis rapuit, & in diverſa diſperſit: quin & cadavera jam dudum terræ tradita, aquarum violentiâ de ſepulchris eruta & ad vicinos delata miſerum ſui præbuere ſpectaculum. Hinc menſe Auguſto Ludovicus Italiæ Rex & Imperator excedit è vita: Mediolani in Baſilica D. Ambroſii humatur, magnum ſui deſideriũ apud illos relinquens, ut exigrãmna in obitum ejus illic exaratũ abundè teſtatur. Angelberga Auguſta uxor ejus ſe monialium conſortio apud Brixiam jungit ac in eo vitam deinde finit. Morte Imperatoris vulgata, cum Comites Tuſculani, qui Romæ tum potentes erant, res novas molirentur & regnum Italiæ in ſe aut indigenas transferre ſatagerent, pontifex Romanus ut conatus illorum impediret, confeſtim quatuor legatos ad Carolum Calvum mittit, qui illum ad Imperium ſuſcipiendum invitent. Carolus illis auditis è veſtigio vel menſe Decembri alpes tranſvolat, Theſauros Imperatoris undique, etiam apud viduã Imperatoris conquirit atque aufert illiſque ſibi papã atq; proceres Italiæ conciliat. Ludovicus Germaniæ rex ob id Carolo iratus Carolomannum filium cum valido exercitu in Italiam legat ut Carolum ejus Imperio exuat. Ipſe cum filio cognomine Galliam petit, cuncta ibi rapinis vaſta facit ut Carolum ad ſua tutanda revocet. Caro-

tempestas

*Ludovicus Italiæ Rex et Imperator moritur.*

*Carolus Calvus à Papa ad regnũ Italiæ invitatur.*

lus Carolomanni ſubito adventu territus armis congredi non audet, rebus ſecundis audax adverſis autem lepore timidior: dum pugnam vitat ad artes divertitur: Carolomanno aurum argentum & gemmas liberaliter offert. Iuratus promittit ſe arbitrio fratris Italiæ regno ceſſurum ſi Carolomannus bello non utatur. Carolomanno fidem habente magnificis promiſſis & domum revertente Carolus Romam propere adit Largitione Senatum proceresque purpuratos delinit ac in ſuas partes trahit. Papa illis conſentiens, ipſum in ipſis Chriſti natalitiis & Imperatorem & Auguſtum nuncupat. Nonis Ianuarii Imperator Roma diſcedens Papiam venit. Ibi regia corona ab Archiepiſcopo cinctus conventum populi agit, leges & privilegia civitatibus ac monaſteriis dat & confirmat: Boſonem uxoris ſuæ fratrem ex comite ducem Inſubriæ facit: & ducali corona ornat: quibus actis alpes tranſit. Boſo illo digreſſo Emingardim Imperatoris defuncti filiam, colludente Berengario, uxorem capit & cum ea nuptias ſupra modum magnificè celebrat. Rex autem Germaniæ Ludovicus Galliæ populum miſeratus precibus ejus dat locum & menſe Ianuario in regnum ſuum revertitur, ne tota regio ob unius ſtultitiā immerito plectatur. Interea Hemma uxor ejus Ratisbonæ è vita diſcedit & ad S. Emerāni Martyris ſepelitur. Carolus autē Italia reverſus nihil de conſueta ſua ſtultitia remittit, veſtitum regni ſui contemnit, Græcanicum conſectatur & in eo ſe venditat. Imperator Auguſtus ſublato regis nomine audire vult. Minatur fratri ſuo Ludovico Regi Germaniꝫ & regno ejus vaſtitatem atque exterminium. Verumenimvero Ludovico exercitū colligente oleo fit trāquillior. Dum hæc in Italia & Gallia à regibus inſubide aguntur, Friſii in extremis imperii ſedentes, quaſi pro derelicto habiti ſeipſos egregie contra Hoſtes Normannos defendunt. Nam cū Normanni quaſi requiē quęrentes in Friſiam claſſe vecti,

deſcendiſſent

deſcendiſſent ſolitoq; more prædas agerent, Friſii ſuperioribus illorum vexationibus exarcerbati, ſe mutuo in vindictam exhortantur & Deo fortunāte, illos vincunt, omnibuſque theſauris, quos hactenus piratica conquiſierant, exuunt. Friſii autem illi, qui vicerant occidentales ab annalibus appellantur.

*Interea dum inter Ludovicum & Carolum Fratres Legati ultrò citroq; commeant, utpacem inter eos conficiant, Ludovicus Germaniæ Rex in morbum incidit illoque tandem prævalente, quinto Calend. Septembris Francofurti in palatio vita defungitur. Morte fratris cognita Carolus regnum ejus invadere & non ſolum Lotharii quondā ditionē attentare, verū etiam uſque in Rhenum cupiditate progredi, Moguntiam, Vormatiam, Spiram appetere, primo Impetu Aquiſgranum occupare indeColoniam ire, defuncti regis ſubditos legationibus fatigare ut dominos ſuos deſerant & ad ſe tranſeant. Ludovicus autem Iunior defuncti Germaniæ regis filius perſpecta patrui avaritia, cum per ferrum candens aquamq; calidam atq; frigidam Dei judicium de juſtitia ſuæ cauſæ prius exploraſſet, fiducia plenus cum paucis ſuorum illi occurrit, ad Boreum Rheni latus caſtra collocat: Deinde legatos, ad Carolum dirigit: qui ipſum graviter monent, ne contra jus gentiū, prius bellum gerat, quam denuntiet: ne jusjurandum fratri datum temerè contemnat: ne veros Hæredes bonis ſpoliet, nec in multitudine virium confidat ſed intelligat à Deo eſſe victoriam quæ nonnumquam illo dante vel imbecillioribus ſoleat contingere: qui denique rogant, ut animo frænato, quod bonum equumq; ſit & velit & intendat. Carolus autem cupiditate excæcatus, dum in propoſito obſtinatus perſiſtit, à Ludovico pene fallitur. Nam relictis caſtris Ludovicus ſub noctis ſilentio Rhenum tranſit & caſtellum Andernacum occupat. Dum autem exercitus ejus pabulatum proficiſcitur ipſe legatos iterum pro pace ad Carolum mittit: quam Carolus miſſa legatione ſe daturum falſo pollicetur ut Ludovicum decipiat & incautum opprimat.*

Ludovicus Rex Germaniæ moritur.

Carolus Calvus omnia regna occupare nititur ſed à Ludovico Ludovici Regis filio repellitur.

*Et ſane*

*Et ſane ipſum oppreßiſſet eadem nocte Carolus ni Ludovicus opera Archiepiſcopi Colonienſis de Caroli motu atque inſidiis fuiſſet certior factus. Illis compertis Ludovicus, ſoli Deo & cauſæ ſuæ fiſus, arma ſubito induit, militem præſentem in albis præcedere jubet, nocte intempeſta Carolo viriliter occurrit prælium conſerit. In eo Saxones in fronte collocati primum retrocedere ſed Franci Orientales illis ſuccedentes magno impetu incumbere, Carolum in fugam conjicere multiſq; cæſis & è proceribus captis caſtra invadere, iiſq; potiri, cum omnibus impedimentis & regiis theſauris. Sic qui prius Deũ ac homines agnoſcere præ ſuperbia nolebat, nũc deformiter fugiens hominum auxilio ferè deſtituitur divinitus evidenter ob injuſtitiã punitus. Quod inde liquido apparet, quod ejus milites ad primam aciem viſi ſunt præ timore tremere, quodque equi vel calcaribus foßi innobiles conſtiterint tanquam ad palum ligati nec in hoſtem progredi valuerint. Ludovicus hac parta victoria relicto patruo Aquiſgranum occupat atque ibi conſtitutis rebus Francofurtum lætus revertitur. Menſe Novembri Carolomannus Ludovicus atque Carolus Fratres Ludovici regis Germaniæ filii Salveldiæ conveniunt & regnum paternũ inter ſe paicificè dividunt. Carolomannus (inquit Regino Abbas Prumienſis) ſortitus eſt Bajoariam Pannoniam & Carnutum nec non & regna Slavorum Bohemenſium & Marahenſium: Ludovicus Orientalem Franciam, Turringiã, Saxoniam & partẽ regni Lotharij Carolus autẽ Alemanniã & aliquot civitates ex regno Lotharii. De Friſia autem ꝙ hic dicitur, intelligendũ eſt de partibus illius duab⁹, quæ patri illorũ ex diviſione regni Lotharici obvenerãt: Tertia enim pars Friſiæ Carolo debebatur Calvo. ægrè eſt mihi partes illas Friſiæ ſpeciatim ab Hiſtoricis non eſſe propoſitas. Certius enim de rebus noſtratibus judicare poßemus, ſi partiũ, quæ cuiq; ceſſerunt, fuiſſet facta declaratio. Nunc conjectura hoc aſſequimur, ut putemus Transflevanos Friſios Ludovico Germaniæ regi primum obveniſſe eoſdémque ad filium ejus Ludovicum poſtea tranſlatos. Id*

*Carolus Calv⁹ à deo punitus.*

*Fratris Germanici regnũ Germaniæ inter ſe dividunt.*

tos. Id

*tos. Id ex eo prælio maximè conjicimus quod Friſii cum Rudolpho Normanno annis ſuperioribus habuerunt. Eo anno Heſſelus Hermana poteſtas Friſiæ ut ajunt moritur: ſucceſſor illi datur, IgoGalameus vir admodum belliceſus: qui, cum Normanni ſtatim Friſiæ littora carperent, admonere ſolebat Eſenſtadienſes, ut diligenter contra Normannos vigilarent: Ex illo (inquiens) nigro angulo omne malũ Friſiæ naſcitur. Is etiam eodem anno migrat è vita.*

Igo Galamus Potestas Frisiae

Anno autem 877. menſe Ianuario Ludovicus Rex Germanicus Francofurti generalem populi conventum agit: Captivos, quos ad Andernacum ceperat, ſine redimia in Galliam patruo remittit: ipſe Slavos Linones, eorumque vicinos ſeditionem molientes per amicos fideles ſine bello comprimit & ad priſtinum reducit obſequum. Carolus vero ejus patruus prima æſtate ad preces ſummi pontificis Romam ſecundo proficiſcitur & rebus ibidem utcumque diſpoſitis in Longobardiam revertitur.

Dum is in terea Papię rempublicã cõſtituit & nihil mali alicunde expectat, CarolomannusBajoariæ Rex tranſcenſis alpibus ſubito in Longobardia in armis apparet: quod adeò ipſum terret, ut confeſtimTicinum Padumq; fluvios tranſvolet ſed prius, quam alpium cacumnia ſuperet in morbum incidit: cum autem morbo curando Zedechias Iudeus medica tam potionem propinaſſet: Carolus ea ſumpta pridie Nonarum Octobris vitam & hujus mundi ambita imperia cum triſtitia deſerit. Cadaver ejus vercellis cis Alpes ob intolerabilem fætorem humo contegitur: verum oſſa ejus ſeptennio poſt inGalliam ad S. Dionyſium deferuntur. Interea Carolomannus conciliatis ſibi procerum animis Regnum Longobardiæ cõparat & trienniũ deinceps obtinet eoque, ut voluit ordinato in Bajoariam redit. In Gallia LudovicusBalbusCarolo patri ſuccedit, octavo Iduum Decemb. ab Hincmaro Archiepiſcopo Rhemenſi in palatioCompendii coro-

natus:

natus: ſtatimque legatos excuſatum injurias quas pater in patrem ejus fratrem ſuum commiſerat ad Ludovicum Franciæ Orientalis regem dirigit: eos Ludovicus benignè auditos abſolvit: ipſe ad aquenſe palatium ſe deportat ibique natalem domini celebrat. Inde menſe Ianuario ſe-
878. quentis anni Francofurtum redit & menſe Februario ibidem populi conventum agit. A fratre ſuo Carolomanno partem regni Lotharici quam ipſe ei anno ſuperiore dederat recipit & cum fratre Carolo bona fide cõmunicat. In Italia Comites Tuſculani, qui Romæ tum potentes erant: deinde Lambertus Guidonis fil. dux Spoletinus & Albertus Bonifacii fil. Dux Forojulienſis, cum manu ſuorum valida Romam ingreſſi, urbem expoliant: Iohannem no-
*Iohannes nonus papa aliis octavus* num (qui aliis octavus eſt) Pontificem Romanum ſub cuſtodia tenent & optimates populi Carolomanno regi Bojoariæ ſacramentum nomine regni Italiæ dicere cogũt. At illis digreſſis, Põtifex Libertati ab amicis redditus Albertum Marchionem ſive ducem & Lambertum ducẽ una cum Formoſo Epiſcopo Portuenſi & Gregorio Nomenclatore (qui in ipſum conſpiraverant) ex decreto Synodi, quam Romæ habet, excõmunicat; omnem Theſaurum Vaticanæ ędis in Lateranenſem transfert; altare D. Petri cilicio tegit: fores templi occludit & cum ſuo comitatu ſecum trahens Formoſum Epiſcopum ſupradictum, in Galliam contendit: ſtatimque apud Tricaſſes Synodũ generalem inſtituit. In ea in primis Synodum Romanam confirmari curat, deinde Ludovicũ Balbum Caroli Calvi filium ſeptimo Iduum Septembris pro ſua poteſtate Imperatorem creat & corona redimit, ut eccleſia Romana ſub ejus defenſione recreetur, quæ tunc ſub cruce, propter Saracenos Italiam vaſtantes, Lugebat. Hinc anno vertente à Boſone comite Arelatenſi, quem Trecis in filium adeptaverat, magnificè prius ab Imperatore & clero muneratus, in Italiam reducitur. Annis autem ſuperi-

oribus

oribus Saraceni Tarento moventes Barriũ ac vicina loca occupaverant ac Salernitanos, Amalphitanos & Neopolitanos ſollicitaverant, ut icto fœdere Romam ſimul invaderent. Fædus illud ante quam in Galliam abiret, irritum fecerat pontifex Saracenoſq; promiſſis viginti quinq; coronatorũ millibus in annos ſingulos placaverat Saraceni verò interea Syracuſas in Sicilia occupaverant & ferè deleverant iterumque in Italiam deſcenderant circa Fundos ac Tarracinam, occupatis Littoribus. Pontifex autẽ Romam reverſus, Balbi auctoritate inimicis perterritis nulla interpoſita mora cum iis, quæ ad manum erant amicorũ copiis in Saracenos ducit atque iis repulſis, Balbũ Imperatorẽ ad conficiendas eorum reliquias in Italiã advocat. Verùm enimvero Ludovicũ quo minus eô proficiſcatur, res domeſticę detinẽt. Cùm enim is Trecis Cõpendium revertiſſet legatorum ſuorum, quos ad conſobrinum ſuũ Ludovicũ pro pace miſerat, relationes audire cogitur & Calendis Novemb. Heriſtallium proficiſci, ubi apud Marſuam in loco, qui dicitur Furonis, cum eo pacem facit, eo modo, ut diviſio Lotharici regni, quemadmodum inter parentes ipſorum inita erat, rata permaneat: de Italię regno, quod Ludovicus filius Lotharii habuerat, quoniam ejus diviſio conſtituta, nondũ erat, ut is illud teneret, qui modo tenebat donec iterum convenientes ex communi amicorum conſilio, quod æquius meliuſque viſum fuerit conſtituatur. Do eo proteſtati, ambo cõventum ſolvunt: & Germanicus quidem Francofurtũ, Balbus verò in regnum ſuum ſe confert.

*Saraceni cũ Italis fœdera ti à Pontifice turbantur.*

*Hoc autem eodem anno vivebant apud Nerſam fluvium in Menapiis duo fratres Vichardus & Lupoldus Ottonis, ut aliqui volunt filij Pontonis Caſtelli dynaſtæ, qui occiſo quodã mõſtro, quod in agris ipſorũ latebat ac ſubditos multis afficiebat incommodis à monſtri nomine Geldriam urbem condidiſſe perhibentur. Erat illud monſtrum, ut ajunt; immane quedã*

De origine Geldriæ urbis

*& venenoſum animal ſub meſpilo deliteſcẽs, agros devaſtans, pecora & animalia minora per occaſionem devorans: adeò Noxium, ut incolæ ob id agros desererẽt & alio ſe conferrent. Eo autem occiſo prædicti fratres arcem conſtruxerunt, quam à clamore ejus monſtri quo Gelre Gelre ſæpius ingeminaſſet Gelriam nominarunt. Rei veritas fabuloſo involucro tegitur, ꝗ auferendum eſt. Erat tunc in ea regione quædam palus & ex ea ſcaturiens amnis, qui ſua exundatione totum agrum reddebat infeſtum. Hic amnis Gala dicebatur, hodiéque in tabulis Geographicis ita pingitur, ut in Nerſam fluviũ deſinat: Quẽ cum aggore coercuiſſent iſti duo fratres, ad ejus oſtium ædificarunt oppidum, quod Galedoir tanquam Galæ oſtium & per cõtractionem Galder eſt dictum, quemadmodum cives ejus oppidi hodiéque pronunciare ſolent. Sic Hercules inter cætera mõſtra Acheloum quoque ſuperavit, qui cum fluvius eſſet & extra ripas ſæpe difflueret agro vicino vaſtitatem inducebat: dictus ob id à poëtis Serpenti vel tauro ſimilis ob alveorum obliquitatem, quæ cornua fuerunt appellata. Quẽadmodum verò Acheloi cornu altero dejecto vel præciſo copiæ cornu, ut poëtæ fabulantur, eſt enatum id eſt ubertas agrorum & abondantia omnium fructuum provenit: Sic Gala rivo intra ſuas ripas cõtracto & in Nerſam deducto; agri confines è monſtro exundante liberati, fructuoſi ſunt effecti, poſtquam exſiccati fuerũt cũ antea ejus diſpendioſa vaſtitas ad inſtar monſtri agrũ redderet inutilem. Laudandi igitur fratres illi Geldriæ cõditores, qui ſubditos atq; patriam locupletarunt haud aliter q̃ Hercules qui Acheloo compreſſo Calydoniorum agros effecit fæcũdos atque fertiles adeo ut ibi copiæ cornu exortum diceretur. Ab hoc oppido tota ditio poſtea nomen ſumpſit & ꝑ præfectos primũ, deinde Comites adminiſtrata paulatim ita crevit, ut nunc ducatus titulo gaudeat, qui primam originem ex loco traxit, qui vulgò die Voigdie indigitatur & proprie præfecturã ſive procurationem ſignificat. Quod autem aliqui Geldriam urbẽ à Gelduba veteri, cujus mentunem Tacitus facit, deducere ſatagunt,*

*ſagunt, ineptius eſt quam ut refutari debeat. Viculus enim hodie adhuc Gelduba ad Rhenum ſuperat in itinere, quod recta à Veteribus Noveſium ducit uti Tacitus ſcribit: Geldria autem à Rheno vel ſex miliaribus Germanicis diſtat, ſi Geldubam reſpicias. Primus autem Geldriæ dynaſta Leopoldus fuit tutor vel curator vel advocatus illius territorij dictus: cui hoc anno Vichardus frater ſucceſsit, qui demũ anno Chriſti 810. eſt mortuus. Erat autem tum Geldria ſub Imperio Ludovici regis Franciæ Orientalis, ut loci ſitus indicat: & non Caroli cognomento Calvi cujus regnum Moſa terminabatur. Ludovicus autem Caroli filius à conventu Conſobrini ſui domum reverſus anno ſeptuageſimo nono poſt octingenteſimum die decima Aprilis Compendij abit è vita. Adelheidim uxorem gravidã & duos filios Ludovicum & Carolomannum ex Anſgarda concubina relinquens ſuperſtites: Teſtamento nuncupato coronã atq; enſem cum ornamentis regiis Ludovico filio tradi jubet, eundemq; in regem conſecrari: ventri tutorem dat Ottonem Comitem Pariſienſem Roberti filium, Videkindi nepotem, qui poſtea in Gallia regnat. Balbo mortuo Imperium Romanum ad Carolomannum redibat, qui jam tum Italiam in ſua poteſtate habebat: verum is cum ex paralyſi Læthaliter laboraret & loqui non poſſet, morte Balbi comperta, literis ſuam voluntatem declarat ac Carolo fratri juniori Italiam & cum ea Imperium legat: Ludovico fratri juniori Bajoariam, Arnulpho autẽ filio ſuo notho Carentanum. Ludovicus Germaniæ rex audita Ludovici Imperatoris morte, inſtinctu Goſolini Abbatis & Conradi Comitis Pariſienſis, comparato magno exercitu in Galliam contendit & Virodunum uſq; progreditur. Illic cum ipſi ab incolis commeatus juſto precio denegaretur, omnia confeſtim vaſtat & pernicioſius, q̃ ulli hoſtes, regionem percurrit. Quibus rebus perculſi Hugo Abbas, Boſo Inſubriæ dux & Theodoricus Camerarius, eorúmque ſocij, legatos ad Ludovicũ regem mittunt, qui ipſum nomine Ludovici & Carolomanni adoleſcentium, data parte altera regni Lothariani, q̃ Calvus*

Geldria non eſt vetus Gelduba.

878. Ejus procuratores.

879.

Italia cum Imperio Carolomanno cedit & ab eo in Carolũ Craſſum transfertur.

Ludovicus Germanicus Galliam turbat.

*eorum avus poſſederat, placant & ut in Germaniam redeat, perſuadent. Sic tota Friſia cum univerſo Lotharii regno ad Ludovicum Germiniæ regem devolvitur. Cùm autem iidem proceres Gallicani intelligerent, Ludovicum regem ab uxore convitiis exceptum, quod tam parvo precio occaſionem regni acquirendi omiſiſſet, timeréntque, ne mutata ſententia, is iterum inGalliam faceret impetum, non amplius cunctatur, quin Ludovicum & Carolomannnum Ludovici Balbi filios apud Ferrarias Monaſterium conſecrent & coronis regiis utrumque cingant; ne regnum diutius vacare vidatur. Interea & Boſo dux Inſubriæ Auguſtodunum Theodorico Camerario extorquet & cum Monaſteriis in eo comitatu ſitis permutat: Ad hæc totam Burgundiam occupat & qua minis, qua Blanditiis atq; donis, cum Epiſcopis agit ut Rex Burgundiæ inauguretur ne non & ipſius uxor, quæ Italiæ rege nata & deſponſa Imperatori Græciæ fuerat, maritum haberet regem. Ejus enim inſtinctu hoc cupiebat. Ea res novos reges Franciæ admodum malè habuit, adeo ut ſtatim in eum moverēt & eundē Viennæ obſiderent. Iam antea iſti reges inter ſe comparaverāt & regnum Galliæ ita erant partiti, ut Ludovicus Neuſtriā cum ſuis appendicibus haberet Carolomannus verò Ciſararicam Burgundiam cum Aquitania teneret. Quamobrem cum junctis copiis Normannos irruētes aliquantalum repreſſiſſent, adverſus Boſonem univerſas occupantem Burgundias, inſtructo exercitu contendunt & occurrentem apud Matiſconam fundunt oppido in poteſtatem redacto fugiētemq; inſecuti Viennæ obſidione concludunt. Inter ea Carolomannus Bavariæ & Italiæ Rex ſeptimo nonarum Aprilis ex paralyſi moritur. Inde factum, ut Carolus Craſſus in Italiam properans ad fratris regnum occupandum, in Itinere cum ſuis ſobrinis loqueretur & ſuam operam contra Boſonem promitteret, quemadmodum & præſtitit. Nam ut in Italiam venit, extemplo ſibi proceribus conciliatis, regnum ibi ordinare inſtituit ejuſque inſignia ab Archiepiſcopo ſuſcepit: nec diu moratus ad ſobrinos Viennā obſidentes*

Friſia univerſa Ludovico Germanico cedit.

879. Idibus Octobris

Carolomāno mortuo Carolus craſſus Italiæ regnū occupat.

*obſidentes rediit. Dum verò reges iſti in Burgundia hærent, Normanni rurſum in Neuſtriam crudeliter incumbunt, adeo ut Ludovicus relicto ad Viennam Carolomanno ad ſuos redire cogeretur & collatis ſignis cum Normanis in aciem diſcendere: ex quibus tunc victor novem millia cecidit. Iohannes autem nonus Papa Romanus de Carolomanni morte & Caroli Craſſi conatibus certior factus, menſe majo conſilia cum clero Romæ coquit, de Craſſo in Imperium collocando &, cum interim aliquot Italiæ principes nova cum Saracenis fœdera cuderent, quæ ipſe diluta vellet nec abolere potis erat, eo neceſſitatis redigitur, ut Craſſum miſſa legatione ultrò accerſat & in ipſis Chriſti natalitiis ſub finē anni octuageſimi poſt octingenteſimum, Imperatorio diademate in Vaticano redimat. Sic Craſſus Imperator & Auguſtus appellatus ad Saracenos Italia pellendos aninum adjicit: quod eidē etiam feliciter ſuccedit. Eodem anno Balduinus Ferreus Flandriæ Comes moritur cum imperaſſet annos 39. ſuccedit ei filius Balduinus cognomento Calvus. Iſte autem annus octuageſimus Saxoniæ populo valdè funeſtus fuit ob principes, apud Luneburgū à Normannis cæſos. Normanni enim audita morte Carolomanni Bajoariæ & Italiæ regis & comperto, quod alter fratrum ejus in Italia, alter in Bajoaria longè abeſſet à finibus regni Germanici, ex Iutia confeſtim Albi ſuperato deſcendunt in Saxoniā & omnia ibi paſſim rapinis & incendiis vaſtant. Illis autem Bruno & Tanquardus fratres Saxoniæ duces, una cum duodecim Comitibus & tribus Epiſcopis, magnoq́ Chriſtianorum exercitu circa Ebbek ſdorpam in ditione Luneburgenſi occurrunt verum omnes, immiſſis per aperta emiſſaria aquis, à Normannis internecione dilentur. Et quia cadavera eorū diu inſepulta jacent, evenit ut ex cæſorū numero nemo à ſuis potuerit agnoſci aut ſeorſim ſepeliri, ſed omnes in unū acervum cōgeſti ſequentibus temporibus pro martÿribus ſint habiti atque culti, additâ fabulâ, i ſorū reliquias Hamburgo in illiū locum fuiſſe delatas, quod longa oratione CrantZius, ut falſum confutat.*

A.Ch 880 deſinēte Carolus Craſſ[us] Coronatur Imperator.

Saxonum à Normānis clades.

Quod autem Idem Crantzius ibidem addit, Comites illos duodecim, qui in pugna adfuiſſe memorantur, non fuiſſe alios, quam primarios ex optimatib᷒ viros eo, quod Comitum nomen eo tempore nec dum in Saxonia fuerit uſitatum, in eo is mihi videtur labi, cum ex ejuſdem ævi Hiſtoria probari poſſit ducem aliquem non aliter, quam ex numero duodecim Comitum fuiſſe ſolitum difiniri. Bruno autem & Tanquardus hujus expeditionis auctores Ludolphi Saxonis erant filii, qui Vigbertum patrem &, Widekindum magnū agnoſcebat avū: Wigbertus enim Widekindi filius ex Sindacillia Radbodi Regis Friſiorū filia genuit Brunonem & Walbertum Angriæ duces conſtruxitque in Wildeshuyſen oppido Bremenſis diocesis collegium in quo & ſepultus eſt princeps Chriſtianę religionis amantiſſimus. Walbertus autem patris veſtigiis inhæreus collegium illud à patre inchoatum perfecit & ſine prole maſcula decedēs apud eundem inhumatus eſt. At Bruno fratri Walberto ſuccedens ex Suſanna Suevica muliere genuit Ludolphum, qui in Orientali Saxonia ultrà viſurgim eſt dominatus, ſuſtulitque ex Oda filia ducis Franciæ Orientalis tres filios Brunonem ſcilicet Tāquardum & Ottonem & quatuor filias, quarum tres ordine deinceps fuerunt antiſtitæ monaſterii Gaudersheimenſis quod pater Ludolphus ad fluvium ejuſdem nominis cōdiderat: Quarta verò dicta Lutgardis nupta fuit Ludovico Imp. Arnulphi filio. Ludolphus autē anno Chriſti 859. in fata concedens & Gaudershemi ſepultus tres ſuos filios habuit in principatu ſucceſſores, quorum natu majores Bruno atque Tanquardas anno 861. Brunſuicam inſtaurarunt & novis acceſſionibus ampliarunt. Erat autē antea Brunſuica vicus haud ignobilis, utpote cujus etiam à S. Marcellino in vita S. Suitberti fiat mentio: qui poſtea paulatim in eam magnitudinem excrevit, ut & principes ab ea ſuæ dignitatis nomen ducant & eadem ſuis principibus

*Duces Saxoniæ Bruno et Tanquardus eorumque proſapia.*

*Anno Chriſti 853. Gaudersheim à Ludolpho duce conditū*

pibus ſit terrori, quemadmodum hodieque experimur. Vicus autem ille ad priorem ſinum fluminis Owacri ſitus bello Saxonico ſub Widekindo aliquoties fuit direptus & flammis exuſtus, ex eo nomen ſuum ſortitus, quod ſinũ fluvii excurrentis Saxones ſua lingua Wijck apellent. Pars enim illa q̃ Bruno reſtituit Brunonis vicus & contractè Brunſwijck eſt dicta. Altera verò ubi arcem Tanquadus excitavit, vocata eſt Tanquarderode quaſi locus novatus à Tanquardo. Sunt autem hodie civitatis Brunſuicæ quinque partes, ſuis quæque nominibus diſtinctæ. Vetus enim Vicus, qui ante Brunonem fuit nomen ſuum retinet, ut dicatur, die alte Wijck: altera verò à Brunone condita civitas antiqua appellatur. Tertia autem pars à Tanquardo nomen retinet. Quartam partem quam Hẽricus Auceps Imperator communuit, novam civitatem nunc incolæ vocant. Quinta pars à ſilva, quæ quondã ibi fuit nomen retinet & ab Henrico Leone eſt condita. In civitate autem Brunſuicenſi primum Chriſtianæ religionis templum Bruno & Tanquardus conſtruxere & D. Iacobo Apoſtolo conſecrarunt. Fuit hoc ævo in Saxonia pontificum nomen clarius atque notius, quam ducũ aut principum. Nam cum ex Caroli Magni inſtituto tota in epiſcoporum dioceſes illa eſſet diſtributa, Epiſcopi autẽ non contenti ſacrorum adminiſtratione etiã arma induerent, ut in hoc contra Normannos prælio factũ videmus, pricipes ejus parum apud plebem religione delinitã poterant, religioſis omnia ad ſe trahentibus. Quamobrem & ducum nomina, qui alioqui in Saxonia multi & diverſi erant, ob inopiam ſcriptorum, qui plærumque ſacri ordinis viri erãt ignorãtur. Ceciderũt in hac pugna epiſcopi tres Werdenſis ſcilicet Mindẽſis & Hildeshemius qui ſi domi ſuæ ſacra tractaſſent uti decebat, in eam calamitatem non incidiſſent. Exercitu igitur Chriſtianorum ad Ebbekeſdorpã à Normannis cæſo, Brunoni & Tanquar-

*Brunſuici deſcriptio & antiquitas.*

*Epiſcopi clariores quam duces.*

do principibus

Dani

do principibus ſucceſſit Otto eorum frater cognomento Magnus, pater Henrici Aucupis, qui primus Imperii Romani gloriam Saxonibus intulit ut ſuo loco declarabim⁹ evidentius. Normanni verò hac tam queſtuôſa victoria non contenti, ad Vlteriora procedere ſatagunt, omiſſaq; Saxonia, vicinæ Friſiæ littora deinde legunt, carpunt & devaſtant, tandemque in Norduidam Tranſamaſanę Friſiæ partem excenſionem faciunt, ſperantes ibidem non diſſimilem à Saxonico ſucceſſum fore. Verum Friſii exhortatione Remberti epiſcopi Bremēſis, qui tum Nordæ erat, ita animantur, ut cum Normannis pedem conferre audeant. Cùm enim Normanni quaſi de victoria certi minus compoſite ruerent & nihil præter cædes & vulnera intentarent, obvia quæque vaſtarent, perderent & abolerent, Friſii ex eo facile conjectare poterāt ſibi aut vincendūm cum gloria aut inhoneſte moriendum: itaque à Remberto Archiepiſcopo ſuo priſtinæ virtutis admoniti ut Deo confiſi ꝑ libertate, parentibus, uxoribus, liberis, aris, fociſq; in hoſtem pugnarent nec tantum dedecus admitterent, ut victi omnes aut morte aut ſervitute extrema miſerabiliter excrucientur: Deum adeſſe ſuis & contra latrones, piratas atque humanæ ſocietatis inimicos auxilium polliceri: commiſſum, adeo acre ab utraq; parte eſt prælium, ut in multum diem ambigna ſtaret victoria, donec Friſii disjectis Normannorum ordinibus, eoſdem diſſiparent, cęderent & per paludes, ęſtuaria atque foſſas ſuffocarent. Tradit Bono Abbas Corbejenſis ejus ævi ſcriptor, in eo prælio decem millia trecentos & ſeptuaginta ſeptem ex Normannis fuiſſe trucidatos, plures verò in tranſitu fluminum ac vadorum occubuiſſe, Deo juſte ulciſcente ſuorum injurias, quibus hactenus Normanni ſuperbierant Erat autem tum ea pars Friſiæ in dioceſi Bremenſis epiſcopatus, cui tum Rembertus Friſius Anſcarii cognatus præſidebat: qui ex eo tempore apud ſubditos

*Normanni apud Nordā in Tranſamaſana cæduntur.*

ut in

& in vita & poſt mortem in majore precio & auctoritate eſt habitus & pro ſeculi more celebriter cultus. » Friſia » (inquit ſcoliaſtes in M. Adamum Bremenſem) eſt regio » maritima, inacceſſa inviis paludibus, habetq; pagos ſeptemdecem, quorum tertia pars Bremenſem reſpicit epiſcopatũ his diſtincta vocabulis: Oſterga, Ruſtringa, Wanga, Dieſmeri, Herloga, Nordi atque Morſeti: & hi ſeptẽ pagi tenent eccleſias cerciter quinquaginta. Hanc Freſię partem dirimit à Saxonia palus, quæ Walpinga dicitur & Wirrahæ fluvii oſtia. A reliq; Freſia pagus Emiſgoa terminat & mare Oceanus. Hactenus ſcoliaſtes. Bono autem Abbas Corbeyenſis ſupra nominatus pagum illũ Nordi dicit in remotis Freſiæ locis & mari magno vicinis ſitum Norduidam appellari: ego verò Norduicum puto nominandum, quia in ſinu boreali ab Amaſo amne eſt collocatus, hodieque Norden apud vulgus audit.

*Freſii verò illi Nordani plus tunc lucri ex Normannorum cæde atque ſpoliis acceperunt: quam antehac ab eiſdem damni fuerant perpeſſi. Enimvero breve admodum fuit hoc Freſiorum gaudium. Nam etſi eodem hoc anno Normannorum ad huc quinque millia in reditu ex Gallia à Ludovico Rege Germaniæ fuerint cæſa & ab ejus cognomine rege Galliæ in Neuſtria novem millia: clades tamen illæ omnes gentem hanc non magis terruerunt, quam ſi nullam eſſet paſſa. Interea enim in Gallia ſine miſſione prædas & incendia nihilominus egerunt urbes & Monaſteria exſciderunt intérque cætera Baiorzunam ubi Friſiorũ pars maxima habitabat, igne vaſtarunt, Cũ verò p Wabalim aſcendentes Neomagum occupaſſent valloq; & muro firmaſſent ac in palatio ejus ſua hiberna conſtituiſſent atq; illic à Rege Germanico obſiderentur & præliis aliquot irritati magis, quam fracti eſſent diſceſſuros ſe jurant, ſi obſidio ſolvatur. Rege obſidionem ſolvente illi quidem Rheni oſtia claſſe repetunt ſed Neomagum ejuſque palatium incendio cremant. Cùm autem hiems fuiſſet ſolito prolixior, Germanicus tandem*

Normanni Galliæ fines vaſtant.

Neomag. tenent

*rex poſt paſca ſequentis anni cum exercitu in Gallias tendit, obvium habet Hugonem Lotharij ex Waldrada filium, prælio à ſuis victum: eum in gratiam & clientelam recipit, donatis unde ſe honeſte exhibeat ſi in fide pmanere velit: qui pravorū inde audiens conſilia repertus ingratus ab exercitu pellitur in Burgundiā. Ad Gūdolphi villā Germanicus cum ſobrino ſuo Ludovico Galliæ rege colloquium habet atque eo dimiſſo in Bajoariam redit. Gallus verò domum repetens in itinere novem millia equitum Normannorū feliciter trucidat.*

Normanni equites à Ludovico Balbo caduntur.

*Menſe autem Novembri cum duo eorum reges Godefridus & Sigefridi cum innumerabili peditū equitumq́ multitudine recens appulıſsēt, conſederunt ad Moſam in loco, qui dicebatur haſlo quo permunito egreſſi primo impetu Leodicū urbem, Trajectū caſtrum & Tungros civitatem exurunt cum proxima quæque loca eſſent ante omnia depopulati. Secunda egreſſione effuſi in Ripuarios ferro & igne omnem regionem evaſtant Coloniam atq́ Bonnā civitates una cum Tulpiaco & Noveſio caſtellis incendio perdunt: inde monaſteria prumiam, Indam, Malmundarium, ſtabulaum exſpoliant: ex palatio Aquenſi ſtabulum equorum faciunt. Clerici & ſanctimoniales cum ſacris profugi Moguntiam ſe deportant. Rex Germanicus hiſce malis dum exercitum ſuum occurrere jubet in morbum incidit & Francofurti lecto affigitur: ex quo proximo anno decimo tertio Kal. Februarij è terra in cælū migrat: cum triduo ante ipſius mortem Horribilis cometa apparuiſſet futuræ calamitatis nūtius. Sepultus eſt juxta patrem ſuum in monaſterio S. Nazarij Lauriſſæ. Uxorem habuit Lutgardam Ethiconis Welfi filiam; ex qua genuit filium cognominem, qui Ratisbonæ ex feneſtra decidens, cervice fracta, miſerabiliter interiit.*

882. Ludovicus Germaniæ Rex ſecundus oritur.

*Morte Regis Ludovici audita, Normanni gaudio exultant, non jam de conflictu, ſed tantum de præda ſolliciti. Itaq́ ſtatim nonis Aprilis civitatem Galliæ nobiliſſimam Treviros, in ipſo cenæ Dominicæ die, occupant, ejuſq́ murum in circuitu ad ſolum uſque diruunt & uſq́ in diem ſancti paſcatis ibidē manent corporibus*

Normannorum deprædationes enormes.

*tandem*

*tandem refectis reliqua flammis abſumunt: Inde in Mediomatrices movent, epiſcopum, cum copiis militaribus occurrentem, ſternunt, cædunt, ſpoliant & converſo itinere prædis onuſti ad claſſem redeunt incolumes, Ludovico Germaniæ rege mortuo, omne regnum ad Carolum cognomento Craſſum devolvebatur: Is autem ea tempeſtate in Italia regnũ ſuum contra Saracenos tutabatur, ſed pulſatus Germaniæ atque Galliæ crebris legationibus ex Italia cum exercitu copioſo in Franciam venit, Wormatiæ conventum populi Kalendis Maij agit: ut rebus ſubditorum, contra Normannorum injurias, ſtrenue ſuccurrat. Erant tum in ejus comitatu Longobardi, Bojoarij, Alemãni, Turingi, Saxones, Friſones aliique regnorum ſuorũ incolæ, cum quibus extemplo Normannos aggreditur eoſque in haſloa obſidione cõcludit ſed nihil memoria dignum efficit, divina ira populum chriſtianum manifeſtè caſtigante. Cùm enim Craſſus Imperator Normannos adeo premeret, ut nemo munitiones eorũ egredi vel ingredi, niſi per vim extremã poſſet, duodecimo Calendas Auguſti evenit, ut repente cælũ nubibus obduceretur, tenebræq́ denſiſſimæ terras occuparent, fulmina cum tonitruis crebra micarẽt, grando frequens ad inſtar ovi anſerini præcipitaret; qua immani tempeſtate utriuſq́ partis equi conſternati ruptis repagulis atq́ frænis in furorẽ quaſi acti fremere, prorſum & retrorſum calcitare, inſurgere, pugnare, multi cadere, fœtore caſtra opplere, ut tandem tam obſidẽtes, quam obſeſſi tædio longinquæ calamitatis oppreſſi, nihil niſi miſſionem optarent, peterent & tamen omnia in commodum Normannorum cederent. Nam & Sigefridus Rex Normannorum datis & acceptis obſidibus ad Craſſum Imperatorem, cum veniſſet, pace facta cum ingenti auro dimiſſus, quadraginta millia ſuorum incolumes deduxit ad claſſem in oceano ſtantem & Regum alter Godefridus ſuſcepta Chriſti fide Baptizatus Lotharij Auſtraſiæ Regis ex Waldrada pellice filiã accepit uxorem nomine Giſelam & cum ea Friſiam provinciã in dotem una cum Francis auri libris mille & octuaginta. Ita*

**Carolus Craſſus omnium regnorum in Germania heres**

**Friſia donatur GodefridoNormãno.**

*amiſſi Normanni: Sigefridus quidem Orientalis Franciæ limitibus ſtatim exceſſit, juratus nunquam ſe Carolo vivo rediturum: at furorē ſuū nihilominus in alterū regnū Franciæ ꝗ Occidentale vocabatur, prolixè effudit. Godefridus autem in Friſiæ poſſeſſionem abiit eamq́ ſuis legibus atque inſtitutis ad extremam uſque ſervitutem deformavit. Auguſtus verò ad confluentes Rheni atque moſellæ regreſſus, milites honeſta miſſione ex auctoratos domum redire juſſit. Hic exitus tam famoſæ expuditionis fuit: quam ſecuta in Bojoaria peſtis eſt internecina: in Friſia ſervitus: In Celtica rapina cædes & incē-*
883. *dim: Interea inter Saxones & Turingos tumultus civilis quoque exoritur ab Eginone & Popone præfectis cōcitatus: in quo Poppo Henrici ducis Brabantici frater cum Turingis ſuis fuit inferior. Imperator ad conventus agendos Wormaciā reverſus, ibi Boſonem qui ſe regem Burgundiæ dixerat, in gratiam recipit: ut & Hugonem Lotharij filium nothum: qui inſuper mediomatricum ſacerdotibus curator inſtituitur. Menſe Novembri Imperator in Alamanniam redit, apud S. Gallum natales Chriſti celebrat: Inde in Bojoariam regreſſus Reginoburgi paſcabia agit & populi conventum: quo peracto Romam cōtendit. Objerat eo tempore Iohannes octavus ſivè nonus, ut verior eſt ſentētia, in ejuſq́ locū Senatus populuſq́ Romanus unanimi conſenſu Marinū Galleſianū ſurrogaverat: Imperator fa-*
884. *ctū ſua auctoritate comprobat. Vido Spoleti dux majeſtatis poſtulatus fuga ſibi conſulit: ab Aphricæ Saracenis auxiliū petit. Berengarius dux Forojulienſis ipſum perſequi juſſus exercitu, quominus id præſtet, peſtilētia impeditur. Interea Imperator in Germaniam redit. Bajoarios in Italiam ad Vidonē oppugnandū mittit, quod ij ſtrenuè faciunt. Dum hæc aguntur, ob mortem Wilhelmi & Angelſcalci Norici limitis præfectorum, cum eorum liberi à ſucceſſione excluderentur, vario marte atq́ admodum truculento in Bajoaria certatur, Suentobaldo Monaviæ duce ſub ſpecie defenſionis ſuas injurias nimis turpiter ulciſcente: In Gallia autem Normanni paſſim omnia evaſtāt.*

Migraverat

Migraverat è vita anno ſeperiore menſe Auguſto Rex Ludovicus, in cujus locum, capta interim Vienna & cum ea Boſonis uxore filia & fratre, ſucceſſerat frater ejus Carolomannus. Is quidem extemplo Normannos paſſim palantes occiderat & pro viribus eorũ impetus repreſſerat: at nunc, cum ope & conſilio Hugonis Abbatis ad Imperatorem profecti, aliorumque fidelium deſtitueretur, videretque armis ſe Normannis Imparem cum ducibus eorũ in annos duodecim inducias facere coactus eſt depenſis argẽti põdo millibus duodecim, auri verò quatuor & viginti. Quiibus numeratis Normanni ad claſsẽ ſuã in anchoris ſtantẽ ad littora Gallicana revertuntur. Non lõgò poſt intervallo Rex Carolomãnus venatũ profect⁹ ab apro vel, ut aliqui volunt, à ſuo ſatellite incautius feriente vulneratur, ex quo paulò poſt emoritur. Normanni morte Regis comperta ſuo more Franciam repetunt, cædunt, urunt, exſcindunt. Hugo Abbas cæterique Franciæ proceres fædus violatum miſſa legatione proteſtantur.

*Carolomãnus cũ Normannus & Paulo poſt moritur*

Normanni contra, ſe cum Carolomanno Rege & non cum ſubditis depectos eſſe, & ei, qui Carolomanno velit ſuccedere tantundẽ pecuniæ numerandum reſpondent, ſi pacem velit, alioqui ſe ſuo jure uſuros. Rebus hunc in modum deſperatis, quomodo ſuccurrendũ ſit, Sacerdotes, Duces, Comites, cæteriq; magnates inter ſe conſiliãtes, tandem in hanc ſentẽtiam pariter deſcendunt, ut Carolo Imperatori ceu hæredi legittimo Franciam offerant, excepto Hugone Abbate, qui Ludovicum Carolomanni filium adoleſcentem inutilem coronãdum cenſebat. Imperator autem republica apud Bajoarios ordinata eam Carolomanni fratris ſui filio notho Arnulpho tutandam commiſerat & in Italiam erat profectus ut ibidem rerum novarum molitores in ordinem redigeret, unde in feriis Epiphaniorũ Ticini conventũ procerum habuerat ibiq; Vido ſe à criminibus objectis juramento purgaverat atq;

*Fraus Normannorum ſophiſtica.*

*Carolus Craſſus Imp Rex itē Frāſie.*

in fidem erat receptus. Normannis itaque ſupra modum furentibus, mittuntur legati à Francis in Italiam, qui Imperatorem in Franciam vocent & deditionem ipſi offerant. Qua facta Imperator ad Gondolphiam Francorum proceres obvios habet qui ipſi ſtatim ſacramento dicunt. Reliquerat autem Carolomannus rex iſte poſtremus filium nomine Ludovicum cognomēto nihili, quia nihil dignum memoria ageret. Is ſtatim à morte patris ab Hugone Abbati ejuſque popularibus pro rege colebatur ſed in ea parte Neuſtriæ tantum, quæ ultrà Sequanam jacet & ab Hugone tum adminiſtrabatur. Reliquum verò Franciæ corpus quodammodo in totum vacabat. Erat quoque ex Ludovico Balbo Rege ſuperſtes poſthumus Carolus, qui poſtea ob morum innocentiam, ſimplex eſt dictus: verum ob ætatem regno haud idoneus. Quamobrē re bene deliberata Gallicani proceres ne capite deſtituti Normannis prædæ eſſent, anno domini octingenteſimo octuageſimo quinto Regni Diadema ad Carolū Craſſum Imperatorem unanimiter detelerunt. Sic Gallia Germania atque Italia quarto & quadrageſimo poſt anno quam primum diviſæ fuerunt in unius poteſtatem denuo coeunt. Normanni ea re cognita, quia Imperatori fæderati erant, ſponte retrocedunt & domos abeunt. Imperator autem Gallia pacata, ad conventus agendos Wormaciam proficiſcitur: quo dum Marinus Papa contendit in medio itinere ex hac vita ad ſuperos migrat cū ſediſſet annum & mēſes quinque. Ei ſuccedit Hadrianus tertius. Qui etiā anno primo menſe ſecundo papatus ſui moritur A° autē ſuperiori Hugo Regis Lotharii filius naturalis adſcita perditorum hominū manu patris ſui regnū invaſerat miſerabilemque in modum neque minus quam Normanni illud prædis ac rapinis exhauſerat. Normanni quoque ex Denemarca in Kinheim venerāt, ac permiſſu Godefridi Friſiorum ducis Dusburgi ad Rhenū hiberna habuerant,

*885. Gallia Germania & Italia ad unū recidunt regem.*

*Hugo Lotharii filius naturalis res novas molitur in regno Lotharii*

habuerant, verũ ab Henrico duce Brabantino ſupradicto prohibiti prædas agere: Quidam etiam illorum Sono id eſt freto Danico egreſſi in regnum Lotharii excenſionem fecerant, ad Lovanium caſtrametati: adverſus quos nihil dignum commemoratione ab exercitibus ſubinde miſſis erat actum: Hoc autem anno octuageſimo quinto poſt octingenteſimum Hugo ſæpe nominatus totus in ſpem *885* occupandi regni paterni erectus eſt, perſuaſus à ſuis aſſeclis ac popularibus. Itaque clanculum ad Godefridum ſororis ſuę maritum legatos in Friſiam mittit, quibus mẽtem ſuam de occupanda Lotharingia indicat & ad eam auxilia petit dimidiũ ejus, ſi res feliciter ſuccedat, repromittens. Promiſſis delinitus Godofridus, conditionẽ accipit: Gerolphum & Gardolphum Friſiorum Comites ad Imperatorem legatos dirigit, conqueritur de iniquitate loci & tenuitate in eo ſtatus ſui: ſe meliore fortuna dignum & majora promeritũ affirmat. Quamobrẽ rogat Imperatorem, ſi ipſum velit poſthac in fide retinere, ut ipſi Confluentes, Andernacum ac quoſdam alios in vicinia pagos, ubi vini copia ſit, & ipſe pro ſuo ſtatu vivere poſſet liberalius, concedat. Quod non aliam ob cauſam poſtulabat, q̃ ut ſi id obtineret, in mediis viſceribus Imperii ſedẽ figeret ad aucupãdum idoneam, aut, ſi negaretur, cauſam haberet res novas contra Imperatorem incęptandi. Imperator legatis auditis, cum fraudem ſubeſſe petitioni Godofridi Ducis perſentiſceret, re cum Henrico duce cõmunicata, jubet Godofridum bono animo eſſe, ſe miſſa legatione daturum operã ut res ex bono & æquo terminetur: interea ipſe in fide perſiſtat & extrema imperii cõtra hoſtes ac piratas acriter defendat, ſimul adjiciens diẽ atque locum ubi conveniant. Conſultum deinde ab Imperatore quomodo hominem Barbarum ac infidum accipiat: Bello aperto appetere viſum fuit valde incommodum, propter Friſiæ foſſas, lacus & paludes, quibus tota regio

*Gerolphus & Gardolphus Friſiorum comites mittũtur ad Corolũ Imperatorem.*

regio cingitur & diffinditur: ſedit animo dolum dolo prę-veniendum. Subornatur Eberhardus Comes, qui à Godofrido maxima injuria affectus, jus ſuum repetat. Deſcendit in Bataviam Henricus una cum Wilberto Epiſcopo Colonienſi, quorũ milites non agmine facto, ſed ſparſim eodem occulte deveniunt. Adeſt & Godefridus cũ modico comitatu. Ad pacem enim faciendam ſe venire arbitrabatur. Conventus ad Hereſpicam in principio agri batavi, ubi Rhenus Wahalim emittit, erat conſtitutus altercatum eſt ibi primo die varie atque fortiter & re infecta diſceſſum. Altero die Epiſcopus Giſelam Godefridi uxorem inſulâ evocat eamque hortatur, ut maritum moneat, ne nimis urgeat cauſam ſuam ſed ea, quæ pacis ſint quærat. Interea iterũ cauſâ agi cœptâ intervenit Comes Everardus; Ius poſtulat & ſua ſibi reſtitui bona, quæ Godefridus injuſte teneat. Illi ſe opponit Godefridus, conviciatur & jurgatur acriter. Ibi tum Everhardus extracto repente gladio, Godefridum in caput percutit adeò, ut in terram cadat: Accurrunt extemplo ex inſidiis milites & proſtratum porrò conficiunt. Hinc Normanni tota paſſim inſula trucidantur. Inde ad Gundolphiam itur, ubi Imperator eventũ exſpectabat. Illuc etiam arte Henrici ducis, Hugo Lotharii filius nothus caput & incentor hujus tragædiæ, vocatus, venit, capitur, luminib⁹ orbatur, in Monaſterium S. Galli detruditur & tandem in Prumia attonſus moritur. Sic fraus in auctores recidit. Imperator Gundolphiâ in Bajoariam proficiſcitur & Reginoburgi hibernat. Interim lis inter Zuentobolchum Moravum & Arnulphum Carolomanni filiũ à proceribus componitur. Zuentobolchus Giſelam Arnulfi ſororem uxorem ducit, ejuſque filium nothum Zuentobolchum de ſacro fonte levat & adoptat. Objerat hoc eodem anno 885. ſeptimo Idus Maii Hadrianus tertius Papa Romanus, ſurrogaverantque Romani Stephanum virum Romanum ejus nominis

*Normanni cũ duce Friſiæ Godefrido ex inſidiis apud Batavos cæſi.*

minis ſextùm, tertio Idus ejuſdem menſis, non exſpectato Imperatoris Iudicio. Conſtituerat enim jam antea idem Hadrianus contra decretum Hadriani primi, PONTIFICEM DESIGNATVM SINE PRAESENTIA REGIS ET LEGATORVM EIVS CONSECRARI POSSE. ITEM MORIENTE REGE CRASSO SINE FILIIS, REGNVM ITALICIS PRINCIPIBVS VNA CVM IMPERII TITVLO CREDENDVM. Idque inſtinctu ejus factionis, quæ Comites Tuſculanos habebat principes. Hoc enim tempore (inquit Sigonius) Eccleſia Romana graviſſime laborabat diſtracta in duas factiones civitate, quarum alterius principes erant Tuſculani Comites, qui urbanam poteſtatem ſectantes, pontifices aut turbabant aut conſtituebant, prout illi ipſorum cupiditatibus aut ob ſecundabant aut adverſarentur. Cùm igitur iſti advenæ Romani mandatis Imperatoris obedire contemnerent & hæc jura in prejudicium Imperii & gravamen Imperatoris ſibi uſurparent, Imperator Romam anno 886. iturus auxilium fidelium Imperii invocavit ad reſiſtendum Romanorum Injuriis. Quo intellecto ab Imperatore non vocati, ſed de ſuo libero arbitrio & voluntate ſpontanea Friſii cum multitudine copioſa in ſubſidiũ ejus venerunt & cum exercitu Imperatoris Romam perrexerunt: Qui cum urbi Romanę appropinquare cœpiſſent, mox ab exercitu ejus ſe ſeperantes, in Romanos, qui exercitui Imperatoris per ſuam ſuperbiam occurrebant, potenti virtute irruentes, quam pluribus ex utraque parte interfectis, eoſdem vicerunt & nobiles Romanos, quos ceperãt, ſubjugaverunt: quemadmodũ ipſe Imperator in ſuo diplomate, quod Friſiis hoc tempore dedit, ſuis verbis apertè teſtatur: quod hactenus Carolo magno non ſine magno errore attributum legitur hoc modo: KAROLVS DIVINA FAVENTE CLEMENTIA ROMANORVM IMPERATOR SEMPER AVGVSTVS OMNIBVS TAM FVTVRIS, QVAM

*Lib. 5. De regno Italiæ.*

*Carolus adverſus factionem Tuſculanorum Comitum proficiſcitur Romam.*

Friſii opem ferunt Imp: Car: Craſſo contra Rom:

*Privilegium Friſiis à Carolo Craſſo datum.*

Diploma Carol:



PRAESENTIBVS SALVTEM & PACEM IN PERPETVVM.

Ne ea quæ aguntur in tempore, ſimul cum tempore labantur, poni ſolent in dictione teſtium & ſcripturæ teſtimonio perennali. Ea propter, ad oblivionis confuſionem evitãdam, univerſorum notitiæ cupimus declarari: Quod dum Leodingarus dux Saxoniæ, ducatum ſuum jure feudali teneret ab Imperio nec hoc recognoſcere curaret & tributum de ſuo ducatu à Cęſare Auguſto ſtatutũ quod à prædeceſſoribus ſuis conſuetum fuit ſingulis annis prædeceſſoribus noſtris exhiberi, nobis dare contemneret, & ſe in præjudicium & gravamen Imperii, pro rege gereret, regemque Saxoniæ vocari præciperet: Nos tandem hujuſmodi ſuam ſuperbiam & injuriam dicto Imperio & nobis ab ipſo ſæpius illatã diutius ſuſtinere & diſſimulare nolentes, invocato Friſonum Orientalium & Occidentaliũ auxilio, quos viros ſtrenuos, agiles & miræ audaciæ, ſicut nobis quibuſdam referentibus jam intelleximus: quibus etiam idem dux multa gravamina inferebat eô quod eoſdem ſuæ vellet ſubjicere poteſtati, cum tamẽ ei viriliter reſiſterent defendẽdo, maxime gaviſi eo, quod auxilium eorũ invocare dignabamur, nobis per ſuos ſpoponderunt & certos & ſecuros nos reddiderunt, quod parati eſſe deberent in noſtrum venire ſubſidiũ & quod ad obtinendum honorem Imperii & noſtrum ſuam vitã vellent exponere, ſic quod jam dicti Friſones ſine moræ diſpendio ſe ad ineundum prælium, contra dictum Leodingerum ducem & ſuos præperaverunt & termino ſtatuto ad invadendum ipſum & terram ſuam, cum multitudine Friſonum ducatum Saxoniæ in manu forti intrantes, viriliter & crudeliter cum prędicto duce & ſuo exercitu dimicantes, ipſum & ſuum exercitum devicerunt: & eum cum melioribus ſui ducatus ceperunt, quos funibus connexos nobis tradiderunt. Qui de hujuſmodi victoria nobis obtẽta maxime exultantes, cum gaudio ad propria remeaverunt.

*Proæmium*

*Friſii viri ſtrenui agiles & mirè audaces.*

*Saxoniæ ducem & exercitum ejus vincunt.*

Dipl. Caroli.

meaverunt. Item cum advenæ Romani mandatis noſtris obedire contemnerent & quædam jura in præjudicium Imperii & gravamẽ noſtrum ſibi uſurparent & nos auxilium fidelum imperii ad reſiſtẽdum eorum injuriis invocaſſemus & hoc Friſones prædicti intellexiſſent, non vocati à nobis de ſuo libero arbitrio & voluntate ſpontanea cum multitudine copioſa in ſubſidium noſtrum venerũt & cum exercitu noſtro Romam perrexerunt & cum urbi Romanæ appropinquare cœpiſſent, mox ab exercitu noſtro ſe ſeperãtes in Romanos, qui excercitui noſtro, per ſuam ſuperbiam occurrebant, potenti virtute irruentes, quam pluribus ex utraque parte interfectis, eoſdem vicerunt, & nobiles Romanos, quos ceperant, ſubjugaverunt. Nos itaque conſiderata eorum probitate & audacia, attẽdentes etiam fidele obſequum ꝙ nobis & imperio exhibuerunt, de conſueta Regiæ Majeſtatis benignitate ipſis gratiam volentes facere ſpecialem & de conſilio noſtrorũ fidelium & accedente conſenſu principum Imperii, tributum à Cæſare Auguſto ſtatutum, videlicet triginta libras auri, quas nobis & prædeceſſoribus noſtris exhibere conſueverant, remiſimus: ita quod neque nos neque ſucceſſores noſtri illud ab ipſis vel eorum hæredibus de cætero requiremus vel aliquas exactiones in ipſos faciemus. Præterea auctoritate regia indulſimus iiſdem, ut cũ omni prole ſua nata vel naſcitura in perpetuũ liberi permaneant & à ſervitute proprietaria penitus abſoluti. Statuimus etiam, ut uſualiter eligant conſules quotquot ſibi viderint expedire, qui in cauſis ſecularibus, de quibus ipſis quæſtio inita fuerit, judices ipſorum exiſtant. Et Statuimus, ut iidem conſules ſingulis annis ſecundum conſuetudinem Romanam, eligant perſonam Idoneã & diſcretam, ſub cujus dominio, regimine & poteſtate Friſia tota ſit conſtituta & ſubjecta: cui in omnibus & per omnia tanquam ſuo domino infra terminum ſibi ab ipſis de-

*Conſtituo privilegiorũ.*

*Poteſtas Friſiæ ſummus magiſtratus* putatum teneantur obedire: Quæ perſona poteſtas Friſię debet appellari. Item ſtatuimus ut, ſi quis ex ipſis ſubſtãtiã habens militarẽ et militare voluerit, dict⁹ poteſtas ſibi gladium ſuũ circũcingat, & dato eidẽ, ſicut cõſuetudinis eſt, manu ſua colapho, ſic militẽ faciat eidem firmiter injungendo, ut deinceps more militum Regni Franciæ armatus incedat: Eô quod conſideramus, ſi prædicti Friſones militaverint ſecundum ſtaturam corporum & formã præcipue à Deo & natura ipſis datam, cunctos in orbe terrarum milites ſua fortitudine & audacia, dummodo ut prædictũ eſt ſint armati, præcellent & prævalebunt. Qui ſcutum ſuæ militiæ à dicto Poteſtate recipere debent, in quo corona Imperialis in ſignum libertatis à nobis conceſſæ debet eſſe depicta. Et ſtatuimus ut Friſones militare volentes ſint uſque ad ſummitatem aurium circumciſi ſi facere voluerint, ut per hoc etiam ſuam valeãt oſtendere libertatem ipſis, ut dictum eſt, à nobis collatam.

Frisii tonsi

*Sanctio.* *Quod ſi quis hanc eorum libertatem aliquo auſu temerario infingere voluerit, vel violare præſumpſerit, ſecundũ ſententiam, quam anuuentibus principibus Imperii tulimus, tam ipſi, quam ſui coadjutores ſint proſcripti & à conſortio fidelium Imperij excluſi. Et ſtatuimus auctoritate regia eoſdem, tanquam proſcriptos & adverſarios Imperij ab omnibus evitari. Et ſi quis iiſdem ad præliandum contra dictos Friſones aſtiterit, vel adjutorium præſtiterit, eandem pœnam & offenſam Imperij ſe noverit incurriſſe. Et auctoritate præmiſſa ſtatuimus quod ſi iiſdem aliquo caſu contingente in ipſorũ vita vel bonis aliquod damnum à dictis Friſonibus vel aliquo alio fuerit illatum nec ſucceſſores noſtri vel alii Iudices ſæculares, ad alicujus inſtantiam ex hoc iiſdem aliquam exhibeant juſtitiã, cum potius tanquam proſcripti Imperii ſint ſeverius puniendi. Quam ſententiam, ſic ut dictum eſt, à nobis latam auctoritate prædicta præcipimus & ſtatuimus ratam haberi, firmam & ſtabilem in perpetuum obſervari, & tenore præſentum*

*proteſtamur*

*proteſtamur à ſanctiſſimo noſtro Papa obtinuiſſe. Quod ſi prædicti Friſones de hujuſmodi gravamine ipſis à præfatis malefactoribus illato querimoniam depoſuerint, tam ipſe dominus Papa prædictus, quam ſui ſucceſſores, oſtenſo ipſis ſuæ libertatis privilegio præſenti eoſdẽ excommunicabunt & denunciari facient excommunicatos: & nihilominus terram eorum, ſpecialiter illorum, qui habuerint ſeculares dignitates, ponent ſub interdicto. Quæ ſententia excommunicationis & interdicti nullatenus relaxari poterit niſi per mandatum ſummi pontificis ſpeciale. Et ut hoc Laudabile factum noſtrum robur in perpetuũ obtineat firmitatis nec à nobis nec à ſucceſſorib⁹ noſtris ſeu à quoquam aliquatenus infrnigi poſſit vel in dubium revocari: & ut etiam dicti Friſones nobis dilecti libertate tali in perpetuum poſſint gaudere præſentem paginam exinde conſcribi & Bullæ noſtræ aureæ munimine fecimus roburari.* Concluſio.

*Actum & datum Lateranis, anno dominicæ incarnationis DCCCII. Indictione decima anno regni noſtri ſecundo. Hoc eſt illud auguſtale Friſiorum privilegium quod hactenus non rectè intellectum à multis arroſum fuit; qui omnes hoc ſolo decepti fuerunt, quod illud à Carolo Magno profectum arbitrarentur: Quamobrẽ & omnes in hoc fuerunt, ut, id quia Carolo Magno non conveniret, falſum dicerent. Ego verò, cum mendacium ab honeſtiſſima gente Friſiorum quam longiſſime abeſſe putem, diſpiciendum arbitror, cui tandem Carolo Imperatori revera ſit hoc adſcribendum, quo res in tuto ſit & quod recte ſtatutũ eſt in ſuo vigore conſervetur. Obſervo autem in hujus privilegij inſtrumento quatuor partes eſſe, proœmiũ videlicet, conſtitutionem, Sanctionem & Exilogum. In proœmio porrò conſidero titulos & conſtitutionis occaſionem ſive cauſam. Obſervatem autem mihi jam antea fuit, principum ſcribas in titulis eorũ deſcribendis, in omnibus inſtrumentis unũ & eundẽ perpetuo fere cuſtodire modum, quemadmodũ etiam in formulis epilogorum: & ex illis auctores inſtrumentorum poſſe cognoſci, haud aliter quã ex ungibus leonem. Vt igitur,* Diplomatis Carolini quatuor partes.

*ad noſtri diplomatis auctorem felici ducta perveniamus, quoniã quinq; hactenus Caroli Imperatores fuerunt, conſideremus et nos illorũ cujuſq; titulos, quos in ſuarũ literarũ præfationibꝰ uſurpare conſueverũt, eoſq; tantũ ex iis ſcriptoribus colligamꝰ, qui inter bonæ fidei hiſtoricos publicitus numerantur: & primum quidẽ exemplũ à Carolo Magno ſumamus. Apud Albertum Crantzium Saxoniæ hiſtoricũ extat inſtrumentum, quo Vibo Friſius inſtituitur Oſenbruggæ Epiſcopus ꝙ ita incipit:* *In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis: Carolus Imperator Auguſtus, Romanũ gubernãs*

*Extat etiam hoc diploma lib. 4. annalũ noſtrorum.*

*Imperium, Dominus & Rex Francorũ & longobardorũ, nec non dominator & Saxonũ* deſinit autem hoc modo. *Datũ 13. Kal. Ianuarij anno 4. Chriſto propitio Imperij noſtri, 37. regni noſtri in Francia atque 31. in Italia. Actum Aquiſgrani in palatio in Dei nomine feliciter.*

*Alterum ejuſdem Caroli magni Diploma extat apud Iohannem Aventinũ in annalibus Bojorum cujus initium eſt tale:* *In nomine patris & Filij & ſpiritus ſancti. Carolus ſereniſſimus Auguſtus à Deo Coronatus,*

*Ejus comparatio cũ aliis Imperatorũ documentis.*

*magnus, pacificꝰ, Imperator, Romanũ gubernãs Imperium, qui et ꝑ miſericordiã Dei Rex Frãcorum et Longobardorũ:* finis verò hujuſmodi: *Datum 6. Kal. Decemb. anno Chriſto propitio Imperij 12. regni in Francia 44. in Italia. 37. Actum Aquiſgrani palatio regio.*

*Tertiũ ejuſdẽ Imp. exemplũ legitur apud Carolũ Sigonũ de regno Italiæ in epiſtola, ejus ad filiũ Pipinum, quæ ſic incipit:*

Carolus

*Carolus ſereniſſim⁹ Auguſtus à Deo coronatus magnus & pacificus Imperator, Romanorum gubernans Imperiū ac per miſericordiā Dei Rex Longobardorū et Francorū dilectiſsimo filio ſuo Pipino glorioſo regi ſempiternā in domino ſalutē ejus clauſula apud Sigonium omiſſa eſt & ſine dubio non fuit alia quam ſuperiorum inſtrumentorum.*

*Si itaq; Diploma Friſiorum cum his exemplis compares, manifeſto cernas nihil inter ipſa & Friſicū eſſe cōmunie, quoad titulum & finem: diceſq; revera Carolum Magnum diplomatis Friſici auctorem non eſſe.*

*Sequitur in ordine Carolorum Carolus ſecundus cognomento Calvus, cujus diploma extat apud Aimoinum Monachum lib. 5. cap. 34. quod inchoatur hoc modo:*

*In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Carolus Dei gratia Rex:* finitur autem ſic: *Data 12. Kal. Maij indictione quinta anno 32. regnāte Carolo glorioſiſſimo rege & in ſucceſſione Lotharij Regis anno 3. Actū monaſterio S. Dionyſii. Huj⁹ regis Caroli Calvi legūtur apud Flodoardū presbyterū & hiſtoricū Rhemēſis Eccleſiæ anno ſuperiore Pariſiis editū l. 3. c. 4 tria adhuc alia donationū inſtrumēta: quorū primi initiū eſt. In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Carolus Dei gratia Rex: finis verò: Data Kal. Octobris anno ſexto regnante glorioſiſſimo rege Carolo Indictione viij. Actum in pago Andegavenſi, in villa Auegio: Alterū incipit eodē modo: In nomine ſanctæ et individuæ Trinitatis Carolus Dei gratia Rex: finitur autem ſic Data iiij. Nonas Septembris anno viij. Indictione x. Regnante*

*Carolo glorioſiſſimo rege. Tertium verò præmiſsis conſentaneum principium habet tale. In nomine ſanctæ et individuæ Trinitatis Carolus Dei gratia Rex: finem verò cum iiſdem perſimilem: Data vi. Kal Iunij anno x. regnante Carolo glorioſo rege Indictione xiij. Actum Vermeriæ plalatio regio; In Dei nomine feliciter Amen.*

*Quæ omnia & præfationibus & epilogis inter ſe probe conveniunt, ſed à Friſiorum diplomate longè diſcrepant. Extant autē apud prædictum Iohannē Aventinum duo Caroli Craſſi Inſtrumenta, quorum primum incipit & definit hoc modo: Karolus divina favente clementia Imperator Auguſtus* dono dat aliquot prædia Vtinenſi templo *Datum 8. Kal. Septembris anno incarnationis Dominicæ 885. Indictione 3. anno Imperij pijſsimi Imperatoris Caroli in Italia quinto in Francia quarto in Gallia primo. Actum ad VVeibellingam in Dei nomine feliciter amen* alterum verò ſic habet: *In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Karolus divina favente clementia Imperator Auguſtus cœnobium* ſuperius libertate & immunitate donat, *Data 14 Kal. martij anno dominicæ incarnationis 886. indictione 4. anno verò piiſsimi Imperatoris Caroli in Italia 6. in Francia 5. in Gallia 2. Actū in villa quæ Rotuila vocatur in Dei nomine feliciter Amen.*

Tertii

*Tertij verò diplomatis contenta recitat Nicolaus Vignerius Chronico Burgundiæ ad annum Chriſti 885. quod utinã ille capite & initio non truncaſſet. Dicit autem:* Extant enim plurima liberalitatis ejus (Caroli Craſſi) in cœnobia nõ ſolum Germanica ſed etiam Gallica diplomata, quæ docent illum regni initium in Galliis feciſſe ab anno 885. Quale illud, quod in archivis cœnobii Divionenſis actũ anno ſcilicet Chriſti 885. indictione 4. Imperii ipſius in Italia 5. regni in Francia Orientali 4. in Gallia primo Cui duo alia ſimilia nobis etiam ab Aventino in ſuis Bojorũ annalibus exhibita ſunt: Ex illis autem non fruſtra in obſervationem à quibuſdam relatum eſſe video, Carolum primũ omniũ imperatorũ extitiſſe, qui ſuis libellis epiſtolis & diplomatibus, annos Chriſti addiderit ab eoque exemplum deſumptum fuiſſe. Hactenus Vignerus. *His Caroli Craſsi inſtrumentorum titulis ſi compares initiũ Friſonici privilegij quadrabit ad amuſsim cum illis: ubiq; enim ſimplex & caſtus eſt ſarmo, nullis phalaris exornatº breviter proponens auctorem ſcripti eiſdem verbis. Videlicet:* CAROLVS DIVINA FAVENTE CLEMENTIA IMPERATOR AVGVSTVS; *Vbi contra Caroli magni titulus multiplex & quadam affectatione ſuperbus diverſa ejus regna cõplectitur, quæ tamen etiam hoc tempore apud Craſſum fuerunt. Sed & finis Friſonici diplomatis cum Craſsi clauſulis fere concordat. Nam etſi in vulgatis exemplaribus Friſonici privilegij epochæ ad amuſsim non quadrent, in iiſdem tamen idẽ ordo obſervatus fuit. Quemadmodum enim diem menſis, deinde annũ Chriſti Craſſus præponit: ſic etiam Friſii in ſuo, amiſſo die, annum Chriſti primum habent & quidem eiſdẽ verbis quibus Craſſus: utrobique enim dicitur:* ANNO DOMINICAE INCARNATIONIS: *inde utrobiq; ſequitur, Indictio, quæ etſi in noſtro diplomate aberret, reſtitui tamen ex aliis locis poteſt. Poſt indictionem ſequuntur anni Imperij Craſsiani in Italia & poſt hos anni Regni in Francia & in Gallia, qui in Friſico extriti,*

Diploma Friſiis datũ cum Craſsi Imperatoris diplomatis congruit

*veſtigia tamen eorum retinent in verbis illis :* REGNI SECVNDO *in quibus omiſſa ſunt verba iſta in Francia Orĩetali 5. in Gallia ſecundo, ad extremum ponitur etiam utrobique locus ubi res acta, ut ibi videre licet. Nequis autẽ putet me hæc fingere, aut ab ingenio conformare noſtrate diploma ad Imperatorium, paratus ſum exhibere noſtratis exemplum ab amicis mihi è Brabantia Bruxellis miſſũ, quod à Secretario ſub ſcriptum & à me ſupra de verbo ad verbum eſt editum : qui licet rem ipſam non intellexit, ſyncera tamen eſt & optima fidei. Ejus ſubſcriptio eſt talis:* Hanc copiã diplomatis Cæſariæ Majeſtatis, quondã Caroli Magni, Ego Carolus Broomanus, quæſtoribus ærarijs civitatis Bruxellenſis à ſecretis contuli cum manuſcripto quodã volumine ex pergameno: q̃ doctiſſ. Clariſſimúſque Petrus de Timo IC. licentiatus, ejuſdémque civitatis L. annis advocatus & deinde Eccleſiæ collegiatæ D. Gudilæ Bruxell. Theſaurarius & Canonicus quondã ex omnifariâ veteri Hiſtoria compilavit. Quod quidem volumen civitas noſtra in archivis pro authentico veneratur & citat, teſtórque hanc copiam cum eodem volumine folio IX. de verbo ad verbum convenire. Ideóque in rei fidem manu propria ſubſcripſi. Bruxellæ Ducatus Brabantiæ Nonis Maij anno MDCV. Broomanus.

Dicimus igitur non Carolum Magnum, aut nepotem ejus Carolum Calvum, dediſſe Friſiis libertatem, ſed hunc noſtrum Carolum Craſſum de quo hactenus locuti ſumus

ſum⁹. Quo poſito nihil neceſſe de Carolo quarto aut quinto diſputare, quandoquidem hujus controverſi diplomatis etiam ante eorũ tempora apud auctores facta eſt mentio. Parte prima proœmij ſic excuſſa, accedamus ad alteram, quæ cauſas donatæ libertatis continet. In ea multi reprehendunt, quod Saxonia dicatur feudum Imperij, quod dux Saxoniæ tributum Imperatoribus ſolverit ab Cæſare Auguſto conſtitutum, vociferanturque mirum in modum in eos, qui iſta defendunt. Interim hi qui hæc blaterant, inter nomen proprium & appellativuũ præ cæcitate non vident diſcrimẽ. Ea enim verba, Cęſare Auguſto Octaviano Auguſto qui Iulio Cæſari primus ſucceſſit & Auguſt⁹ appellatus eſt intelligũt quę alioqui hoc loco nõ aliũ ſenſum habent, quam ſi Imperatore Auguſto ſcriptũ fuiſſet, videlicet; ut intelligatur ille Cæſar ſive Imperator, qui Saxoniam primus adjecit Imperio ejus que ducibus tributum Impoſuit. Si enim Carolus Craſſus Imp. diploma hoc Friſiis dedit, par eſt ut eam faciamus verborum ejus interpretationem quæ tempori & Hiſtoricæ veritati congruat. Lippis autem & tonſoribus notum eſt atque adeo ex ſuperioribus à nobis productis inſtrumenrorum initiis compræhendi poteſt, Carolum Magnum vocatum fuiſſe Auguſtum & eundem Cæſarem Auguſtũ tam poſſe dici, quam Imperatorem Auguſtum eodẽ ſenſu. deinde notum quoque eſt ex Hiſtoria Saxoniam primitus à Carolo armis domitã & Imperio acquiſitam: ab eodẽ ei duces, comites, Magiſtratus datos, q. ſacramentis obligati ex formula jurisjurãdi & feudi natura ad tributum tenebantur qualecumque. Teſtatur hoc Carolus Sigonius de regno Italiæ lib. 7. de ducibus ceteriſque vaſallis in hunc modum: *Duces (inquit) erant qui ducatũ Marchiones qui Marchiam comites, qui comitatum à rege in feudum acceperant: Capitanei qui à rege aut duce Marchione comiteve plebem plebiſve partem; Valvaſores, qui à Capitaneis*

*Secunde partis proœmii examinatio.*

*Auguſtus in diplomate eſt nomen appellatuum, ut & Cæſar.*

*Valvaſini qui à Valvaſoribus acceperant. Quorum tres priores Capitanei Regis, reliqui Valvaſores majores minores & minimi quoque vocati ſunt. Vnde nova nobilitatis ratio in Italiam eſt inducta, ut ij demum ſoli nobiles judicarentur, qui ipſe aut eorum majores his atque hujuſmodi aliis honeſtati privilegiis eſſent: Nam hanc conſuedudinē ſucceſſores ejus (nempè Ottonis primi de quo loquitur) non ſolū non omiſerunt ſed etiam multis partibus adauxerunt, ſive ut gratiam præfectis ſuis ac miltibus pro opera in bellis egregie navata referrent, ſive ut eos ſibi potiſſimum clientes devincirent, quorum virtute eam regionem in fide poſſent retinere. Atque hos quidem feudatarios, vaſallos, homines & fideles vocarūt. Erat autem feudum ſive hominium ſive Homagium jus, quod reges aut qui à regibus acceperant, cum dignitate aut prædio aliquo beneficij nomine ea lege alicui detulerunt, ut ipſe & ejus poſteri hæredes ipſos beneficii ejus auctores perpetuo agnoſcerent ac pro domino colerent ſuumq; caput, exiſtimationem fortunaſque jurati defenderunt. Qui vero feudū contulerunt, ij domini & ſeniores vocati ſunt. Cæterum Iurisjurandi formulæ tres fuerunt: una brevis qua Carolus Magn⁹ eſt uſus:* PROMITTO ME DOMINO MEO CAROLO & FILIIS EIVS FIDELEM FVTVRVM IN TOTA VITA SINE FRAVDE DOLOQVE MALO. *Altera aliquanto uberior, q̄ nos hic omittimus ut & tertiā quæ omniū latiſſima erat ut apud Sigonium deinceps ſequitur.*
Saxonia igitur tempore Caroli Magni & deinde feudalis fuit, ut ex formula jurisjurandi & ex titulo Inſtrumenti de Vihonis Epiſcopatu intelligitur, ubi Carolus Auguſtus ſe dominatorē Saxonię vocat & alioqui aliunde non difficulter probari poteſt. Sed & ante Caroli Magni ævū, feuda apud Germanos in uſu, fuerunt & vaſalli ſenioribus ſuis ſacramento dixerunt, ut dubitari non debeat, Carolum eundem morem in Saxonia retinuiſſe. Qemadmodum autem Octavianus republica conſtituta boni ominis cauſa & ob merita Auguſtus & Cæſar eſt dictus à populo

*Saxonia ſub Carolo magno feudum Imperii Romani.*

puloRomano,eaq́;nomina poſtea ſere cum omnibus Imperatoribus communicata ſunt. Ita abſurdū non eſt aut à ratione alienum eadem vocabula ob excellentiam hoc loco de Carolo Magno accipere, ꝙ & is primus in Germania Imperatorium decus excitavit ſicuti Octavianus in Italia. Quibꝰ ſic intellectis nulla prorſus in toto diplomate reſtat difficultas,quamobrem illud verum ac ſyncerum eſſe non putemus. Commodius (fateor) actuarius ſcripſiſſet,ſi pro vocibus, Cæſare Auguſto, Carolo Auguſto poſuiſſet: quod quidem ducerem hoc loco ſubſtituendum, ſi aliqua ejus rei in antiquis exemplis veſtigia apparerent.Dicit igitur diploma ab Carolo Auguſto devictâ Saxoniâ & in Imperii provinciā redactâ, duces ejus Imperatori ſacramentum dixiſſe certumq́; tributum more feudali promiſiſſe, ſolviſſe; extitiſſe tandem quendam Leodingerū ſive Lutgerū ducem, qui jus illud ex fœudi lege debitum, ſolvere neglexerit & eo facto ſe in libertatem vindicare & veluti regem nemini obtemperantē aut ſubjectum haberi voluerit, quē Friſii ab Imperatore ſuppetias rogati, ad obedientiam redegerint. In qua narratione nō video quid ſit quod ut alienum ab illis temporibus à quoqam reprehendi poſſit. Status enim reipublice Saxonicę hujuſmodi tum fuit,qualis in diplomate fuiſſe affirmatur: & Friſii ſemper viri fortes & bellicoſi ſunt habiti & eo nomine famoſi fuerunt ita ut illud & voluiſſe & ob viciniā etiam facile perpetraſſe, exiſtimandi ſint. Quis autem fuerit ille Leodingerus,ut vocatur,qui Imperatori rebellaverit Friſioſque tum vexaverit ingenue fateor me ignorare: verum nil referre arbitror ut id ſingulatim ſciamus,ob diplomatis auctoritatem,quod Cæſareum atque publicum cum ſit ulteriore probatione non indiget. Illud autē hoc loco notandū eſt quod Iohannes Stumpſſius Helvetiorum Hiſtoricus lib. 3. cap. 59. ſcribit Lutgeri nomen habere multa ſynonyma. Eundem enim dici

*In Saxonia Duces complures quorũ res geſtæ intercaderunt.*

*Lib. Saxoniæ 2. cap. 26*

Lutgerum, Clotarium, Lotharium, Ludgarium, Leodegarium & Ludovicum: ne quis turbetur, quod Saxonicus ille dux à Friſiis captus in hoc diplomate vocatur Leodingarius & alibi Lutgerus. Et ſane non oĩa à Saxonibus aut aliis nationibus geſta literis quoque Hiſtoricorũ comprehenſa ſunt ut ob id ea falſa eſſe prẹſumere debeamus. Fuerunt ea tempeſtate teſte Alberto Crantzio præter Vigberti ducis liberos & nepotes complures alii in Saxonia principes, quorũ nomina propter inopiam ſcriptorum in obſcuro remanſerunt: & ſecuta ſunt poſt Craſſi mortem tempora turbatiſſima, in quibus homines de ſcribenda Hiſtoria parum fuere ſolliciti. Quamobrem non eſt mirum hunc Leodegarium ſive Ludgerum à nobis ignorari aut non aliter, quam ex hoc diplomate cognoſci.

*Cauſa libertatis Friſonicæ altera*

*Sequitur in noſtro diplomate altera cauſa cur Friſiis à Carolo Craſſo donata ſit libertas, nempè victoria Friſiorum contra Romanos advenas obtenta, quæ priore eſt evidentior. Nam ex Hiſtoria compertũ habemus hac Caroli Iunioris ſive Craſſi ætate, in urbe Roma factiones vigniſſe, eaſque ab advenis Romæ habitantibus excitatas, qui comites Tuſculani dicti jam tum à morte Ludovici Imperatoris ejus nominis ſecundi, Gallis ac Germanis excluſis Imperij dignitatem ad ſe ſuoſque populares Italos trãferre ſatagebãt. Quorũ partes anno ſuperiore Hadrianus Tertius ſuis decretis animaverat, & ſane ea factio Tuſculanorũ eò potentiæ erat progreſſa, ut Papam non vellent aliũ quam qui ſuarum eſſet partium qui nec alium Imperatorẽ faceret, quam qui ipſis placeret. Quod utrumque ex Carolo Sigonio demonſtrari poteſt. Narrat enim Sigonius libro quinto Hiſtoriarum de regno Italiæ, mortuo Ludovico Lotharii filio, magna pro Imperij titulo regnoque Italiæ adſciſcendo certamina concitata fuiſſe inter Italos atque Francos. Æquũ nimirũ videbatur Italiæ principibus quando Ludovicus Imperator vita nullo relicto ſucceſſore ceſſiſſet, eum titulum jam ad Italos, præſertim opibus atque auctoritate Florentes reverti, atque*

*antiquam*

antiquã imperandi Majeſtatem ab externis interceptam poſt tot ſecula Italiæ reddi. Hoc autem conſilium intulerunt iidem qui in comitate quoque opibus excellebant Comites Tuſculani: qui cum Iohannem nonum pontificem adiiſſent eumque in ſuã ſententiam trahere contendiſſent, ab eo in unum Calvum converſo, tanquam male de republica ſentientes rejecti ſunt: verũ anno 876. Carolo Calvo coronato & ab Italia digreſſo, iidem Comites, quorum principem ſe gerebat, quẽ Luytbrandus Ticinenſis Albertum Marchionem Aymoinus Adelbertum Comitem, alij Albericum Comitem vocant, Lamberto Comite in ſocietatem aſſumpto, Iohãni papæ ob repulſam acceptam irati, adverſus eum conjurationem inierunt cujus participes Formoſus Epiſcopus Portuenſis & Gregorius nomenclator fuerũt. Quod ubi Iohannes comperit, diras in Formoſum & Gregoriũ ſocioſq; eorum execrationes intendit. Deinde morte Calvi Romæ audita Albertus & Lambertus, quos Iohannes à piorũ communione ſecreverat, animos ſuſtulerunt & pontificem ſuis adhuc repugnantem conſiliis, novo tumultu concitato per arma captum, in carcerem condiderunt fundoſq; ejus & pat. iarchium diripuerunt. Iohannes verò papa ope ſuorum carcere elapſus ad Ludovicum Balbum in Galliam ſe contulit & ibidem confirmato in Albertum & ſocios ejus anathemate anno 878. Septimo Idus Septemb. Balbum inunxit Imperatorem. Inde Carolomanno Rege Italiæ & Ludovico Balbo Imperatore mortuis, Carol⁹ Craſſus in ipſis natalitiis Chriſti anno 880 deſinente à Iohanne papa Romæ coronatus eſt.

Iohanne verò deinde anno 883. die 18. Cal. Ianuarias è vita ſublato, Tuſcalanorum Comitum factio ad novum pontificem pro ſuo arbitrio creãdum omni ope incubuit ac Marinum Galleſianum, quem Martinum ſecundum vulgo nominant, ex cardinali diacono ſurrogavit. Is in ipſo natalitiorum die conſecratus, Albertum & cæteros à Iohanne damnatos reſtituit & præcipuè Formoſum in gratiam Eccleſiæ recipit & religione ſolutum epiſcopatum urbemq; repetere jubet. Cæterum ab

hoc tempore

*hoc tempore Eccleſia Romana graviſſime laboravit diſtracta in duas factiones civitate, quarum alterius Comites Tuſculani principes erant qui urbanam potentiam affectantes, pontifices, quos cupiditatibus ſuis adverſarios nacti ſunt conjurationibus initis fatigarunt & eis pulſis aut pecunia aut vi vel propinquos vel amicos cupiditatibus ſuis opportunos intrudere inſtituerunt. Hinc anno 884.15.Kal. Februarias Marinus pontifex moritur, ei poſt triduum Agapetus, eadem Romanorum principum ſuffragante factione, ſubſtituitur, qui Hadrianus tertius eſt appellatus, Sub hoc eadem factio Tuſculanorũ Comitum caput altius erigit. Nam Saracenis tum in Italia graſſantibus, Imperatorem abeſſe indignati, ſerio rem aggrediuntur, ut imperium Italis poſthac & non exteris mandetur. Itaq; Hadrianum pontificem adeunt, eumq; ut ſalutari decreto in poſterum reipublicæ caveat, orant. Is ut factioni ſuæ gratificaretur & fortaſſe metuens ne idem pateretur, quod Iohãnes nonus erat ab illis paſſus, decreta illa duo condit, quæ ſupra retulimus ut videlicet ad pontificem electum à Clero & populo confirmandum, ne exſpectetur Imperatoris vel legati ejus approbatio: ut Carolo ſine filiis, defuncto, Imperij dignitas ad principes Italiæ deferatur. Quibus rebus cognitis, cum mortuo Hadriano Romana illa factio Stephanum quoq; quintum papam conſtituiſſet ſine Imperatoris conſilio aut approbatione, Imperator in Italiam profectus, ut advenas illos Romanos in ordinem redigeret, qui mandata ipſius contemnebant & Iura Imperij in gravamen Imperatoris uſurpabant, in ea mala & pericula incidit, à quibus tunc Friſiorum induſtriâ & fortitudine fuit liberatus, ut diploma indicat. Ea autem eſſe verè & ſic geſta, quemadmodum commemorantur Circumſtantiæ illorum temporum recte conſideratæ facile demonſtrant: præter ea quæ hic ſuperius ſunt narrata. Cauſa privilegij Friſonici hoc modo perpenſa, videamus porro ipſam Conſtitutionem, quæ altera hujus diplomatis pars eſt. In ea idem controvertitur, quod ſupra, de Cæſare Auguſto diximus. Nam dũ omnes*

Conſtitutio privilegii Freſonici quæ & qualis.

*hactenus*

*hactenus ea verba de Octaviano interpretantur, in eaſdem difficultates incidunt, ut ſe explicare nequeant. Sed quemadmodũ ibi diximus, Cæſar Auguſtus nullus alius hic intelligendus eſt, quàm Carolus Magnus, à Leone Papa quarto pontifice maximo dictus Auguſtus: qui Radbodo Friſiorum ultimo Rege ſuperato, Friſiis tributum impoſuit, feuda conſtituit, inter bona privata & regia diſcrimen fecit, magiſtratuſq; & officia ordinavit, qui hæc colligerent & gubernarent. Extat hodieq; liber legum Friſicarum Coloniæ Agrippinæ jam olim, ut putatur, typis excuſus, vernacula Friſiorum lingua cõſcriptus: in eo reipublicæ forma, quæ ſub Carolo Magno in Friſia fuit ãnotatur. Datur Friſiis illic Comes, qui prout res moneat ſuo tempore Friſiæ gubernationem inſpiciat, datur Poteſtas qui ſupremum magiſtratũ gerat & ſemper præſens ſit. Datur procurator Fiſci qui Voigtus appellatur, qui tributum colligat, feuda conferat & eorum Iura defendat. Dantur etiam Iudices, qui à parte Comitis dicantur Scholtones, à parte poteſtatis Aeſgæ, ſolo nomine differentes. Ex quibus perceptu facile eſt, ibi tributum fuiſſe indictum, ſi magiſtratus ſit præpoſitus, qui illud recipiat. Dicit igitur in hoc ſuo diplomate Imperator Craſſus, ſe tributũ illud triginta vel ut alij legunt, viginti librarũ auri, quod Carolus Cæſar Auguſtus Friſiis juſsit, gratioſe remiſiſſe, de conſenſũ fidelium ſuorũ & Imperij principum, qui non alij hic ſunt quàm vaſalli & quales fuerunt, qui ipſum poſtea Imperio abdicare cægerunt. Intelligere autem hic per principes Imperij, illos ſeptemviros, qui hodieq; Imperatorem eligunt & ob id principes electores vocantur, planè eſt abſurdum & ab hiſtorica veritate alienum. Dubitare autem an principes Imperij habuerit Craſſus Imperator, Idem eſt ac ſi dubites num homo aliquis habeat manus ac pedes, quibus ambulet & operetur. Neq; enim unquã Rex quiſpiam eſt repertus, etiam inter Tyrannos reputatus, qui omnia per ſe egerit, qui nullos habuerit proceres aut capitaneos, quorum opera in republica adminiſtranda uteretur. Fuerunt igitur & Craſſo ſui primores ſive princepes, qui conſiliis aderãt*

Cæsar aug: in Dipl. Car. m.

Tributum à Carolo Magno Friſiis imperatum.

Principes Imperii qui ſint.

Tributum Friſiis à Carolo Craſſo emiſſum.

*qui provincias regebant, qui bella curabant, qui denique ductabant exercitus & reipublicæ, ne quid detrimenti caperet providebant. Atque hæc quidem de primo cōſtitutionis articulo intelligendo bonis viris abundè ſatisfaciant. Cætera quæ in hac conſtitutione ſequuntur capita; ſunt omnia talia, ut cum antiquis Friſiorum moribus ac inſtitutis conſentiant, quemadmodū compluriū teſtimoniis probari poteſt. Vnū hic Bartholomæū Anglicū Minoritam allegare ſuffecercit qui in ſuo de proprietatibus rerum commētario ad annū 1360. de Friſiis ſic ſcribit:*

Mores Phriſiorum anni qui cum diplomate cōgruunt.

FRISIA EST PROVINCIA INFERIORIS GERMANIAE SVPER LITTVS Oceani tractu longiſſimo conſtituta, quæ à fine Rheni incipit & mari Danico, terminatur. Cujus incolę Friſones à Germanicis nūcupantur: in habitu autem, & in moribus plurimum differunt à Germanis. Nam viri ferè omnes in capite circulatiter ſunt attonſi qui quanto ſunt nobiliores, tanto altiùs circum tonderi glorioſius arbitrantur. Eſt autem gens viribus fortis, proceri corporis, ſecuri animi & ferocis, corpore agilis, lanceis utens ferreis pro ſagittis. Terra plana, paſcuoſa, paluſtris & graminoſa, lignis carens, pro ignium fomento terræ bituminoſis ceſpitibus aut boum deſiccatis ſtercoribus ſæpe utens: Gens libera, extra gentem ſuam dominio alicujus non ſubjecta. Morti ſe exponunt gratia libertatis & potiùs mortem eligunt, quàm jugo opprimi ſervitutis Ideo militares dignitates abnuunt & aliquos inter ſe erigi in ſublime ſub militiæ titulo non permittnut. Subſunt tamē Iudicibus, quos annuatim de ſe ipſis eligunt, qui rempublicam inter ipſos ordinant & diſponunt. Caſtitatem multum zelant, omnem impudicitiam ſeveriùs punientes. Filios ſuos & filias uſque ad impletū ferè adoleſtentiæ terminum caſtos ſervant: ex quo contingit quòd tunc temporis nuptum datæ ipſorum ſoboles prolem completam generant & robuſtam. *Hactenus ille minorita Anglicus, ex quo illa apud*

*Friſios*

*Friſios plæraq; in uſu fuiſſe comprobantur, quæ Craſſus Imperator illis in hoc ſuo diplomate in ſignū ſ‥æ libertatis imperat.*

Hanc conſtitutionē ſequitur pars tertia quam Sanctionem appellavimus, in qua Friſiorum libertas pœnis munitur adverſus ejus oppreſſores, quos tam civili quā eccleſiaſtico more vult caſtigari. Nam eoſdem & proſcriptos ſua ſententia & excommunicatos ſummi Pontificis cenſura eſſe declarat. Imperator contumaces & inobedientes ſui juris homines proſcribit, hoc eſt à commerciis, à foro, & à judiciis arcet: Pontifex eos à ſacris, à templis & à cōmunione prohibet, donec reſipiſcant & parti læſę ſatisfaciant. Quo verò faciliùs profani ſubigantur præſertim potentiores & in aliqua dignitate poſiti, ſi in Friſiorum libertatem peccaverint, jubet Imperator, ut eos Papa Romanus ſentētia interdicti feriat hoc eſt, ut eos à ſacrameutis officiiſque divinis arceat & eccleſiaſtica ſepultura prohibeat, ut potiùs infaminę metu quàm armis ad Saniora compellantur. Conſtituit etiam, ut violatores Libertatis Friſiacæ, eas pœnas ipſo jure incurrant, nec Iudex in iis decernendis requiratur modo de facto cōſtet, nec aliter relaxentur, quā ipſo Papa auctore. Quin etiā ipſis Friſiis ſe vindicandi de ſuis turbatoribus poteſtas datur, negaturq; iis, quos ab eā cauſam infeſtaverint ulla in poſterum actio. Ex quo facilè intelligitur quanti Friſios, eorumque libertatem fecerit Craſſus Imperator, ut qui ipſis contra juris communis regulas ſibi ipſis jus dicere permiſerit.

*Tercia pars privilegii Friſonici ſanctio pœnas comminatur.*

Sequitur expilogus, in quo naſuti quidam reprehendunt, quòd hoc diploma munitum dicatur Bullâ Aureâ & ex eo conjiciunt auctorem ejus eſſe Carolum qaartū: Qui ſi rē ipſam conſiderarent aut intelligerē t, aliter haud dubiè & prudentiùs loquerentur. *Bulla aureà (inquit Feſtus) inſigne crat puerorum prætextatorum, quæ dependebat eis è pectore, ut ſignificaretur eam ætatem alterius regen-*

*Epilogus privilegii explicatus.*

*dam conſilio, dicta tamen à græco ſermone βουλή quod conſilium dicitur latinè, vel quia eam partẽ corporis contingat, id eſt pectus, in quo naturale manet conſilium.* Præter hanc Feſti Pompeii interpretationem, ſignificat etiam Bulla tumorem illum inanem, qui in aquis viſitur momento temporis enaſcẽs & evaneſcens à vento ſufflatus, à quo vulgari proverbio dicitur Homo Bulla. Quia verò Bulla intus eſt inanis, ita ut quidvis in eam recõdi poſſit, hinc factum arbitror, ut nomen illud tractu temporis ad capſulas illas ſit tranſlatum, quibus ſigna teſtium occultantur & à tempeſtatis injuria defenduntur. Quæ cùm hodieque ex laminis ferreis vel æneis aut etiam ligneis conficiantur, quidni etiam ex argenteis vel aureis lamellis ab Imperatore confici potuerint? Haud ſanè aliter quoque Bulla aurea pro ſigillo capitur aureo, quam quomodo continens pro contento per metonymiam poni ſolet. At cùm omne metallum ad ſigilli figuram recipiendam ſit idoneum, nec omnes nationes ad ſignandum cera utantur, experientia docente Venetos ad eam rem plumbo uti: nihil profectò abſurdi dixerimus, ſi ipſum Imperatoris ſigillum ex puro auro factum affirmemus, quoniã in arbitrio ejus erat poſitum, qua materia uteretur & ea res illo inſtrumẽto cõſignabatur, quæ erat omni auro precioſior, libertas nempe Friſiorum. Qui verò dicunt Bullam auream ante Caroli quarti ætatem non fuiſſe uſitatam: ij ſi eo nomine conſtitutionem illam intelligunt qua Imperatoris Romani eligendi ratio comprehenditur, verùm dicunt: ſin autem generaliter nomen Bullæ pro ſigillo, quo inſtrumentum publicũ confirmatur, accipiunt, & ideo diploma hoc reprehendunt, quòd Bulla dicatur aurea, quæ ante Caroli quarti ævum non fuerit, illi ſanè produnt imperitiam ſuam, utpote qui ſtolidè ſibi perſuadeãt id in rerũ natura non fuiſſe, quod ipſi non viderint. Verum enimverò omnem dubitationẽ

tollit

tollit Clemẽs Papa ejus nominis quintus,qui anno 1306. Romæ Pontificatũ obtinuit annos octo,idque ante Caroli quarti ætatem annis quadraginta, qui Clementina cnnica in fine de jurejurando ait in hunc modum: Hoc quoque juramentum & etiam priſtinum nobis per ſuos nũtios (ut præmittitur) præſtitum, receptis ſuæ coronationis inſigniis innovavit, prout in patentibus ante coronationem ipſam ejus regio magno ſigillo & aliis poſt coronationem eandem ejus Imperiali aurea Bulla munitis inde confectis literis (quas in archivis Romanę Eccleſiæ reponi & diligenter reſervari fecimus) plenius continetur. Ibi gloſſa ſubjicit: patet ergo quod ante coronationem non utitur Bulla ſed ſigillo. Sic & Papa aliter utitur ante coronationem quàm poſt, ut notatur in fine lib. 6. additur ibidem: Super data privilegia Imperialia cum aurea Bulla vidiſſe non memini, niſi unum: Nec etiam multum videtur expediens privilegiis Bullam aureã appendi. Propter pretioſitatem enim metalli eſt de ſubtractione Bullæ periculum, ob quam etiam cauſam prudentes prælati & principes temporis noſtri ſigilllis argenteis vel aureis non utuntur. Hactenus Gloſſa D. C. Ex quo liquet etiam ante Caroli quarti tempora Bulla aurea loco ſigilli uſos fuiſſe principes. Itaque & diploma hoc Friſiorum ob Bullam auream ad ejus ætatẽ referri non oportere, quod etiam ex eo apparet manifeſtiùs, ꝙ in illo Friſii à ſervitute proprietaria liberantur, quæ Caroli tertij tempore adhuc vigebat, ſed Caroli quarti ævo jamdudũ à Chriſtiana republica erat expulſa, ut Hiſtoriæ docent. Albertus Crantzius quoq; ex teſtium perſonis dum conatur hujus inſtrumenti epocham ad Carolum quartum referre, teſtes non commemorat, quos ſub Carolo quarto vixiſſe exiſtimat, ideoq; à nobis refutari ampliùs nequit. Noſtrum enim diploma, quod hic exhibemus, teſtes ſubſcriptos non habet. Illud nobis abundè ſufficit,

*Bulla aurea multis principibus nom. olim uſurpata.*

quod ex ſtili conformitate auctorẽ ejus invenimus Carolum non magnum quidem illum Auguſtum, ſed ejus pronepotem Carolũ cognomento Craſſum idque ideo maximè quòd narrationes diplomatis cum Craſſi ætate congruant, quodque Friſii ab illo tempore, ex hujus privilegii formula ſuam rempublicam deinceps perpetuò adminiſtraverint; quemadmodum ex eorum ſcriptis legibus, ſummoque magiſtratu, qui Poteſtas eſt dictus, eſt manifeſtum. In epocha quidẽ diplomatis à ſcriptoribus librariis variè erratum, eò, quòd omnes illud ad Caroli magni ætatem accommodare ſategerũt: habentur tamẽ in ejus exemplis aliqui characteres, qui temporis veritatem doceant. Extant enim diverſa ejus exempla, quorũ continentia ubique ferè eſt eadem, epochæ verò diſcordes ſed exemplo aliorum diplomatum, quæ Craſſus dedit ad conſonantiam reduci poſſunt. Quoniam enim ex proemio hujus diplomatis certum eſt, Friſios ob tumultus in Saxonia & Romæ excitatos, & ab ipſis compoſitos & ſedatos à Carolo Craſſo libertate donatos: eumq; tumultũ, qui ab advenis Romanis Craſſo illatus eſt, anno demum octingenteſimo octuageſimo ſexto contigiſſe, bona certè ratio eſt, ut ab omnibus exemplis mutuati characteres, ſequamur ductum eorum, quẽ ordo requirit. Habent Craſſi donationes, ut ſuprà vidimus primo loco diem menſis, ſecundo annum dominicæ incarnationis, tertio indictionem, quarto annum Imperii, quinto Regni & ſexto locum ſcripti inſtrumenti. Diem vidi in quodã noſtri diplomatis exẽplo ſextũ Aprilis, deinde annũ dominicæ incarnationis 802. Regni 2. ſed in aliis alium. Eum annũ ſi vertamus in ſuum, quẽ hiſtoria indicat, ſcribemus totã epochã ad imitationem aliorũ, quæ ſuprà dedimus hoc modo: DATVM Decimo ſexto Cal. April. ANNO DOMINICAE INCARNATIONIS 886. Indictione 4. anno Imp. in Italia 6. Regni in Frãcia 5. in Gallia 2. Actum

2. Actum Lateranis. Indictionem hic quartam ſcribimus quæ in aliis ponitur 10. aut 6. quòd annus Chriſti illam requirat & Taborita fateatur, ſe in quibuſdam exemplaribus, quartam Indictionẽ inveniſſe ſcriptam. Sic reſtituta epocha omnia in diplomate clara ſunt & cum hiſtoria Craſſi conſentanea: ita ut, quod in eo carpat zoilus, nihil habeat amplius. Deum precor, ut illuſtret oculos populariũ meorum ut beneficium hoc meo labore è tenebris erutum candide queant aſpicere & mecum recognoſcere. Ego quidem Deo opt. Maximo gratias ago ꝙ mihi pulſanti oſtivm veritatis aperuerit. Ab hoc tumultu quẽ diximus Carolus Craſſus Imperator Româ profectus Papiam venit: ubi paſcalia celebraſſe dicitur. Nec ibi quies: ortâ enim inter cives & milites prætorianos ſeditione multi ex illis interierunt, multi vulnerati ſunt. Luitbertus autẽ Epiſcopus Vercellenſis Caroli Imperatoris amicorum locupletiſſimus, Romam miſſus, ibi tum nomine Imperatoris Ius dixit & abs Stephano Papa hoc beneficii impetravit, ut Epiſcopi, quorum dioceſes à paganis captæ eſſent aliò concedere poſſent citra infamie notam Normanni quoque cæſo Godefrido ducem Rollonem nacti iterum claſſe ex freto danico advenerant in inferiorem Germaniam & jam obſidebãt Lovanium: ſed moræ impatientes illo relicto Sequanã ingreſſi, Lutetiã pariſiorum obſidione tentabant maximeque affligebãt. His cognitis Craſſus Imperator habito prius apud Papiam generali procerum conventu, in Galliam tum abit ſed ubi in Burgundiam venit, de Pariſiorum ſtatu audit: Mittitque extemplo obviam Henricum ducem, q̃ Normannos coerceat. Qui cùm adventare diceretur Normannos excitavit, ut ipſum in inſidias pellicerent. Circũ urbem enim ſcrobes deprimunt, quas paleis & quiſquiliis intexunt, ne videri poſſent. Cùm igitur dux Hẽricus ſitum caſtrorum veniſſet ſpeculatum & à paucis Normannorum,

*Carolus Craſſus papiæ ſeditione urgetur.*

NB.

mannorum, qui in inſidiis erãt provocaretur, ibi tum vir magnanimus in illos equum cõcitat in ſcrobes illas incidit, & à Normannis ſubitò cęditur armiſq; exutuitur cadavere vix à ſuis recepto, quod apud Sueſſiones eſt humatum. Eodem tempore Hugo abbas Aureliis moritur: ducatus ejus Ottoni Roberti filio ab Imperatore committitur. Erat autem Otto tum Comes Pariſienſis.

Abſente autem Carolo Berengarius dux forojulienſis invidia ſtimulatus, Vercellas Luitberti Epiſcopi ſedem in Italia capit & opes ejus ſecum avehit. Carolus rebus malè in Gallia adminiſtratis Weibelingam revertitur. Occiſo enim à Normannis Henrico rege, & Hugone duce mortuo qui pluri mũ cõſilio valebãt cũ & exercitus ejus eſſet diſsipatus, & ipſe, parum conſilij aut virium in præſentia haberet, quibus Normannorũ audaciæ reſiſteret, cum eis pacem facit, ut à reliqua Gallia abſtinerent & in illos bellum vertant, qui trans Sequanã habitantes Neuſtrij dicebantur, & Ludovici nihili partes ſecuti plus Hugoni Abbati hactenus quàm ſibi dicto audientes fuerant. Hinc apud Weibelingam Beringarius ab Imperatore in gratiam recipitur, cùm priùs ille Luitberto epiſcopo ſuas opes, quas rapuerat, reſtituiſſet. Ab hoc tempore Normanni Neuſtriam occupare & à ſe ipſis Normanniam dicere cœperunt: Luitbertus item in odium Alemannorum cùm veniſſet, conſpiratione eorum, aula ejicitur & ut adulter malè audit, ſed & Imperator Reginam uxorem ſuam criminatur, quòd Lutberto uſa eſſet familiariùs, quàm deceret: eamque à ſe dimittit. Illa ſe innocentem judicio Dei probat & monaſterio vitam cõmittit. Intereà Craſſus ob hæc & ſimilia apud principes ſuos jamdudum contẽptus ægritudinem tam animi quã corporis incurrit. Ex qua cùm cœpiſſet aliquantulum revaleſcere & Francofurtum cogitaret ut ibidem populi conventum ageret, in itinere Kirchemi obvium habet Ludovicum

*Nulla calamitas ſola.*

Neustria · Normannia

Ludovicum Boſonis filium Ludovici Imperatoris ex filia nepotem eumque in ſuam clientelam recipit & ut filium adoptat. *Quo facto in morbum recidit. Ab illo die, inquit auctor annalium Fuldenſiũ quos D. Freherus edidit male inito conſilio Franci & more ſolito Saxones & Duringi, quibuſdam Bajoariorum primoribus & Alamannorum adjuncti cogitavere deficere à fidelitate Imperatoris, nec minus perficere:* Igitur veniente Carolo Francofurtum omnes ab eo ad Arnulphum Carolomanni fratris filium nothum trãſeunt eumque regem & Imperatori curatorem novo more conſtituunt. Carolus ab omnibus non tantùm proceribus, verùm etiam miniſtris deſtitutus, à ſummo faſtigio in infimum paupertatis gradum detruſus, magnum humanæ imbecillitatis documentum factus, cùm fortunæ acerbitatem magno animo fortiter aliquamdiu toleraſſet anno demum 888. pridie Idus Ianuarij ex hac vita feliciter migrat in cœlum: ſepultus in Augea majore Rheni inſula Poſt ejus mortem Imperij ditiones velut è compage ſolvuntur, dum unuſquiſque populus ſibi regẽ creare ſatagit Quod accidiſſe occulto quodam Dei judicio videtur. Quemadmodum enim ſecundis ſucceſſibus regnum Francorum paulatim crevit, donec in Carolo magnõ ad ſummum Imperij faſtigiũ conſcendit; Ita viciſſim poſt ejus obitum eodem quo acceſſerat modo cœpit pedetentim diffluere: donec à Magno ad Craſſum perveniret, in quo omnes nervi Imp. Majeſtatis inciſi quaſi ad diverſa ſe membra contraxerũt ut in ſequẽtibus apparebit.

*Cùm Imperaſſet annos 7. & dies 10.*

*Videre eſt in hiſce noſtris ſuperiorum temporum annalibus, Friſios primùm à principibus, deinde à ducibus, tãdem à regibus gubernatos, ceſſiſſe demum Carolo Magno & ab illo in provinciæ formam redactos, accepiſſe eam Imperij formulam, quæ eo tempore paſſim apud Francos vigebat. Nam & tributum viginti aut triginta librarũ auri tum pendere quotannis juſſi fuerunt & magiſtratus acceperunt à Carolo, quorum princeps*

*Epilogus.*

Comes aut Dux vocabatur, & reliqui Iudices penes quos rerum
civilium et criminalium arbitrium conſiſtebat: ita tamē ut ra-
tionibus reddendis nihilominus eſſent obnoxij quas per legatos
ſuos, quos miſſos appellabant, quotannis aut quoties expedire
videbatur Imperator exigebat. Hæc regendi formula apud
Friſios perpetua fuit, donec ad Carolum Craſſum eſt perventum
qui Friſiis tributum, ut ademit, ita liberam adminiſtrādæ rei-
publiicæ curam eis permiſit. Erat hoc in more antiquo apud
Friſios atque etiam alias nationes, quæ Imperio Romano pare-
bant, ut eorum ſummus magiſtratus poteſtas, diceretur, verbo
apud Romanos uſitato, quo ille propriè vocabatur, qui nomine
populi vel Cæſaris in provinciam cum ſummo Imperio ibat, qui
Romæ magiſtratus aut certo nomine Conſul vel Prætor appel-
labatur. Is item jure Romano ex provincia oriundus eſſe non
poterat ſed civis mere Romanus erat: quod etiam ſub Carolo
Magno videtur fuiſſe uſurpatum, ſub quo præfecti Friſiorum
recenſentur duo, qui exteri fuerunt. Etſi autem deinde Friſij
ex ſuis poteſtates reliquos numerent, veriſimile tamen non eſt
eoſdem à Friſiis propria auctoritate creatos, quandoquidem il-
lud jus non priùs habuerunt, quàm de eo illis privilegium de-
diſſet Carolus tertius, cognomento Craſſus, ut ſuprà vidimus.
Conſideratu porrò dignum eſt quomodo Carolingorum in Frā-
cia regnum à Carolo Martello cæptum per ſingulares hæredes
ad ſummum pervenerit, deinde in plures ſectum, ut in uno cog-
nomine iverit peſſum. Martellus enim etſi plures liberos re-
liquerit, unicum tamē Pipinum principatus ſui ſucceſſorem ha-
buit legittimum: cui etiam unicus Carolus magnus poſt bien-
nium à morte factus eſt hæres: Is quoq; multorum liberorum
pater cùm inter eos teſtamento facto Imperij ſui diviſionem in-
ſtituiſſet nullum tamen eorum, præter unum Ludovicum vidit
ſuperſtitem, in quo denique Imperiū in multos tranſiit & à ſua
compage diſcedere occepit. Lotharius enim eo adhuc vivo Italiæ
Rex dictus & conſors majeſtatis, poſt mortem ejus fratrum co-
hæres, Ludovicum Germaniæ, Pipinum Aquitaniæ, Carolum

Franciæ

*Franciæ reges vidit: Quin & ipſe Lotharius ſuum regnum in Ludovicum Italiæ regem, in Lotharium in Auſtraſia ſucceſſorem & in Carolum Provinciæ & Burgũdiæ regem diſtribuit, & ex uno corpore complura membra confecit. Adhæc Ludovicus Rex Germaniæ ſuum quoque regnum in Carolomannũ Ludovicum & Carolum filios ſecuit. Sed Lotharij ſtirpe ſine hærede legittimo extincta & Ludovici genus in uno Carolo Craſſo deſiit, ut quod prudentia & induſtria unius coierat Imperium; ſocordia & negligentia quoque unius diſperiret: Hæ ſunt artes divinæ providẽtiæ quibus hujus mundi reges pro ſuo arbitrio paulatim & conſtituere & viciſſim deſtituere conſuevit. Idem quoque in Galliæ regno factum eſt. Nam & hoc in Carolo hoc Craſſo à prima ſtirpe diſceſſit & in peregrinum Ottonem eſt tranſlatum.*

*Hadrianus primus pontifex Romanus Carolũ magnũ dixit Romani imperij Patritium, eundem Leo quartus unxit in Imperatorem, eoque modo aquilam Romanam bicipitem fecit. Ludovicũ pium etiam extra Romam in Gallia coronavit & unxit Stephanus quartus: Lotharium corona cinxit & oleo perfudit Paſcalis, Ludovico coronam & unguentum impartitus eſt Sergius ſecundus. Carolũ Calvũ, Ludovicũ Balbũ & Carolũ Craſſũ diademate ornavit Iohãnes nonus: oẽs in hoc fuerunt, ut vel nõ requiſiti conſuetudinem aliquam ungendi, coronandi, & conſecrandi introducerent, quam poſtquam ſuo more conſecuti ſunt, eo audaciæ venerunt, ut reges vel Imperatores nullos agnoſcerẽt niſi quos ipſi ſedi Romanæ obligaſſent & devinctos haberent. Hadrianus primus conſtituerat, ut Carolo Magno jus eſſet ordinandi ſedem Romanam utque nemo archiepiſcopus citra ipſius conſenſum conſtitutus, poſſet conſecrari. Hadrianus tertius contrarium induxit, quod ejus poſteri adhuc imitantur. In cognominib⁹ hoc jus primùm cœpit & poſtremò deſiit. Nos igitur in his bona conſcientia verſati, ſperamus rem gratam patriæ & vicinis noſtris Hollandis præſtitiſſe, quod ut primis tribus libris noſtrorum annalium origines patriæ paulò clariùs, quàm*

*ante hac factum erat deduximus, epochaſque principum, ducum atque regum emendavim⁹: Ita nunc auctori ſuo Carolo Craſſo privilegium Friſiorum reſtituimus, ſimulque oſtendimus donationem eccleſiæ Egmondenſis Theodorico Hollandiæ primo Comiti factam non Carolo Calvo ſed Carolo Simplici deberi, & Vaſdam non à Ludovico Germaniæ rege, verùm à Lothario Francorum rege in Theodoricum ejus nominis ſecundum Hollandiæ Comitem fuiſſe collatam:: quod ut fiat illuſtriùs ſequẽtibus libris liquidò comprobabimus, ſi vitã prorogaverit Deus; cui gratia, Laus & honor ſit in perpetuum Amen.*

Sequntur duo diplomata ad Hollandos ſpectantia: quorũ primum à Carolo Simplice Rege Francorum prodiit hoc modo:

IN nomine Sanctæ et individuæ Trinitatis Karolus divina propitiante clementia Rex Francorũ: Regalis celſitudinis eſt noſtros & fideles ſuos donis multiplicibus honorare. Idcirco notum fieri volumus omnibus fidelibus S. Dei Eccleſiæ præſentib⁹ ſcilicet atque futuris, quomodo adiẽs pręſentiã ſolii noſtri Hagano venerabilis comes, expetiit à noſtra manſuetudine, dari cuidam fideli noſtro, nomine Theodorico quaſdam res, Eccleſiã videlicet Hecmundæ cum omnibus ad eam jure pertinentibus, à loco, qui dicitur Zuitherdes Hage uſq; ad fortrapa & Kinnen: Cnjus petitionem benignè (uti decebat) ſuſcipientes, concedimus

*Refer hoc diploma ad librum ſextum annaliũ pag. 188.*

tes, cõcedimus præfato fideli noſtro hæc omnia ex integro cũ mãcipiis quæſitis & inquirendis, pratis, ſilvis, paſcuis, aquis ſive aquarũ decurſibus. Pręcipientſéque jubemus, ut ſicut reliquis poſſeſsionibus, quibus jure hęreditario videtur uti, ita & his noſtri muneris largitate rebus impenſis valeat ſecurè omni tempore vitæ ſuæ frui ipſe & omnis ejus poſteritas. Vnde & hoc præceptum noſtræ Clementiæ ei ſuper his conſcribi juſſimus, per ꝙ præcipimus atque mandamus ut liberè hæc omnia teneat atque poſſideat, habeatque de his poteſtatem juxta libitum ſuum ordinandi ſeu faciendi, Deo in omnibus propiciante & nemine inquietante. Et ut hoc noſtræ largitionis munus per ſuccedentia tempora firmius habeatur & attentius obſervetur manu propria ſubter firmavimus & annuli noſtri impreſſione juſſimus ſigillari. Signũ Karoliglorioſiſſimi Regis, Hagano ad vicẽ Rutgarii archiepiſcopi ſummique Cancellarii recognovit. Datum 17. Kalen. Iulii indictione 11. anno 30. regnante domino Karolo rege, redintegrante 25. largiore verò hæreditate indepta

depta 10. Actū Pladella villa fæliciter Amen.

*Alterum diploma à Ludovico ſive Lothario Francorum rege profectum ſic legendum.*

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis: Luthovvicus Dei gratia Rex: Notū ſit omnibus fidelibus noſtris tam præſentibus. quā futuris, quòd dilecta conjunx noſtra Hemma regina adiens noſtræ celſitudinis præſentiam humiliter deprecata eſt, ut cuidam noſtro fideli, ſcilicet Theodorico Comiti Foreſtum VVaſda in eodem Comitatu, cū pratis, aquis, terriſque aratoriis, exitibus & regreſſibus, cūque rebus pertinētibus ad prædictum foreſtū perintegrè noſtro daremus præcepto. Cujus petitionibus (prout dignum eſt) favētes prædicto Comiti prædictum damus atque largimur foreſtū ut habeat, teneat, poſsideat ſuis cum ad ſe pertinentiis, tam ipſe quàm ſui hæredes ſeu cui ipſe ſuique hæredes vendere vel mancipare voluerint ſine omni cōtradictione. Et ut firmius maneat inconvulſumque ſervetur, hoc ei præceptum fieri juſsimus & manu

*Refer ſuprà ad pag. 198.*

manu propria ſubter firmantes ſigillo noſtro juſsimus ſigillari. Signum Luthovvici glorioſiſsimi regis. Gezo Cācellarius ad vicē domini Vthelrici Archiepiſcopi ſummiq; Cancellarii recognovit & ſubſcripſit. Datum Idus Aprilis Regnante domino Luthovvico an. xv. Indictione xii.

FINIS.

---

## Errata.

Pag. 4. verſ. 10. leg. *Duiſburgi.* pag. 8. verſ. 16. leg. *Aragiſo* pag. 9. verſ. 24. leg. *itum* p. 10. v. 10. l. *Schulteti vel Æſgæ.* p. 14. v. 12. l. *erudivit.* p. 36. v. *ultimo* l. *ex & penultimo* l. *Pandroſo* p. 40. v. 2. l. *miratur ut ſubeat.* p. 46. v. 15. l. *perveniatur.* p. 62 v. 1. l. *rudunt & dele, quod.* p. 63. v. 19. l. *cementes.* v. 20. l. *vadit* v. 21. l. *illud.* p. 72. v. 19. l. *æſtuaria.* p. 88. v. 2. l. *inſentibus* p. 94. v. 15. l. *Quaſtorium.* p. 104. v. 10. l. *quia.* p. 105. v. 3. l. *Theanum Ibidem* v. 20. l. *Barbariem Ibidem* v. 26. l. *depugnavit* p. 106. v. 22. l. *proinde* v. 28. l. *icerat.* p. 109. v. 10. l. *piæ recordat.* v. 11. l. *ab illo* v. 15. l. *excuſandus.* v. 18. l. *provincialis.* v. 24. l. *Corbulo.* p. 110. v. 8. l. *Quamvis* v. 13. l. *Planius id ded.* p. 111. v. 11. l. *ullam* v. 22. l. *ad eam rem* p. 112. v. 25. l. *motum* p. 113. v. 15. l. *Theſauris* v. 16. l. *ad ponti* v. 17. l. *aulicis* v. 18. l. *erogato* v. 27. l. *læſis.* p. 123. v. 7. l. *invido* p. 131. v. 21. l. *hortantur* v. 22. l. *operam det.* v. 23. l. *ipſe libens* v. 27. l. *ejus ſubditos.* v. 30. l. *Dei* v. 32. l. *uno parta eniteretur* p. 133. v. 2. l. *regnum* v. 11. l. *prædari.* v. 20. l. *à pro: confit:* v. 23. l. *Theodonis villam proceres* v. 29. l. *enituit* l. *revocatis* l. *regnumq;* p. 134. v. 2. l. *Balbus* p. 135. v. 3. l. *per legatos invitatur* v. 3. l. *veniſſet à pontif. am. exceptus* v. 7. l. *negotia* v. 13. l. *novum* v. 14. l. *verſertur* v. 17. l. *ejus rei. per legatos* v. 18. l. *cenſuit.* v. 19. l. *calamitates.* p. 137. v. 4. l. *reſcivit* v. 5. l. *Bulgarum.* p. 138. v. 9. del. *id ſe* v. 23. l. *inſtruatur.* p. 139. v. 6. l. *muneratos* v. 13. l. *exirent.* v. 31. l. *ubi annua dona.* p. 140. v. 16. l. *docere filium* v. 30. l. *ſervandi.* p. 141. v. 1. l. *privatam* v. 6. l. *quis* l. *eum* v. 13. l. *Hildevinum* v. 30. l. *Lenitate.* p. 14[illegible] v. 8. l. *uxorium* v. 10. l. *Quin* v. 23. l. *invenit* v. l. *Prumiam.* p. 144. v. 18. l. *piraticam.* p. 156. v. 16. l. *uxore.* p. 162. v. 30. l. *agrippinenſes.* p. 164. v. 32. l. *ſitum.* p. 170. v. 24. l. *fratrum.* p. 175. v. 11. l. *Chriſto.* p. 185. v. *ultimo* l. *Theodoricum ſolum in hollandia relictum, eos ait, cum hollandis occulte iuſſe conſilia, quemadmodum Theodoricum* p. 192. v. 3. l. *Lotharium* v. 8. l. *Reges* v. 24. del. *& fuga* l. *ab illoque* v. 25. l. *die* v. 27. l. *Epiſcopos,* p. 193. v. 5. l. *quibus.* p. 194. v. 2. l. *communiunt.* p. 195. v. 10. l. *carpunt* v. 18. l. *vinum.* p. 198. v. 5. l. *Inſpice.* p. 235. v. 12. l. *de Octaviano.* p. 248. v. 12. l. *henrico duce* del *rege.*

# ANNALIVM FRISICORVM
## TRIAS TERTIA,

*continens lib. Septimum Octavum & Nonum;*
in quibus res inter Friſios & Hollandos
controverſæ hactenus Hiſtorice determinãtur.

AUCTORE
*BERNARDO FVRMERIO*
*Leowardienſi Friſio.*



LEOVARDIÆ,
*EXCVDEBAT*
ABRAHAMVS RADAEVS,
TYPOGRAPHVS ORDINARIVS.
ANNO 1617.

oblivia non ferant, & ſpondeant quodamtenus æternitatem. Sed dolendum eſt atrox fatum utrobique rebus humanis iniquius reliquos Annalium libros ſua importunitate, quâ profanare omne ſacrum ſolet, intercepiſſe. Cogitaverat enim Senex noſter quemadmodum ratio publici muneris exigebat, perfectam Hiſtoriam, quam à primis gentium migrationibus deduxerat, ad Saxonum tempora, ac odioſam poſteris dominatus tralationem contexere. Id quo minus factum, ſuprema neceſſitas non ſivit, quæ ut fælicitati noſtræ invideret, deſtinatum poſteritati monumẽtum quaſi iniectâ falce mutilavit. Sed hoc fatale fere rebus humanis, tum demum abrumpi, cũ cœperis. Cauta etiam ac noſtrâ opinione ſæpè ſana conſilia ſuâ intentione fruſtrantur præcipuè ſi id unum interveniat quod tragicum maxumè in naturâ, ultimum autem in humanâ fabula eſt, mori. Interim affectibus hominum metienda officia ſunt, quæ ſi adimpleri non queant, apud bo-

*nos facile fatali ratione excuſantur. De malis ac ſeveris cenſoribus, qui omnes ſapere volunt ex cerebro ſuo, nihil dico, niſi hoc unum cenſoriâ ſeveritate in vivos animadverti, mortuos ſuâ fælicitate æſtimari. Sed ea V. Ill. tempora ſunt, ut ij qui Hiſtorias ſcribunt, quaſi accitis in artem calumniandi affectibus, præter morem antiqui ſæculi famam ſuam petere ab alterius vituperio diu inceperint. Ii dico, quibus vel amor, communis, ut volunt, patriæ, vel ætatis ratio, vel debita demortuis religio longe aliud præſcripſiſſent. Sciunt enim, & tunc obſerari humani ingenij armamentarium, & animum rerum, ac literarum parentem iam tranſgreſſum iniurias ſæculi (ſi quid tale humanitus obtigerit) non facilè in curas ſuorum errorum deſcendere. Quemque ſui redarguunt, &, ſi dicendum eſt, illi plerumque ſapientiæ appendices fuere. Quare ſi idipſum ſenex noſter aſſecutus non ſit, quod multi hic politiore ſæculo volebant, & multorum ſuperba iu-*

*dicia poſtulabant, & corporis iam vergentis in ſenium continua ægritudo, & animi divinior ſollicitudo obſtitère. Quibus impreſſionibus, quẽadmodum filij Deorum ſolent, dum vacabat, poſtpoſitis rebus humanis tanquam crepundijs, inſtar emancipati in curas ſæculi non ibat, quaſi obliteratâ ſanctioribus cogitationibus priorum vulnerum memoriâ. Redacto enim ad tranquillitatem animo, quæ prima ſenum fælicitas eſt, ſufficiebat ſibi ad illius calumniæ remedium, quæ apud æmulos invaluerat noſtras Hiſtorias fabuloſa ſpeciè plauſibiles eſſe. Id argumentum, quantum bonis dolorem incuſſerit, ſuis autẽ autoribus invidiam pepererit, is facilè iudicabit, qui intelligit è privatis opinionibus, ac contentionibus, publica gentium odià capiſſe. Erat enim hoc ipſum turbandis omnino provincijs, niſi veſtrâ interceſſione ( quibus ea cura ſemper fuit ne quid reſpublica caperet detrimenti) temperati utrinque animi fuiſſènt. Tamen non valuit*

*publica*

*publica autoritas apud eos homines, qui ut contra fas oſtenderent nullam eſſe, nedum à morte iniuriarum præſcriptionem ſpreto interdicto, ac temerato iure manium bacchantur in mortuos. Sed ex Talionis lege agere ſpecies iuſtitiæ eſt. Vos interea V. Illuſt. Poſthumum hunc æquo animo accipite, ac nos pergite amare. Non. Mart.* CIↃ. IↃ. CXVII.

Pierius VVinſemius.
P. Hiſt.

## Ad lectorem.

Prodeunt in lucem libri tres Poſthumi, reliqui, quos ſenex noſter cogitaverat, mortè intercepti ſunt. Eâ præventus ad Fred. Barbaroſſæ, & ſequentium Henricorum Impp. tempora ſubſtitit, daturus quoq; ſi per fatum licuiſſet, Poteſtatũ pleniorem Hiſtoriam. Icones autem, & quicquid ſub ijs geſtum eſt breviter exhibet in Tabulis Cl. Vir Mart. Hamconius in Hiſtoriâ patriâ verſatiſsimus. Tu Vale mi lector.

*Errata quædam ita corrige.*

Pag, 37, redgit l, *reddit* P, 72, Flamberto l, *Lamberto* ibid. adornuntur. l, *adoriuntur* P, 136, ſeditione l, *ſeditiones*. P, 145, Manſolæa l, *Mauſolæa.*

Reliqua mi Lector per incuriam, & ætatem defuncti facilè excuſabis.

# Annalium Friſicorum
## *LIBER SEPTIMVS.*

FRisii libertatem à Carolo Craſſo Imperatore conſecuti poſt ejus mortem eam ſummis viribus tutabātur contra adverſarios ſuos: ad Imperij tamen Germanici majeſtatem perpetuo reſpiciebant. Quamvis enim tributū illis erat remiſſum: & jus eligendi magiſtratum à Cæſare datum, beneficium tamen illud ita interpretabantur ut ſibi fas non eſſe, arbitrarentur ab Imperio deſciſcere aut in illius incommodum aliquid cōmoliri. Quāobrem cum novo exemplo Arnulphus Carolomanni Bavariæ regis filius, Craſſo Imperatori à proceribus Germanię ſurrogatus eſſet, Friſij quoque ipſi obediverunt, ipſiuſque militiæ nomina dederunt ut ex Reginone Prumienſi Abbate in annalibus eſt relatum: Quo autem ijdem facilius libertatis ſuæ privilegium exercerent ac propagarent, regnorum turbæ fecerunt: quæ ab una compage ſoluta novos ſibi reges atque dominos pepererunt. Gallia, Germania atque Italia hactenus Craſſo ſoli parebāt: Illo mortuo & Gallia & Garmania & Italia ſingulos accepere principes, qui rerum potirentur. Quin & in ſingulis provincijs, quæ benificio hactenus clientelari à præfectis poſſidebantur, id quod precarium erat, in perpetuum jus con-

*Friſij ſua libertate utuntur.*

*Ditionum Imperij Romani diſtractio.*

verſum & hæreditarium eſt factum. In Gallia Ludovici Balbi hæredes illegitimi ſine liberis mortui Carolo Simplici verò & legitimo hæredi fratri ſuo regnum aperuerant; verum is ob ætatem regno inutilis ſub tutela Ottonis Comitis Pariſienſis adhuc continebatur ex mandato patris Ludovici: cum autem Arnulphus Rex Germaniæ eſſet declaratus, & eadem ratione regnum Galliæ poſſet occupare: venit ad ipſum hic Otto Roberti filius Widekindi ex Germania profugi nepos: & indicato rerum in Francia ſtatu qui ob graſſaturas Normãnorum valde turbatus erat, ab illo impetrat ut ſecundũ Ludovici regis, paternam voluntatẽ Caroli Simplicis ætatem atq; regnũ tutorio nomine regat provideatque, ne quid reſpublica Gallicana detrimenti capiat. Hoc cum reſpõſo is dimiſſus cũ & prudẽtia & rebus fortiter geſtis, omnibus Galliæ proce-
888. ribus eſſet notus atq; adeo ipſa ſtatura corporis ipſi lenocinaretur, ſine difficultate ab illis eſt cõſecutus, quo majore cum authoritate rebus præeſſet, ut aº 888. pridie Idus Ianuarij Compendij in palatio Rex Francorum ab Wilhelmo Senonenſium Archiepiſcopo, & renunciaretur & coronaretur, prout erat moris. Erat autem tum Rex Aretalenſis, & Burgundiæ inferioris, Ludovicus Boſonis filius Ludovici Imperatoris & Italiæ Regis ex filia nepos. Erant & alij in Gallia Dynaſtæ, quibus ſua res curæ erat, quique novas res quotidie moliebantur. Inter illos Rudolphus Conradi filius Hugonis Abbatis nepos, Burgundiam inter Iuram montem & alpes ſitam felici auſu occupaverat, ejuſque ſe regem eligi curaverat. Richardus Comes Auguſtidunenſis Beſonis frater ducem ſe profitebatur Burgundiæ ſuperioris. In Germania ſolus pro Rege colebatur Arnulphus: nec tamen æmulis carebat. In Italia duo de principatu & Imperatoris titulo certabant, alioqui per ſe nihil aliud, quam Imperij clientes, Quorum alter Berengarus Everardi filius ex duce foro Iuliano à Longobardis

*Otto Rex Galliæ tutor Caroli Simplicis.*

bardis proceribus contra Arnulphũ Menſe Ianuario hujus anni dictus eſt rex Italiæ: Alter Wido Lamberti filius Dux Spoletanus regno Franciæ, quod ſibi ex pacto deſtinaverat fruſtratus, contra Berengarum inſurgit & eo fugato, Papiæ ab Italicis principibus Rex item Italiæ appellatur: totamq; Italiam mirum in modũ ſuis armis conturbat. Romę tum in Cathedra D Petri ſedebat, Stephanus quintus Pontif. Maxim. factionis Ciſalpinæ, quæ Comites Tuſculanos ſequebatur. Anno aũt 889. Rex Arnulphus Forchemi cõcilium habet & reconciliatis ſibi atq; ſuis liberis, Francorum animis inde Francofortũ proficiſcitur: ibi modicum commoratus in Bavariam trãſit: Francoforti aũt Gerolpho comiti donationẽ facit, quæ Comitatus Hollandici videtur eſſe principium & fundamentum: donatio aũt illa legitur hoc modo, *In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis: Arnulphus Rex, Divina favente gratia: Notũ volumus omnibus Sanctæ Dei Eccleſiæ, fidelibúſq; noſtris, præſentibus ſcilicet & futuris, qualiter quidam fidelis & venerabilis Comes noſter nomine Gerolphus manſuetudinem noſtram deprecatus eſt, ut ei quaſdam res Iuris noſtri in proprium concederemus: cujus petitioni libenter annuentes ita fieri decrevimus. Dedimus namque ei inter Rhenum & Suydhardeſhaga in Comitatu ipſius in locis Northa & Oſprehtahem nominatis, ſylvam unam & terram arrabilem unam, et in loco qui dicitur Bodekenlo hobam unam, et in Alburch quoq; hobas duas & in Hornum hobam unam, & in loco Huy vocato manſam unam, & in loco Theole manſam unam, & in Aske manſam unam, & quicquid ad eaſdem hobas & manſas jure, legitimæque pertinere videtur, cum curtilibus & ædificijs, mãcipijs, campis, agris, paſcuis, pratis, ſylvis, aquis aquarúmque decurſibus, molinis, piſcationibus, vijs & invijs, acceſſibus & regreſſibus, quæſitis & inquiſitis, cultis & incultis, & cum univerſis appendentijs & adjacentijs finibus ad præfatas hobas juſte aſpicientibus: & juſſimus inde ei hoc noſtræ authoritatis fieri præceptum, per quod volumus firmiterque*

*Factio Ciſalpina ſive Tuſculanorum.*

*Donatio Regis Arnulphi in Gerolphũ Comitẽ Phrẽſiorum collata.*

*jubemus, ut ante titulatus fidelis noſter de his omnibus ab hodierna die & deinceps omni tempora liberam ſecurámque habeat poteſtatem, tenendi, donandi, vendendi, commutandi, vel quicquid exinde voluerit faciendi, abſque ullius impedimento. Et ut hæc conceſſionis noſtræ auctoritas firmiter habeatur & per futura tempora à fidelibus noſtris verius credatur ac diligentius obſervetur, manu noſtra ſubter eam firmavimus, annuloque noſtro ſigillari juſſimus, ſignum Domini Arnulphi*
889. *invictiſsimi Regis. Aſpertus Cancellarius ad vicem Otmari Arciepiſcopi recognovi & ſcripſi. Data pridie Nonas Auguſti, Incarnatione Domini DCCC.LXXXVIIII. indictione ſeptima Anno ſecundo regni Arnulphi Prudentiſsimi Regis. Actum Franconofurth in Dei Nomine feliciter amen.* In hoc Inſtrumento quæritur primum quis fuerit ille Gerolphus, cui hæc dona contulerit Rex Arnulphus, deinde quos ille habuerit liberos & ubi locorum domicilium ſuum. Ianus Douſa Nordtwici Dominus libro Annalium Hollandicorum quinto, affirmat hunc Gerolphum fuiſſe Theodorici Comitis, cui Vaſda donata fuit, filium, Theodorici primi Hollandiæ Comitis patrem, idque eo fine ut quam latiſsimos ſuis Comitibus fines aſtruat iiſdemque Friſios compræhenſos nobis & popularibus ſuis perſuadeat. Verum cum nos ſupra oſtẽderimus donationem Vaſdæ non eſſe Ludovico Germanico, ſed Lothario Francorum Regi Ludovici Tranſmarini filio adſcribendam, ut poſtea clariùs quoque demonſtrabimus, verum eſt Ianum Douſam in ipſo limine impingere & erroris viam ingredi. Eſt quidem vero conſentaneum Gerolphum eſſe Theodorici primi Comitis Hollandici patrem, & Theodorici ſecundi avum, cui Waſda fuit donata: ſed à veritate multum diſtat eundem quoque Theodoricum Gerolphi Patrem fuiſſe. Sed tamen quis ejus pater? ſi Theodoricus ille pater non eſt? Si verum habitationis locum haberemus, fortaſse ex eo de Patre conjecturam inire queamus, Noſtrates

*Quis Comes Gerolphus.*

*Non eſt Theodorici cui VVaſda donata Filius.*

tes putant ipſum fuiſſe Gundeboldi Regis, qui in Roncevalle periit, filium: ſed à temporis diuturnitate refelluntur: Regino Abbas Prumienſis ipſum vocat Comitem Friſiorum, & Gardolphum ipſi dat ſocium, dat inſuper ei Valgerum filium qui in Aveſato habitaverit fueritque Thiolæ & Amæidæ Comes, habuerit autem fratrem Theodoricum qui à Carolo Simplice donatus Egmundana Eccleſia cum multis ad eam pertinentibus fundis: uterq; autem cis & nō ultra Rhenum domicilium tenuerit. Si in Hiſtoria conjectura locum habet, puto illos ex teſtimonio Wilhelmi Hædæ, quem hoc anno edidimus, Teiſterbantiæ Comites fuiſſe & à Cliviæ domo oriundos. Quod autem Friſiæ Comes appelletur Gerolphus de eo rationem infra reddemus, quæ Lectori, ut puto, abundè ſatisfaciet, interim hoc eſt certum vixiſſe anno 814. Balduinum Cliviæ & Theiſterbantiæ Comitem ordine ſeptimum, qui & ſepulturæ Caroli Magni tum temporis interfuit & à Ludovico Pio Caroli filio Trentiam ditionem (uti perhibent) dono accepit, & in oppido Oldenzela à ſe condito Collegium Canonicorum inſtituit. Is Balduinus ex uxore ſua Hildegarda Ludovici Comitis Genuencis filia, Ludovicum, Everhardum & Robertum filios, reliquit ſuperſtites, quorum Ludovicus ſine filiis poſtea mortuus Roberto Theiſterbantiam & Everhardo Cliviam ſuo deceſſu vacuam fecit: ambo autem hi Comites Epiſcopi Vltrajectini, ut & majores ipſorum, erant clientes & beneficij jure ſuas ditiones obtinebant. Continebant autem Theiſterbantiæ Comitatus id temporis inſulam Bommeliam, ditionem Heuſdenenſem, Arculeam Altenacenſem, Vianenſem, Culenburgenſem, Buvanam & quod à Lecca Linguaque Fluviis ad veteris uſque Moſæ alveum pertinebat. Ex hoc autem Roberto Theiſterbantiæ, Comitæ & Cunigunda Filia Comitis Hoijenſis uxore ejus nati ſunt Ludovicus Theiſterbantiæ Princeps, Ro-

bertus primus Heuſdenæ Regulus & Theodoricus Comes Altenacenſis. Ludovici Genus in Aufrido trinepote & Epiſcopo Vltrajectino finem accepit anno poſt Chriſtum natum octavo atque milleſimo. Robertus vero Balduinum filium reliquit qui Admondi Regis Angliæ filiam abduxit patre inſcio in uxorem & Puderoiam Brakelam, Alſtam vicos condidiſſe ab Hiſtoricis commemoratur. De Theodorico nihil aliud ſcribunt Autores, quam ipſum circa annum Chriſti octingenteſimum ſexageſimum fuiſſe Altenaci Dynaſtam. Hunc ego arbitror eſſe noſtrum Theodoricum Gerolphi patrem de quo nũc agimus, quo autem hoc firmius credam, movet me illa ratio, quod majores horum Principum jam inde ab initio apud Francorum Duces atque Reges in precio ſemper fuerint, auctoritatemque ſuis poſteris magnam in vicino populo reliquerint. Lego enim Eliam Cralium (quam alii Ælium Gracilem vocant) equitem valde excellentem, obſcuræ quamvis originis, uxorem duxiſſe Beatricem Theodorici ultimi ex Vrſinis Cliviæ dynaſtæ Filiam: Eundem Carolo Martello jucundum & valde acceptum fuiſſe, ob operam in bellis adverſus Friſios, Saxones atq; Bawarios fortiter ab eo navatam: A Theodorico autem Francorum Rege (ut ego quidem exiſtimo) creatum & cõfirmatum primum Cliviæ Comitem, ex quo porro deſcenderint Theoricus Comes Cliviæ ſecundus, Godefridus Comes Loijenſis, & primus Haſiæ Comes Conradus tres inter ſe Fratres germani. Theodoricus autem Clivius à matris ſuæ agnato ſine liberis defuncto accepiſſe fertur Theiſterbantiam atque ob pietatem cæteraſque virtutes quibus emicuit, eandem ab Epiſcopo Vltrajectino jure fiduciæ obtinuiſſe, quam ejus poſteri deinceps eodem genere beneficii à ſede Vltrajectina continenter poſſederunt, donec eam Robertus Ludovici Comitis Clivenſis octavi frater inter ſuos liberos diſtribueret, & Theodoricus

*Theodoricus Altenacenſis Comes Gerolphi pater.*

odoricus Gerolphi pater ex ea Althenacum, obtineret, & Robertus Heuſdenam. Scitum autem eſt & vulgo notum, quod ejuſdem videntur origines, qui titulos & bona inter ſe communicant, ut & illud non ignotum, ex una ſæpe ſtirpe complures aliquando naſci familias quæ ab hærediis à ſtirpe ſeparatis novam progeniem novoſq; titulos mutuatæ, Dei benignitate ad altiora interdum ſe erigant atque adeo majores ſuos dignitate ſuperent: quod & in Martelli & Gralij poſteris eveniſſe manifeſte cernitur: ita, non eſt mirum ſi Theodoricus Althenacenſis nepotes reliquerit, qui non ſolùm omnes regiones Theiſterbantiæ antiquæ recuperaverunt, verum etiam Hollandos Caninefates & Friſios ulteriores ſibi ſubjicere ſint conati, & abjecto veteri Friſiorum nomine novum Hollandiæ titulum adoptaverint. Equidem miror non parum, Iani Douſæ, Hiſtorici apud Hollandos nobiliſſimi hoc loco inconſtantiam, qui libro quinto Annalium ſuorum Taxandros ex Aimonio à Theiſterbantiis diſtinxerit & libro octavo eoſdem confundat, negans Theiſterbantes à Taxandris nomine differre, cum tamen & apud Aimonium ut dixi & in ſcedis à Pithæo editis aperte diſtinguantur. Sane ſuis Aretalogis Douſa imputare non poteſt eam diſtinctionem veluti recentem & ab illis inconſiderate confictam, quum inde à Caroli Magni & eius nepotum temporibus apud auctores rerum geſtarum fuerit uſurpata, quod quidem ipſum latere non potuit. Alia eſt enim Taxandriæ etymologia nominis, alia Theiſterbantiæ, ut locorum, quos compræhendunt ſitus & ingenia declarant. Taxandria, ut Ioanni Goropio Becano placet à ſterilibus ſabuletis nomen eſt ſortita: Theiſterbantia vero à quercubus, ut quidem mihi videtur. Deinde Taxandria in Brabantia eſt: Theiſterbantia vero in antiqua Batavorum inſula ſive Friſia ſuperiore. Extant apud Gerardum Mercatorem

*Theiſterbantes a Taxandris differunt*

catorem

catorem Geographorum, qui noſtro ævo vixerunt, coryphæum in Zelandiæ tabula ac Dordrechti æſtuario quidam annotatus vicus nomine Heiſterbach nunc fluctibus oppreſſus. Hic an ob viciniam Teiſterbantiæ nomen dederit, cum & ultra illum comitatus Theiſterbantiæ ſe extenderit, lectori inquirendum ac dijudicandum relinquo. Equidem hoc videor mihi obſervaſſe in his locis & circiter jam olim fuiſſe ſylvam non incelebrem de qua nomen ſortiri potuerit. Verum enim eſt nomen Heiſter lingua vernacula illius populi ſignificare quercum & vocem, bant, denotare campum, quibus in unum compoſitis, ſi addas præpoſitionem The, efficies, vocum Syntheſi Theiſterbant, quaſi dicas ad querquetulanum campum Deinde & Oppidum Worcum in jiſdem finibus poſitum ſimile quid nominis ſui notatione indicare videtur: dictum enim Veteribus fuit Woudrichem, id eſt, ſi latine tranſferas, fundus ſylveſtris, ſeu ſylvæ dives. Heiſterbach autem cujuſdam dynaſtæ ſedes prius fuit, quam verteretur in monaſterium, cui, ſancti Petri vallis nomen deinde eſt indiium. Eſt autem ex Hiſtoria notum totum illud æſtuarium, in quo Heiſterbachium demerſum adhuc hodieq; latet, quondam fuiſſe locum vaſtum ſylvis obſitum in quo plærique venatores & piſcatores habitarent, expoſitum multorum rapinis ac deprædationibus. Videntur autem Theiſterbantes fuiſſe Friſij quandoquidem in ſcuto Leonem habuerint ſcandentem cum libis ſex, ad inſtar Phriſicorum ceſpitum. Alij certe fuerunt à Taxandris, quamvis & illi Leonem clypeo expreſſerunt, verum hæc queſtio parum facit ad hiſtoriam noſtratẽ In Theiſterbãtibus tamen Comes Gerolphus habitavit: Quemadmodum ex rebus ipſi donatis apparet. Douſa in diplomate Gerolphi nihil præter Suydherdeshagen habet controverſum: De illo multum diſputat in diplomate primi comitis Theodorici, cætera tanquam ad ſe non pertinentia

*De Suyderdeshaga. quid & ubi ſit.*

ſtudioſe

ſtudioſe tranſvolat. Repræhendit autem ante omnia Rheinerum Snoyum medicum Goudamum, qui Suydherdeshagen dixerit torrentem Hillegomenſem. Ejus (inquit) conjecturæ vanitatem arguit facilè ipſe cum locorum ſitus, tum ſignificationis diverſitas, quæ enim ratio eſſet procul Egmunda poſitum locum velut limitem conſtituere Egmundanæ diecœſis territorio? cum non citra eam verum ultra potius jus ditioque Comitatenſis à Rege donatore circumſcribi debuerit? ne quid autem hic nos per calumniam turbare vidamur, ſciendum eſt Douſam interpretari Suydherdeshagam prout in diplomate Theodorici Comitis eſt a Carolo Simplice poſita, ideoque dicere illam eſſe non poſſe Hillegomenſem torrentem quia ille torrens cis Egmundam ſitus Comitatum Hollãdiæ diffinere nequeat qui inter Suydherdeshagam fortrapam, & Kinhemum continetur at nos in Gerolphi diplomate verſamur, cui donantur ab rege Arnolpho quædam prædia inter Suydherdeshagam & Rhenum ſita. Quod autem Douſa putat unius loci non poſſe eſſe diverſa nomina, & ubi diverſa nomina, ibidem etiam diverſa eſſe ſtatuenda loca. Ideoque Hillegomenſem torrentem, cum nomine à Suydershaga differat, eundem locum cum Suydershaga obtinere non poſſe: Hoc quidem argumentum prima fronte videtur non eſſe improbum, quamvis non ſit neceſſarium. Plurima enim loca reperiuntur quæ variis & diverſis nominibus appellantur & tamen re ipſa ſunt eadem, ut ex Synonymis Geographicis apud Abrahamum Ortelium liquido perſpicitur.

Quamobrem & more non inſolito Suydherdeshaga & Hillegomenſis torrens eundem locum denotare poterant ſi non obſtaret alterum argumentum quo dicuntur termini Comitatus Hollandici non citra ſed ultra Egmondam propter regiam liberalitatem extendi debere. Nam cum torrens Hillegomenſis citra Egmondã ad occi-

dentē exiſtat & Suydherdeshaga ſit Comitatenſis territorii quidam finis, conſeqens eſt torrentem illum non eſſe Suydherdeshagam: Quod erat ad probandum propoſitum. At in Carolino diplomate de Comitatus finibus nulla fit mentio. Imo nomen ejus illo tempore nondum erat auditum Hoc enim tantummodo ibi dicitur Diederico donari Egmondam cum omnibus quæ inter fortrapam Suydershagam & Kinhemium illa poſſidebat, ut verba diplomatis regii demonſtrant: Nec ſane Egmondenſis Ecclefiæ termini iidem, qui Comitatus eſſe tum temporis potuerunt, quum illa nondum poſſideret eos agros, quos poſtea Hollandiæ Comites in ipſum contulerunt, quumque primum virgines moniales tantum aleret. Etto vero, non ſit Hillegomenſis torrens iſte locus quem Suydherdeshagam vocat Carolus Simplex &ab illo Snoy errore, Douſę beneficio liberati ſumus. At ubi eſt Suydershaga ? reſpondet Douſa. Quo magis adducor ut credam [ præterquam quod utriusque vocabuli eadem prope eſt ſignificatio] Suyderwoudēſem plagam denotari, quæ hodie Monachodamo confinis eſt & Marcæ inſulæ è regione oppoſita & quidē eo probabiliùs quod Marcæ appellatione nihil aliud quam limitem intelligi voluerunt majores noſtri & quidem ſignificantiſſime. Triumphata Regneri Snoy vanitate argumentis, ut vidimus, tam evidentibus ut illis acquieſcere fere cogamur ſubjicit hoc loco Douſa ſuam ſed à conjectura deprompam opinionem, nobisque conatur perſuadere Suydherdeshagam eſſe Suydwoudam in confinio Marcæ Inſulæ ſitum pagum: cum quia utriuſque loci & vocabuli idem quidem non ſonus, ſed ſenſus prope ſit atque ſignificatio eadem tum quia Marca terminum vulgo denotet: quod quam ſit conſequens ij facile intelligent qui plures Suydwoudas in Hollandia eſſe noverint & quidem unam non longe ab Egmonda diſſitam, ad lacum ſcilicet (**De Waert**)

*Suydherdes haga non eſt Hillegomenſis torrens.*

*Sed eſt ex Douſæ ſententia Suyd.*

vulgo

vulgo appellatum, quam potius pro Suydershaga capere debebat, quandoquidem & prope Egmondam & ultra eam apparet,ut ſuperioribus argumentis loci ſitus reſponderet: neque enim hic de Comitatus Hollandici terminus, ſed de locis ad Egmondam pertinentibus diſputatur, qui inter fortrapam Suydershagam & Kinhemium jacere debent, ut ex verbis Carolinæ donationis nnicuique plus quàm manifeſtum eſt: addit porro Douſa ſuæ conjecturæ firmamentum, cùm ait: facit item ad hancce conjecturam, quod in Arnulphi diplomate, quo à Rege illo Gerolphus Comes jam antea fuerat honeſtatus, Suydherdeshagæ quoque mentio occurrat, tanquam qui limes eſſet Friſiæ noſtræ occidentalis: at quæ eſt hæc argumentatio? Arnolphus facit mentionem Suydherdeshagæ ergo Suydherdeshaga eſt Suydwolda. Etſi enim eſt verum Suydherdeshagæ in hoc Gerolphi diplomate mentionem fieri, imo etiam ejus Comitatum ſine præfecturam eadem ab una parte terminari. tamen eandem occidentalis Friſiæ limitẽ deſignari tam eſt verum, quàm quod falſiſſimũ. Quod ut eſſe verũ oſtendamus ipſius diplomatis verba hic paulisper repetamus ſingulorumq; ſitus locorum ibidem commemoratorum exploremus, quo tandem omnibus innoteſcat ubinam Suyderdeshaga inquiri & inveniri debeat ac poſſit. *Ait igitur Rex Arnulphus: Dedimus namque ei [Gerolpho] inter Rhenum et Suydherdeſhagam in Comitatu ipſius in locis Ortha & Oſprethahem nominatis ſylvam unam & terram arrabilem unam, & ,in loco Bodekenlo, Hobam unam: in Aelburch quoque Hobas duas & in Hornum Hobam unam, & in loco Hwi vocato manſam & in loco Theole manſam unam.* In his Regis Arnulphi verbis hoc primum ſummè notandum venit, iſtos omnes vicos qui hic recenſentur inter Suydershagam & Rhenum veluti limites præfecturæ Gerolphianæ collocari & ea re inepte fieri ſi extra eoſdem terminos aut ultra eorum ſitum

in Friſia occidentali Suydershagam inquiramus, deinde & hoc ex iiſdem liquere, ſi Rhenus ſtatuatur ad Septentrionem horum vicorum, uti ratio atque uſus poſtulat, neceſſario quoque Suydershagam ad meridiem eſſe ponendam quemadmodum & notatio vocabuli indicat & locorum inter eam & Rhenum poſitus hic deſcriptus nobis quaſi digito videtur demonſtrare: jam vero ſi unius ex his qui hic locantur vici, certam poſituram & indubitatam invenerimus rem factam habebimus & ſine difficultate etiam cæteros utpote vicinos inveniemus. Certus autem eſt Aelburgi locus: quia & is apud D. Marcellinum commemoratur in vita S. Suytberti capite undecimo inter Theiſterbantiæ locos & apud ejus ſcoliaſte manifeſta ponitur inter Worcum & Heuſdam: ubi hodieq; adhuc ſuperat. Scoliaſtes autem nomine Ioannes Noordwick Canonicus quondam Vltrajectinus ad S. Mariam ponit ibidem Horna apud S. Marcellinum in ditione Gorichomenſis, qui vicus hic diplomate Regis Arnulphi videtur Hornum appellari. Deinde à Woudrichemo ad Moſam deinceps verſus Sylvāducis conſequuntur, Wijck, Aelſt & Bochoven, quæ loca quid aliud ſunt, quàm Huy Aske & Bodekenlo, ut conſonantia vocum & Aelburgi vicinia indicant? Vt autem tandem ad Suydershagam perveniamus, accendam nobis ex propinquo facem, quæ ad illud iter lumen præferat. Deſcende mecum Woudrichemo Durdrechtum, inde rurſum aſcende per Moſam antiquum: ibi ad dexteram in Durdrechti æſtuario invenies pagum Heiſterbach nunc aquis abſorptum & non longo inde intervallo vicum Harderweert, ſimiliter ab oceano coopertum fluctibus. Hinc perge Heuſdenam, inde Sylvāducis ibi ad caurum urbis habes Ortham, quam in diplomate Northam dici exiſtimo. Inde progredere oriētem verſus & occurret ibi Oſſa vicus non incelebris qui nobis hic Oſpretahem indigitatur. Iam quid aliud eſt

Sherto-

Shertogenboſch quam exSuydershaga paulatim uſu vulgi contractum vocabulum & ſynonymo commutatum ? Sic quæ Sgravenhaga nunc dicitur olim Sgravenholt appellabatur ut apud Wilhelmum Hædam in rebus Vltrajectinis eſt videre. Theolam vero arbitror eſſe Tielam, quę illo tempore in ruinis jacebat vel Thuilam vicum prope Bommeliam. Et Askam (ſi Aelſta ſuperius nominata tibi diſplicet) pone Aſtam in medio itinere inter Thiolam & Bommeliam hodie extantem vicum. En habes omnes Gerolphiani Comitatus vicos inter Sylvam Ducis & Rhenum interque meridiem & Septentrionem deſignatos, ut exigit diploma. Quamobrem & eandem Sylvam Ducis Suyderdeshagã eſſe omnino mihi habeo perſuaſum: nec ab ea ſententia prius abibo, quàm melioribus argumentis à locorum peritioribus ab ea fuerim deductus, quibus hoc meum qualecunque judicium volens lubenſque ſubjicio. Interim Douſæ conjecturam de Suyderwoudenſi plaga valere jubens, vide ſis è regione Herderweerdæ, ad meridiem urbem Bredam & ad occidentem ejus Hagam vicum & Marcam Fluvium, ſiquidem putas Marcæ nomen ad determinationem Suydershagæ quicquam pertinere. In iis enim locis eam venari oportet, ſi res cum nomine debeat conſentire. Ea quippe ratione habebimus duas Hagas, quarum altera Haga Comitis reſpectu Harderweerdæ, imo ipſius Comitatus erat borealis, altera ad Marcam Flumen meridionalis, uti Suydershagæ vocabulum videtur requirere. Ex utroque conſtat Gerolphi Comitis domicilium non in ulteriore Friſia trans-rhenum; ſed citra eum fuiſſe: Ideoque cogitandum quamobrem idem Gerolphus appellatur ab Hiſtoria Comes Friſiorum, qui tanto intervallo, ab illis qui nunc dicuntur Friſii tum temporis fuerit ſejunctus. Dictum aũt jam antea eſt Friſiam univerſam in cis-rhenanam & tranſrhenenſem jam olim fuiſſe diviſam. Vniverſum cum ſub

*Suydershaga eſt Boſcum Ducis.*

*Gerolphus cur Comes Friſiorum.*

regibus eſſet Eydoro & Sinfala fluminibus circumſcriptam, quum albis eam à Saxonibus, Sinfala vero à Flandris dirimeret. In ciſrhenana Friſia quidam ſuperiores, quidam etiam inferiores dicuntur: ea à porta Neomagi incipiens in Sinfala ſive Schaldi jam olim deſinebat. Totam Friſii, Hollandi atque Zelandi complebant: Quemadmodum & illud ex Meyero Flandriæ Hiſtorico, Wilhelmo Hæda Alphinio & ex ipſo Iano Douſa manifeſto probari poteſt. Meyerus enim ad annum Chriſti 691. in Annalibus Flandriæ ſcriptum reliquit hoc modo: *Per, idem tempus viri ſanctiſſimi VVlframus Pontifex Senonum et Villebrordus Saxo genere Friſiis, Batavis, Flandriſque prædicaverunt. Nam Villebrordus miſſus ex Britannia ad convertendos Friſios factus eſt Epiſcopus Vltrajectenſium, cui ſedi etiam nunc ex Flandris parent Bierfletani, Hulſtani, Axellani, Haſnenſeſque per Villebrordum olim ſanctæ inaugurati religioni. Vix puto tunc interceſſiſſe mare inter Flandros & Friſios inferiores, qui nunc Hollandi & Zelandi.* Idem vero deinde ad annum Chriſti 1011 ſic inquit: *XI. Kal Maij Brugis ad memoriam Divi Donatiani mulier cæca Ermingardis nomine Oſtenda oppido Friſiæ viſum recepit. Eſt autem in pago Friſiæ monti Rorickersberch vocabulo pene contigua.* Hactenus Meyerus. Vides hic Zelandos ac Hollandos ab hiſtorico Friſios inferiores appellari & Oſtendam oppidum ab eodem in Friſia collocari in cujus finibus ſuos à bona in ſuo Comitatu poſſediſſe Gerolphus affirmatur. Extat hodie Neomagi in porta Heſelana ad occaſum ſolis majuſculis literis marmori inſculptum Epigramma, his verbis: *Huc uſque Ius Stauriæ*, ubi ad altera parte ad ortum ſcribitur: *Hic pes Imperij Rom.* Stauriam vero jam olim fuiſſe Friſiorum Metropolim lippis (ut dicitur) & tonſoribus notum eſt. Iam ſedis Vltrajectinæ antiſtes Willebrordus dictus eſt à Sergio Pontifice Romano Archiepiſcopus Friſiorum. In diplomate quodam apud Hædam dicitur

citur Adrichen in Friſiis in pago Kinheim. A Schaffnaburgenſi Hiſtorico Rhinesburgum & Flaerdingen munitiſſimæ urbes ad annum 1047. ponuntur in Friſia. Idem ad annum Chriſti 1071. dicit Robertum Flandriæ Comitem feciſſe irruptionem in Friſiam, quæ confinis eſt Flandriæ. S. Einhartus Caroli Magni Notarius Lib.4. cap.17. de tranſlatione SS. Marcellini & Petri ad annum 828. villam Schaltheim juxta oſtium Schaldis fluvii in maritima Friſiorum regione collocat. Cùm igitur Gerolphus inter Neomagum & Sintfalam in Theiſterbantia circa Thielam, Bommeliam atque Heuſdenam habitaverit ut ex diplomate Regis Arnulphi & vicis in eo nominatis perſpicue apparet & ſic in Friſia & apud Friſios, non eſt profecto mirum ſi idem Gerolphus Friſiorum appellatur Comes aut præfectus. Summa diſputationis huc redit ut Gerolphus dicatur Filius Theodorici Altenacenſis, Roberti Theiſterbantiæ Comitis nepos & Balduini Cliviæ & Theiſterbantiæ Comitis pronepos, & ſic à domo Clivica oriundus, quemadmodum loca in diplomate Regis Arnulphi commemorata & alioqui hiſtoria Clivenſis indicat, ob id Friſiorum Comes nominatus, quod Theiſterbantia regio communi Friſiæ nomine compræhenſa illis temporibus fuerit & ibidem Gerolphus habitaverit. Adhæc Suyderdeshagam non eſſe alibi quàm in Buſcoducis aut circiter quærendam. Verum enimvero cum ejus nominis plura ſint caſtella ubinam locorum ponamus Altenacum, cujus fuerit Comes Theodoricus Gerolphi pater? Eſt enim Altenacum in Marca Weſtphalica, eſt & in Batavis eſt quoque in Flandria. Duo priora ſunt recentiùs condita quam ut Theodoricum agnoſcere Dominum potuerint. Illud autem quod cis Schaldam à Gerardo Mercatore Geographo prope Antwerpiam in tabula Flandriæ deſtructum aſſeritur, in Chronico Clivenſi ponitur Theodorici ſedes, & veri ſimilitudinem ideo habet, quod Vaſdæ foreſtum,

*Altenacum in confinijs Flandriæ & Brabantiæ.*

Rynsburg
Vlaardingen

foreſtum, quod Theodorico ſecundo à Francorum Rege donatum eſt, in ejus Comitatu eſſe dicatur nec procul ab eo conſtitutum ut aſpectus indicat. Et hæc quidem de Gerolphi diplomate ſatis multa: ad Arnolphum redeamus: cum autem exercitus in obotritos minus feliciter pugnaſſet, rex Arnulphus eum dimittit & Francofurto in Bawariam profectus Natalem Domini Ratisbonæ celebrat. Interea Normanni in Gallia Lutetiam Pariſiorum oppugnabant tentabantque ea capta in Burgũdiam transire. Verum cum à civibus fortiter repellerentur, rem gravem & quaſi inauditam aggreſſi, naves ſuas terreſtri itinere per duo quaſi miliaria ultra Lutetiam in Sequanæ alveum trahunt, iiſque conſcenſis urbem Senonenſem totos ſex menſes obſident, & re infecta vicinis undique ſpoliatis naves inhibent ac recedunt, nec multo poſt Pariſios poſitis caſtris iterum tentant, ſed à civibus ſtrenuè rejecti, Sequanam claſſe aſcendunt, matronam ingreſſi omnia paſſim vaſtant, cædibus & rapinis exhauriunt Tricaſſinam Civitatem incendio perdunt, & uſque in Verdunum atq; Tullum urbes proxima quæque depopulantur. Dum hæc à Normannis in Gallia perpetrantur, novum genus hominum in Germaniam ſe infundit è Schytiæ deſertis oriundum, qui domi novi ſive Megari nominati, à Chriſtianis poſtea Hungari ſunt dicti. Hæc gens pagana & atque barbara, equis, arcubus & ſagittis utebatur adeo crudelis in victos, ut eorum ſanguinem biberet & corda in partes diſſecta vel cruda devoraret, laneis & lineis deſtituta veſtimentis, ſolis ferarum pellibus tegebatur, venatione, aucupio & piſcatione vitam colere aſſueta, in carris corio tectis familiam & utenſilia antiquo Schytarum more ſecum trahens. Quæ à vicinis ſuis ex Roxalania propulſa cum triennium vagata eſſet, hoc anno 889. Avarum & Hunnorum reliquis ſublatis, Daciam & Pannoniam invaſit & eorum ſedes ab eo tempore occupatas adhuc hodieque obtinet.

*Hungari ex Schytia Europam ſe ingerunt.*

obtinet: Vnde deinceps toti Germaniæ, Galliæ ac Italiæ multum eſt illatum detrimenti. Anno ſequenti 890. Rex Arnulphus Zuentebolcho Moraviæ, Principi Bohemiam donat, qui ea acceſſione locupletior factus, animos in dominum Regem tollit, quo antea tàquam familiari erat uſus: Hinc bellũ ab Arnulpho in eum ſuſceptum quod omnia in Moravia quæ extra Vrbes erant vaſta facit. At filius Zuentebolchi datus à patre obſes pacem conciliat. Normanni interea ad obſidionem Lutetiæ jam tertio redeunt ac à civibus fortiter rejecti naves ſuas iterum per terram trahunt eoque modo Vrbem prætergreſſi alveum Sequanæ amnis repetunt: ac Britanniæ ciſmarinæ bellum inferunt. Erat autem tum Britannia in duos Regulos diviſa, quorum quisque ſibi non reipublicæ in commune conſulebat: Itaque Normanni facile vincunt atque omnia deripiunt. At Britanni tandem periculo edocti in unum coacti communibus auſpiciis in Normannos inſurgunt: Widecheilus adoleſcentia fervidus prælium cum iis init primus & mille eorum neci tradit: Alanus Regulorum alter cum Normannis ſubiturus belli aleam, Deo votum facit, ſi illos ejus ope vincat, ſe cum univerſo populo decimas perſoluturum & voti compos, ita Normannos cædit, ut ex quindecim millibus vix quadringenti ad naves redeant. Quocirca Normanni duobus hiſce præliis graviter afflicti cum cernerent ſuam fortunam ibi periclitari ex Britannia ſolvunt, & in Lotharingiam vela convertunt: Eo comperto Rex Arnulphus exercitum ſuum mittit, ut Trajecto occupato Normannos à Moſæ tranſitu prohibeat: verum illi cum jam circa Leodium illum amnem ſuperaſſent, uſque Aquiſgranum prædas in confiniis agunt, ad omnem belli eventum intrepidi. Itaque cum proceres Chriſtiani inter vias conſulerent, quomodo & quo loco hoſtem aggredi poſſent: Normanni ex improviſo occurrunt, viſaque inimicorum ſuorum multi-

*Rex Arnulphus Zuentebolcho Moravo donat Bohemiam.*

*Normanni à Britannis victi in Lotharingiam revertuntur.*

tudine ſe in unum colligunt & disjunctos Chriſtianos facile ſuperant? caſtriſque eorum omni commeatu & varia præda refertis potiti ad ſua caſtra revertuntur. In eo prælio Sunderoldus Archiepiſcopus Moguntinus & Arnulphus Comes cum magna procerum multitudine cadunt. Rex autem Arnulphus illis diebus in Bawaria extrema in Slavos pugnabat. Verum cognita ſuorum ſtrage valde indoluit Francos ſuis hoſtibus obvertiſſe terga, qui hactenus vincere erant ſoliti. Itaque generoſa ira accenſus ipſe in Normannos vadit & circa Moſam metatur caſtra: Normanni autem prædatum egreſſi dum vident Regis copias circa Lovanium ſe communiunt, ridentes noſtrorum conatus, & poſtremæ ad Guliam amnem pugnæ eventum identidem exprobantes. Cum autem caſtra Normannorum ita eſſent collocata, ut ab una parte paludes, ab altera Diliam flumen haberent, & propterea equitibus ad ea aditus non daretur: Rex Arnulphus militum ſuorum animos ad vindictam de Normannis ſumēdam oratione ſeriâ primum inflammat, deinde ut remiſſis equis pedites in hoſtem contendant adhortatur, quo dicto audientes omnes ſtatim uno impetu in Normannos ruunt, gladiiſq; rem gerunt, tantaque potuntur victoria, ut Delia cadaveribus oppletus pagani omnes aut undis merſi aut ferro confecti vix ullum ſuperſtitem ex centum millibus relinquerent, qui cladis nuncius ad claſſem reverteretur, uno tantum ex Chriſtianis deſiderato quemadmodum Fuldēſis Monaſterii annales atteſtantur. Ea ſtrage Normannorum Barbaricus furor non expreſſus ſolum, ſed extinctus fuit: Rex Arnulphus ſigna militaria ſedecim victoriæ teſtes in Bawariam miſit, Deo Optim. Max. gratias egit & feſtum anniverſarum Kal. Septembris, eo nomine inſtituit quod hodieque Lovanienſes obſervant. Periiſſe dicuntur eo conflictu Sigebertus & Godefridus Normannorum Reges teſte Reginone & Chronico Fuldenſi: quamvis

*Normanni apud Lovanium confidens.*

*Vincuntur ab Rege Arnulpho.*

vis alii ſolum Sigebertum ibi cæſum exiſtiment. Non eſt enim veroſimile alium hunc fuiſſe Sigebertum, quàm qui à Craſſo apud Haſloam obſeſſus, muneribus donatus & dimiſſus cum claſſe ſua in Celtuam tunc conceſſit: & hactenus eam partem Galliæ infeſtam habuit. Quocirca & vanum puto, quod Vbbo Emmius in ſuis hiſtoriis retulit, ipſum jam antea in Friſia (cum ultum veniſſet Godefridi ſocii necem) oppetiiſſe: utcunq; ſe res habeat, certum eſt Godefridum in Inſula Batavorum ab Henrico Duce occiſum, & in hoc prælio iterum occumbere non potuiſſe. Locus in quo hæc cædes facta fuit à Reginone vocatur Lovem, quaſi planities monti juncti, ubi etiam ante ſeptem annos Normanni, ſtativa habuerant & ex eo tempore ſe ibidem poſitis tabernaculis confirmaverant. Quamobrem & Iuſtus Lipſius Lovaino ab iis initium & incrementum ducit. Sunt tamen alii qui aliundè Lovanii deducunt originem, quique affirment primos ejus Colonos fuiſſe Friſios à Poro Trajectenſium Comite ultimo eodem deductos, qui Porus circa annum quadrageſimum ſanitatem corporis & animæ à B. Sernatio fuerit cōſecutus. Vnde probabile eſt jam ante hujus prælii diem Lovanii fuiſſe incolas aliquos, qui adhuc deinceps incrementum acceperint. Quod eo videtur eſſe credibilius, quod & arcem eodem tempore ab Arnulpho Rege accepiſſe commemoratur. Sane Lovanium eum in modum temporis decurſa excreviſſe perhibetur, ut inter finitimas civitates habita ſit maxima. A gnaris enim talium rerum dimenſa, Lovanium ſuperare compertum eſt Gandavum quinque perticis, Leodicum octo Lutetiam decem. Coloniam Agrippinam octodecim: Pertica in octodecim aut & viginti pedes extenſa. Iuſta autem ejus magnitudo ex ambulatione cognoſcitur & interiore mœnium ambitum qui ſeſquimilliare Brabanticum circiter continere depræhenditur. Eſt autem hodie totius Brabantiæ me-

Lovanii Natales

tropolis: ubi Duces ejus ſui principatus initia auſpicari ſolent, olim Lanificio, nunc Academia celebris. Dum hæc & talia in Belgio fiunt. Rex Berengarius à Vidone AEmulo ad Trebiam & deinde in agro Brixiano victus Italia cedit: Vido occupata Longobardia Papiæ ſedem regni ſui figit: à Stephano Pontifice Romam vocatus nono Kal. Martii Imperator conſecratur: qui viciſſim Pontifici gratias agit & Eccleſiæ Romanæ àPipino, Carolo Magno & Ludovico Pio data privilegia confirmat. At Stephanus Papa 12. Kal. Iunij 891. è vita migrat. Alberti factio Sergium eligit Comitem Tuſculanum hominem nulla re niſi ſplendore familiæ commendatum: huic opponitur Formoſus Epiſcopus olim Pertuenſis vir& doctrina & morum probate inſignis qui ſedem obtinet. Zuentebaldus ab Arnulpho patre miſſus ut Berengarium reſtituat Papiam obſidet, ſed nihil adverſus Vidonem poteſt. Vido Lambertum filium regni ſocium facit. Saraceni piratæ aliquot Fraxinetum arcem in Alpibus Cottis occupant & multum damni ex ea Lombardiæ inferunt. In ſuperiore pugna ad Guliam torrentem 6. Kal. Iulias àNormannis erat cæſus Sunderholdus Epiſcopus Moguntinus in ejus locum ſuffectus eſt à Rege Hatto hactenus Abbas Augiæ majoris. Normanni apud claſſem reliqui, audita ſuorum ad Lovanium ſtrage, nihil territi Moſa ſuperato, pagum Ripuariorum deprædantur Bonnam uſq; anno 862 & in villam Landolfesdorpam ſe condunt: exercitus Chriſtianorum in eos vadit, verum nihil efficit virtute & famæ dignum, Normanni cum præda in ſylvis vagati, tandem relicto ad tergum Chriſtianorum exercitu, Prumiam Monaſterium occupant ibi Abbate cum Monachis fuga delapſo, familiam reliquam partim occidunt partim in captivitatem abducunt. Inde caſtrum quoddam in Arduenna invadunt atque capiunt, perfugas trucidant & onuſti ſpoliis ad claſſem revertuntur. In hiſce Normannorum

in Galliam expeditionibus. Otto Rex Francorum egregiam navaſſe operam pro ſalute populi prædicatur. Is autem hoc anno in Aquitania agebat, ut quoſdam factioſos compeſceret qui invidia moti, ipſi negotium faceſcebant. Inter illos menſe Iulio Valtarius Adolelini filius, qui Regis Avunculus erat, Lugdunum occupaverat & hoſtili animo in cognatum Regem ſubinde graſſabatur, unde à Rege Lugduni obſidetur & à civibus deditur, à proceribus gladio adjudicatur, quod in conventu publico in Regem & dominum ſuum ſtrinxiſſet gladiũ. Eodem tempore & Megingandus Comes, nepos Ottonis Regis ab Alberico Comite Matiſconenſi interficitur. Honores ejus Rex Arnulphus in Zuentobolchum filium ſuum transfert. Abſente Ottone & in Aquitania rempublicam procurant anno 893. quinto Callend. Februarii, Francorum Principes auctore Fulcone Rhemenſium Archiepiſcopo & Balduino Calvo Flandriæ Comitæ, Carolum Simplicem Ludovici Balbi filium poſthumum, annum ætatis duodecimum agentem ungunt & coronant in Regẽ Francorum. Quod Ottonem tutorem ejus male habet admodum. Is enim ab Aquitania reverſus ſtatim in Carolum ducit ipſumque fugat: ſed parum ex ſententia procerum. Carolus ſane ex hoc anno, regnandi initium ſumit & ſuis inſtrumentis adſcribit, quod Hiſtoriæ cauſa noto, ut Lector meminerit: verumenimvero fugere coactus ad Arnulphum Germaniæ Regem Wormaciæ conventus populi agentem concedit, ab eoque auxilium impetrat, ſed nihil adverſus Ottonem valet: Hinc prædæ & cædes variæ utrimque inſtituuntur & patrantur, dum Carolus in Burgundiam concedit: Otto vero Lutetiam ſe deportat: Eodem tempore Berengarius Italia pulſus Arnulpho Regi perſuadet, ut ſecum cum exercitu Lombardiam invadat. quam captu facilem putat, ſi ipſe Arnulphus præſentiam ſui accomodet. Hinc ambo autumno adulto alpes trans-

*Carolus Simplex ungitur Rex Francorum an. 893.*

cendunt & ſub Idus Novembris Veronam ingrediuntur. Anno autem 894. ineunte Bergonum intendunt, Arnulphus eamque oppugnatione die purificationis Mariæ capit Ambroſium Comitem Vrbis ante portam ſtrangulat ſuſpendio, ut terrorem vicinis incutiat. Mediolanenſes ſane Papenſes & Placentini confeſtim ſe præmiſſis nunciis dedunt. Otto Dux Saxoniæ Henrici Aucupis pater ad recipiendam Mediolanum mittitur: Arnulphus Papiam progreſſus Berengarium reſtituit Vidonem cum uxore & filio Spoletum verſus fugientem inſequitur, ſed Placentiam cum veniſſet iter abrumpit & Alpes tranſgreſſus in Rudolphum Regem transjuranæ Burgundiæ exercitum ducit. Vido ea re comperta fugam inhibet & converſo itinere Arnulphum inſequitur: verum ubi ad Tarim agri Placentini amnem pervenit, vomitu ſanguinis repentino oppreſſus è vita migrat. Berengarius his rebus cognitis Papiam proficiſcitur & regiam obtinet. Lambertus Vidonis Filius ad Italicis proceribus, qui Berengarium timebant inſtigatus ad repetendum regnum, animum adjicit, & ſine ullo certamine Papiam rurſus cum regno obtinet, qui anno ſequenti 895. Romam à Sergianis vocatus Formoſum Papam parteſque ejus valde affictat. Eodem anno Arnulphus Wormaciæ celebrem populi ſui cõventum agit, Ottonem Galliæ Regem in gratiam accipit & honorifice à ſe dimittit ab eo multis affectus muneribus. Otto Legatos Caroli regis ſibi cum donis ad Arnulphum forte occurrentes in via diſſipat & in Aquitaniam redit. Zuentobolchus in Caroli auxilium ſe venire ſimulans Lugduno Clavato imminet ut ditionis ſuæ terminos promoveat. Sed ab Ottonis adventu fugit domum. Erat autem eo anno à patre conſtitutus Rex Lotharingiæ, ut Regino conteſtatur, idque cum totius populi conſenſu. Formoſus Papa injurias Sergianorum pertæſus occultis nuntiis Arnulphum è Germania evocat ut Lamberti Ty-

rannidem

rannidem compeſcat. Arnulphus his auditis Menſe Octobri in Italiam revertitur. Lunæ cum exercitu natalem Domini celebrat, inde Romam progreſſus caſtra ad Vrbem Leoninam locat. Angeltruda mater Lamberti Vrbe relicta Camerinio oppido ſe includit. Arnulphus ira percitus Vrbem oppugnare inſtituit, ſed Romanis ſe ſtrenue defendentibus parum promovet, ejus tamen capiendæ fortunam præbuit tandem lepus qui militari forte clamore perterritus ad urbem fugere coepit, eum dum militaris turba inſequitur Romani rei novitate perturbati ſe totis viribus peti exiſtimant: muros deſerunt. Germani Romanorum errore depræhenſo per ſarcinas in aggeres poſitas muros ſcandunt; portas ariete perfringunt & urbem à defenſore vacuam occupant. Deinde Sergium Arnulphus urbe pellit, Sergianos omnes interimit neque aut ætati aut ſexui parcit, & tandem à Formoſo ſe Imperatorem & Auguſtum inungi jubet. Populum Romanum. *Teſtari Deum omneſq; divos & per divina myſteria jurare cogit, ſe quoad vivat fore in poteſtate Imperatoris Arnulphi neque Lamberti aut matris ejus rebus fauturum; neque ut dignitatem aliquam adipiſcantur aut hanc Vrbem ſervitute premant, operam daturum.* Vrbe autem egreſſus Lambertum latitantem perſequi non poteſt: Matrem ejus Angeltrudem Camerini obſidet. Mulier viribus deſtituta ad dolos cõfugit. Per miniſtrum pecunia corruptum Arnulpho ſoporiferum poculum propinat, quo ille hauſto triduum dormit & tandem excitatus, nec ſentit, nec eloqui, quid ſentit, poteſt. Quare obſidionem ſolvit, belloque in Lambertum omiſſo in Germaniam cogitat. Inter vias ipſi libido incedit Berengarii excæcandi & regni ejus occupandi. Quod ut eliminatum fuit & Berengarium ſervat & ipſum apud Italiæ Principes in contemptum adducit. Quamobrem & Papiæ milites ejus, male a civibus mulctantur & ipſe vitata Verona ubi Berengarius ſedebat per

montem

*Thiela & Daventria donantur Epiſcopo Trajectenſi.*

montem Iovis domum reverti cogitur Lambertus regno potitur. Zuentobaldus Rex Lotharingiæ Odilbaldo Epiſcopo Vltrajectino donationes ſuperiorum Principum Eccleſiæ Vltrajectinæ confirmat, addit Thielam & Daventriam Oppida cum omnibus ad ea pertinentibus, idque Neomagi anno 896. octavo Kal. Iulii indictione 4. anno regni ſui ſecundo. Die autem 14. decembris Formoſus Papa moritur cum ſediſſet annos quinque & menſes ſex. Ei poſt biduum ſuffectus Bonifacius Sextus, qui poſt quindecim dies mortuus, ſucceſſorem Stephanum ſextum habet à factione Sargiana promotum. Hic conventu Epiſcoporum & Cleri habito Formoſi acta reſcindit atque damnat. Arnulphum regem quem Formoſus conſecrarat, Imperatorem vitio factum eſſe pronunciat. Lambertum autem Italiæ regem factionis ſuæ partis ſequentem, inungit, Formoſi cadaver è ſepulchro ſublatum veſtimentis Pontificialibus exuit, & duobus dextræ manus digitis abſciſſis in Tiberim à Sergianis projici jubet.. Is Kalendis Aprilis anno 897. moritur cum ſediſſet annum unum & menſes tres. Succedit ei Romanus ejus nominis primus, qui Formoſi cauſam tanquam à Stephano inique oppugnatam ſuſcipit: novoque Epiſcoporum conventu habito, Stephanum neque ordine neque recte feciſſe prounnciat: eo inter quinque menſes morte ſublato, Theodorus ſecundus ſurrogatur qui eandem cauſam amplexus omnes etiam à formoſo initiatos, quos Stephanus abdicarat, priſtinis ordinibus reſtituit. Eo poſt dies viginti defuncto Albertus Marchio factionis Tuſculanæ Princeps, Sergium iterum intrudere ſatagit verum ab adverſariis repellitur & 5. Idus Septemb. Ioannes decimus ex adverſa factione Papa creatus in cathedra ſedet annos duos. Is poſtero anno ut morbis Eccleſiæ mederetur, concilium Epiſcoporum Ravennam indixit coramque Imperatore Lamberto, dictis ex ordine de re quaque ſententiis acta conventus à

Stephano

Stephano habiti infirmat, Epiſcopis & Præsbyteris, qui ei interfuerunt; ignoſcit. Arnulphi regis Imperialem conſecrationem reſcindit, & Sergium & ſocios damnatos reſtitui vetat, violatores ſepulchri & cadaveris Formoſi damnat: Pontificatum ejus confirmat, Epiſcopos à Stephano exauguratos reſtituit Lamberti Imperatoris munctionem ratam habet, ad extremum decernit, ne Pontifices deſignati, niſi in conſpectu regiorum legatorum conſecrentur: in quo ſuperiori decreto Adriani tertii obrogat Lambertus Imp. donationes ſuperiorum Regum viciſſim confirmat. Concilio dimiſſo quiſque ſuas repetebat domos. Interea Berengarius in foro Iulio agebat & recipiendi regni occaſionem exſpectabat: quæ ſe tandem offert, Italicis Principibus Lamberti Imperium ut nimis grave tacite incuſantibus: & de Berengario reſtituendo concilia conferentibus. Itaque primus Magnifredus Mediolani Comes vicina loca, quæ Lamberto favebant, hoſtili modo, incurſare incipit, verum ab illo captus & necatus pacem à reliquis polliceri videbatur. Enimvero & Adelbertus Lucæ Marchio, cum opibus præſtaret ab eo, cum de nocte in ipſum duceret ex improviſo opprimitur & Papiam in cuſtodiam mittitur. Cum aũt de eo & reliquis ſecreto in loco ſupplicium ſumere cõſtituiſſet: Lãbertus ab Hugone Mãgfredi filio qui apud ipſum in honore erat dormiẽs adacto in cervices fuſte interficitur. Nece Lãberti divulgata Berẽgarius Papiã venit, regnoq; recepto Adelbertũ liberat cuſtodia, cæteraſque Vrbes regni conſtituendi cauſa luſtrare inſtituit. Superiore anno. Suenteboldus Lotharingiæ Rex quoſdam ſuos proceres dignitatibus exuerat ob ſuſpiciones de illis male conceptas. Hoc autem anno Arnulphus Imperator eoſdem filio ſuo reconſiliat & antiquæ gratiæ reſtituit idq; Wormaciæ in conventu publico. Tertio autem Nonas Ianuarii Otto Rex Francorum ex mœrore animi uti volunt moritur, & regnũ Carolo Simpli-

*Carolus Simplex Ottone Rege & tutore mortuo regnum redintegrat.*

ci pupillo ſuo reſtitui jubet. Carolus ab hoc anno redintegrati regni annos computat & publicatis inſtrumentis adſcribit ut poſtea videbimus, quod iterum hic lectorem moneo, ut memoriæ commendet, annum is tum agebat undeviceſimum & ob ætatem & animi vitium ſimplex appellabatur. Sub hoc, dignitates præfecturæ Comitatus ditioneſque, quæ hactenus regii fuerant dominii, cæperunt eſſe privata juris & ad hæredes in Gallia tranſmitti ipſo conſentiente vel ob judicii imbecillitatem cōnivente hinc Feudorum ibidem Ius & origo capitur, ut omnes cōteſtantur. Regino commemorat hoc eodem anno à Waltgario Friſio Gerolphi filio, Everardum Meginardi filium, qui (Godefridum regem in Batavis occiderat) cum venatum pergeret, dolo malo trucidatum, erat autem Waltgarius Thielæ & Ameidæ Comes, ut apud Hædam præpoſitum Arnhenſem eſt videre. Fratrem habebat Theodoricum Hollandiæ poſtea Comitem primum, & tres filios Radbodum nempe Comitem Thiolæ & pago inter Lakum & Iſlam dynaſtam, Hattonem Lonæ Comitem, Dominum in Eck & ter Aſt & Popponem neſcio quem, ut mirum non ſit eoſdem appellari Friſios qui tum in Inſula Batavorum imperitabant, quæ Friſiæ nomine compræhendebatur. Hoc item anno Rollo cum Gerlone ex Dania ſolvens, ut novas ſedes quæreret, cum magna claſſe deſcendit in Angliam eamque deprædatur ac à Rege tandem Aelfredo in ſocietatem receptus per hyemem ibidem manet. Vere autem primo cum ſomnio moveretur fortunam alibi & in Gallia quærere, ſe ad navigandum comparat & collecto milite Rotomagum contendit, verum coorta tempeſtate in Wallachriam Zelandiæ Inſulam rejicitur, ibi ab Incolis armis excipitur, ſed ſuperior factus res eorum in prædam vertit. Cum autem Rex Angliæ Alfredus ipſi naves duodecim frumēto onuſtas ſubſidio mitteret inſulani ab auxilia vicinorum decurrunt,

*Rollonis Normanni expeditio.*

Reyne-

Reynerum Longicollum Manaſſæ Comitis Hamoniæ filium & Radbodum Friſiæ dynaſtam in partem trahunt: ſed & illi à Rollone pulſi ſuæ audaciæ poenas luunt. Rollo enim tota Inſula in poteſtatem redacta & præſidiis firmata, Radbodum primo domi ſuæ quærit & victoria potitus populum ejus miſerabiliter affligit & ſibi tributum pendere compellit, inde Schaldim ingreſſus Longicollum ex inſidiis intercipit, ſecum ducit in Wallachriam ab uxore ejus omne aurum & argentum minis extorquet. Sed cum eſſet magno loco in Dania natus, Rollo & eo ingenio prędıtus quod natalibus reſponderet recte judicat cum principe viro humaniùs eſſe agendum, quàm cum aliis ex plebe. Itaque cum captivum rogat & cur in ipſum à quo nunquam eſſet priùs læſus arma induiſſet & ille offenſam deprecaretur, Rollo magno animo ipſi dimidium auri & argenti reſtituit & abire ad ſuos liberum jubet, monens ut poſthac amicitiam colere malit, quàm iram experiri ſuam Radbodo punito & Reinero benigniter dimiſſo ex Wallachria decedit & inſtitutum iter in Galliam feliciter peragit. Rothomagum obſidet & poſt longam obſidionem à Francone Archiepiſcopo tandem benigne ſuſcipitur urbiſq; ac regionis totius pro ſe atque ſuis patrocinium capit Tota autem civitas ſuperiorum Normannorum deprædationibus exhauſta, ruinis paſſim deformis in regione ab incolis vacua miſerrimum ſui præbebat ſpectaculum, placuit tamen eam incolere ſi modo per Regem & Francos liceat. Rex autem Franciæ Carolus comperto Normannorum adventu cum illi Rothomago non contenti ſuperiora rapinis & incendiis appeterent, Legatos iis obviam mittit, qui rogent, unde veniant? quid quærant, cur in regno prædas agant & ipſos abire domum jubeant, ſed eo reſponſo Legati dimittuntur à Danis ut facile intelligant, eos niſi bello ſubactos non abituros Itaque in eos militem colligit Simplex & armis iſtos novos

advenas regno depellere ſatagit: quod Normannis auditu jucundum fuit. In hac de Rollone Hiſtoria multa ab Alberto Crantzio & aliis qui illum ſequuti ſunt confunduntur perſonis, rebus, locis atque temporibus non conſentanea, quæ diligens Lector ſi attendat facile per ſe poterit apud illos diſcernere. In primis illud de Friſiis, quod eos Rollo ſtratagemate ſubegerit, verum non videtur niſi id ipſum intelligatur de Batavis qui vulgo tunc Friſii audiebant & Valachrianis erant vicini, apud quos illo tempore Radbodi commorabantur. Vera enim & antiquitus appellata Friſia tum libera erat, nec à Principe aliquo alio quàm poteſtate & domeſtico Magiſtratu regebatur. Lector auctores Anglicæ Hiſtoriæ conſulat & Reges Britannorum diſtinguat & facile perſpiciet quod dico. Hoc etiam anno Rudolphus Cameraci Comes ab Hereberto Veremandiæ Comite occiditur fanumq; Quintini & Peronam oppida ab illo recuperantur. At Balduinus Calvus Flandriæ Comes audita Rodulphi fratris ſui ſtrage indignatione commotus tam contra Normannos, quàm Regis Ottonis ſocios arma comparat. Attrebatum una cum cœnobio ab Ottone jam antea occupatum recipit, prædas ingentes ex hoſtico agit, vicis paſſim agriſque incenſis, hinc bellum in Herebertum à Calvo conflatum: Enimvero Arnulphus Imperator à tribus ſuis ſubditis potionatus in novam paralyſin incidit: maleficorum alter Reus majeſtatis judicatus Ottingæ decollatur. Alter in Italiam transfugit. Tertia mulier convicta ſceleris Epilingæ in furcam agitur & laqueo vitam terminat. Imperator autem anno ſequente *899.* tertio Kal. Decem. Vtini ex paralyſi moritur: cum regnaſſet annos duodecim menſem unũ & dies novendecim. ejus ex Oda uxore filius Ludovicus 2. Nonas Februarii Forchemi in patris locum ſeptennis ſuccedit Aquisgrani ab Hattone Archiepiſcopo Moguntino coronatur Germanorum Imperator, ejus nominis tertius,

Frater

Frater ejus naturalis Suandebaldus cum in Ecclſiarum bona rapinis graſſaretur & cum hominibus nequam eadem luxurioſè prodigeret, optimates Regni contemneret, etiam Radbodum Archiepiſcopum Trevirenſem in caput baculo percuſſiſſet, in odium ſubditorum & inde in bellum civile incidit, quod cum non humanitate, ſed crudelitate & malis actibus emendare conaretur, Lotharingi ab eo ad Fratrem Ludovicum deficiunt. Qui circa Moſam prælio decertans ipſum per Stephanum Gerhardum & Matfridum Comites & militiæ præfectos, ipſis Auguſti menſis Idibus anno *901.* conficit: Et Lotharingiæ Regum ad ſe traducit. Sequitur ſeculum infælix & Pontificum Romanorum ſceleribus valde infame. Ita enim illi inter ſe rapinis, cædibus, libidine graſſati ſunt, ut non ſectatores agni ſed luporum viderentur. In Italia Lamberto cæſo Berengarius regnabat, ſed adverſariorum inſidiis appetebatur. Qui novum ipſi extra Italiam quærunt æmulum ut ipſum Imperio ſpolient. Erat in Provincia Rex Ludovicus Boſonis filius, Ludovici ſecundi Imperatoris nepos virtute atque juſticia clarus. Hunc Italici Proceres invitant, ut Italiæ Regnum capeſſat, & ſi Berengarium pellat ei obſequium promittunt. Princeps conjurationis erat Adelbertus Berengarii gener, Eporædæ Marchio, qui jam tum ex Giſela ejus filia alterum genuerat Berengarium Italiæ quoque poſtea regem. Berengarius autem conſpiratione generi comperta ad Adelbertum Lucæ Marchionem confugit, ejus opes quæ maximæ erant, implorat, ut communibus, adverſum externum hoſtem Ludovicum ſcilicet, viribus pugnare velit, præcibus munera quoque addit ampliſſima: quibus Adelbertus delinitus, ſe in ejus auctoritate futurum promittit. Itaque Ludovico ad annum 899. alpes cum exercitu magno tranſgreſſo, Berengarius multo cum majore occurrit, illumque ita circumvenit, ut veluti captivus omnem evadendi copiam amittat.

*Speculum ob Pontificum ſcelera famoſum,*

Quare circumſeſſus Berengarium rogat ut incolumis ad ſuos redeat, addito juramento, ſe nunquam in Italiam rediturum ſi dimittatur: ſed dimiſſus fidem non ſervat. Inimici enim Berengarii non ceſſabant conſilia agitare, quẽadmodum Ludovicum rurſus in Italiam traherent, quibus addebat animus Benedictus quartus ex parte Comitum Tuſculanorum creatus Pontifex. Itaque Adelbertum Tuſciæ Marchionem adeunt eumque à Berengario per Bartam uxorem avertunt & Legatos mittere ad Ludovicum procurant. Ludovicus ab Adelberto vocatus certam ſpem de Italia obtinenda concipit & jurisjurandi ratione neglecta, majores copias quàm antea contrahit, quibus Alpes tranſcendit, tota pene Lombardia ipſi in occurſum properante. Berengarius ſtudio inimicorum perſpecto Papiam deſerit & Veronem concedit. Ludovicus Papia occupata Regni inſigniis exornatur. Sic iterum in duos Italia ſcinditur anno 900. Eo anno apud Vltrajectinos moritur Odilbaldus Pontifex 4. Idus. Decemb. vir ſanctus & apud Reginonem celebratus. Ei ſuccedit Egilboldus item Friſius Epiſcopus decimus tertius, qui ſedit tantum menſes decem 3. Kalend Octob. è vita migrans. Succeſſorem habet Radbodum virum illuſtrem & regio Friſiorum ſanguine natum, qui educatus in aula Caroli Craſſi Imperatoris Nannorem Philoſophum Præceptorem habuit: & apud eum in bonis literis magnos progreſſus fecit. Cum autem Trajectum Oppidum à Normannis eſſet vaſtatum, Radbodus Daventriæ ſedem ſuam ponit, atque inibi etiam moritur: vir ob vitæ integritatem & doctrinam omni laude digniſſimus. Hic mihi videtur fuiſſe ille Radbodus qui ſuperioribus annis contra Rollonem vicinis ſuis Valachris ſuppetias latum venit, & Friſiæ princeps appellatur, quandoquidem & in aula Imperatoris nutritus ad militiæ munera idoneus fuit, & ſero admodum inter famulos Vltrajectinæ Eccleſiæ eſt receptus, prioris

vitæ

vitæ forte an ductus pœnitentia quemadmodum Wilhelmus Hæda commemorat. Anno nongenteſimo primo, 901
Ludovicus Boſonis filius Italicis comitantibus Romam proficiſcitur & à Benedicto Pontifice coronam & Imperatoris titulum ſuſcipit: diplomata veterum paſſim confirmat quod & Berengarius apud ſuos fæcit. Interea Hungeri Italiæ novi hoſtes ſubito incumbunt eamque miſerum in modum depopulantur igne & ferro vaſtant. Hi jam ante biennium cum Moravos Arnulpho Imperatori ſubjeciſſent, morte ejus elati, in Boiarios hoſtiliter graſſati, cum Ludovico novo Rege ejus filio ad Anaſſiburgum cōgreſſi prælio vicerant, Boiariorum fines, Francorum atque Saxonum rapinis & incendiis confecerant. Verum cognito Italiæ ſtatu ejuſque potentia atque divitiis, Italia exeunt, ut cum omnibus copiis in eam aliquando revertantur; Interim Ludovicus Imperator Veronam adit & 10. Kal. Septembr. Berengarium inde expellit in Bavariam; hinc Papiam proficiſcitur. Et porro anno ſequenti in Tuſciam abit; ubi apud Lucam urbem ab Adelberto Marchione magnificentiſſime exceptus, ex invidia in odium venit. Luſtratoque regno Veronam revertitur & exercitum dimittit. Quo cognito Berengarius ex Bavaria in Italiam redit ac 12. Kal. Auguſti: Veronam, cuſtodibus urbis corruptis ſilentio noctis ingreditur. Ludovicum ex improviſo capit, luminibus privat & Imperio ſe abdicare cogit. Verona recepta Berengarius Papiam petit & regnum nullo repugnante recuperat atque per annos deinceps viginti duos pacatè adminiſtrat. Dum hæc à Berengario procurantur, Hungari Pannonia egreſſi menſe Auguſto iterum in Italiam irrumpunt, omnia paſſim fæde vaſtant & corrumpunt. Berengarius ut iis reſiſtat, exercitum ingentem comparat: quem cum triplo majorem ſuo Hungari vidēt, in fugam ſe conjiciunt: abitum ſecurum reſtituta præda ac ſpoliis orant, verum nihil impetrant, ex deſperatione

*Hungari Italiam invadunt.*

*Ludovicus Rex Italiæ excæcatur à Beringario quo regnum occupat.*

receptis

receptis animis in Italicos ſe convertunt eoſque ex inopinato cædunt, fugant, capiunt, nec prius abſiſtunt quam à Berengario grandi pecunia remunerentur. Italia ab Hungaris levata, Berengarius in hoc eſt ut damna Eccleſiis illata munifice reparet. Anno ſequenti, ſexto Iduum Aprilis Benedictus Papa moritur, in Benedicti locum Leo ſextus ſufficitur. Hunc incautum & rebus agendis parum idoneum, Chriſtophorus Sacerdos quadrageſimo poſtquam conſecratus eſt die, compræhendit, in cuſtodiam tradit, abdicare cogit & ſe ipſum Pontificem facere novo exemplo ſatagit. Sergius jam bis antea repulſus ope Alberti Thuſciæ Marchionis ſede eum deturbat & 9 Kalen. Ianuarii abdicare & Monaſterium intrare cogit, poſtridie ſedem Papalem occupat. Is Sergius tertius appellatus Pontificatum male partum nullo inſigni probro fœdavit. Anno autem 905. Hungari iterum Italiam deprædantur. Idem etiam faciunt Saraceni. Itali ſe in arces atque turres, quas eo fine multas hiſce temporibus conſtruxerunt ſe conjiciunt, ut à ſpoliatione tuti ſint. In Germania tunc imperabat Ludovicus ſub Ottonis magni Saxoniæ Ducis & Hattonis Archiepiſcopi Moguntini tutela conſtitutus. Illam vexabant ab una parte Slani, ab altera item Hungari. Sed & in Haſſia bello inteſtino certabatur: Nam Adelbertus cum ſuis fratribus Comes Bombergenſis Henrici filius ob frivolam de generis dignitate quęſtionem bellum movet atque adeo ipſum in prælio occidit 3. Kalen. Martias. Ipſe à Rege vocatus, ut cauſam dicat, parere renuit, itaque ab eo obſidione concluditur, ſed expugnari niſi dolo malo non poteſt. quem ipſi Hatto Archiepiſcopus intendit. Hic enim ipſum in naſſam compellit, dum promittit aut incolumem reducturum in arcem ſuam; aut pacem cum rege habiturum. Rediit ille quidem in arcem, ſed non à Rege qui anno 908. quinto Iduum Decem. decollari facit. Interea Hungari Bavaros primum, diende Suxones

*Hungari pecunia placati Italiam deſerunt.*

Saxones & Thuringos, tertio Alemannos vaſtant, expilant, urunt atque ſcindunt, captivorum corda immaniter devorantes in remedium ſanitatis ſanguinemque eorum potantes. Tandem etiam triduario prælio Regem Germaniæ vincunt & ad annuum tributum compellunt. Quamobrem is in luctu & animi mœrore è vita migrat anno *911*. duodecimo Kal. Februarii cum vixiſſet undeviginti annos ex Caroli Magni progenie in Germania Principum ultimus. In ejus locum Germani proceres Conradum Franconiæ ducem rei militaris peritiſſimum, Conradi ſuperioris ab Adelberto Bambergenſi occiſi filium, Ottone duce Saxoniæ & Hattone Archiepiſcopo Mogontino auctoribus. Fritiſlariæ in Haſſia cōmuni conſenſu ſubſtituunt. At Bawarii Ludolpho eorū duce ab Vngaris cæſo Arnulphum cognomento malum ejus filium ſibi regem eligunt. Hinc aſtipulantur Gisbertus dux Moſellaniæ Ernigerus & Berchtoldus fratres & Burchardus dux Sueviæ qui Conradum ut alienum à ſtirpe regia recipere recuſant & Carolum Simplicem juſtum hæredem ex Galliis accercendum cenſent. Quæ res totam Germaniam bello involviſſet inteſtino niſi Hungarorum molitiones obſtitiſſent. ab illis enim oppugnatus Conradus ad Principum diſſidia connivere cogitur. Carolus autem Simplex hac occaſione uſus anno *913*. auxilio Reineri Moſellaniæ ducis & Gisberti filii ejus opera Lotharingiam occupat atq; eo modo largiorem hæreditatem adipiſcitur: à qua deinceps tertiam Epocham inſtrumentis ſuis adſcribet ut in iis liquido apparet: quod iterum lectorem moneo, ut meminerit. Ad hunc vero annum *913*. Ianus Douſa Nordvici Dominus, initia Comitatus Hollandici refert, ſed errat à veritate quam longiſſime mea quidem ſententia, ut & ſupra dixi. Quod enim in notis numerorum à ſcribis peccatum dicit & L. literā loco C. poſitam, id adeo eſt frivolum, ut ab ipſo diplomate refellatur. Quis enim vidit illud

*Ludovicus Rex Germaniæ moritur.*

*Carolus Simplex largiorē hæreditatem accepit anno 913.*

ſcriptum fuiſſe illis characteribus quos Douſa repræſentat? aut quis credat hujuſmodi ſcripturam illo tempore fuiſſe uſitatam? Anno nongenteſimo tertio decimo indictio numerabatur prima: at diploma ait ſe natum indictione undecima, quam Douſà in ſuo exemplo omiſit. Eo anno Trevirenſium Archiepiſcopus erat Radbodus qui anno ſequenti ſucceſſorem accipit Rutgerum ſive Rutgarum cujus vicem ſupplevit Hagono in diplomate recognoſcendo, ut ibi eſt videre. Ex quibus liquet, ſi Diploma illud Douſiacum ſequamur & in indictionem & in Archiepiſcopum nos eſſe injurios. Quid igitur dicemus? unde veritatem hujus negotii hauriemus? caliginoſa profecto ſunt hæc tempora & parum enucleate à ſcriptoribus tradita. Vulgaria apud Hollandos Chronica hactenus produnt Theodorum Comitem ſuum primum anno 863. à Carolo Calvo præfectura Comitatenſi donatum: cum Egmondæ condidiſſe cœnobium monialium ex aſſeribus & ligno, dotaſſeq; certis reditibus, qui in Diplomate Egmondenſi latius explicantur: Annales Friſiæ vernaculo ſermone ſcripti referunt ipſum anno 903. ſubegiſſe Friſios occidentales eiſque dediſſe leges & Magiſtratus quibus regerentur: at alii cõtra ſcribunt, eundem anno 900. vivendi finẽ feciſſe, quidam etiã affirmant ipſum ludis equeſtribus ad annum 934. ab Henrico Aucupe Imperatore Germanico Magdeburgi celebratis adhuc fuiſſe ſuperſtitem. In tanta tẽporum varietate quid potiſſimũ ſequendũ incertus ſum. Si ordinẽ literarum, quæ donationes rerum cõtinent ceu filum Adriadnes ſequamur, tutius fortaſſe ad veritatẽ progrediemur. Ex Diplomate ab Arnulpho donato fit manifeſtũ Gerolphũ Comitẽ Friſiorũ vixiſſe, anno 889. habuiſſe filium Waltgarum, qui anno 898. Everhardũ Megmardi filium interfecit & ann. poſt 9 4 pro Radbodo Epiſcopo Vltrajectino apud Conradum Imperatorẽ intercedit, una cum Vdone Conradi conſanguineo, ut Hæda conteſtatur.

*De initio Comitatus Hollandici.*

Walte-

Walterii frater dicitur fuiſſe Theodoricus, qui Eccleſiam Egmondenſem à Carolo Simplice dono accepit, ſed locus in Hiſtoriis non commemoratur, unde ejus Domicilium conjicere poſſumus. Condidiſſe autem ipſum ante donationem illam aliquod in Egmonda Monaſterium mihi quidem non fit veriſimile: nam qui potuit, qui jus nullum in ea antea habuit? Id vero mihi magis arridet, ut dicamus ipſum, quia minor natu erat, toto illo ſuo tempore militiam ſecutum & apud Carolum diverſatum in Aula donec occaſio emergẽdi facultatem præbuit, quandoquidem ipſe Rex Carolus illum ſuum fidelem, hoc eſt clientem vocat, ut diploma indicat. Quo autem melius ad initia Comitatus Hollandici perveniamus, pertexamus intervalla, quæ nos eò deducant. Anno nongenteſimo duodecimo 21. Ianuarii moritùr Ludovicus Imperator: moritur etiam Anaſtaſius Papa Romanus, ſuccedit Laudus cui ſurrogatur ab Alberto Marchione Tuſciæ Ioannes undecimus in gratiam Theodoræ ſocrus ſuæ Archiepiſcopus Ravennas. Erat autem hic Ioannes Sergii Papæ ex Marozia Theodoræ filia nothus filius, qui cum forma & ſpecie corporis plurimum placeret ſuæ aviæ, ab ea factus eſt primum Epiſcopus Bononienſis. Deinde Ravennas Archiepiſcopus, nec multo poſt ab eadem, ut ejus amplexibus quotidie frueretur, Papa Romanus. Theodora enim eo tempore ſcortum impudens propter opes quibus pollebat, Romam in ſua quaſi poteſtate cõtinebat Marozia quoq; ejus filia eodem tẽpore Gudoni Thuſciæ Marchioni nubit. Defuncto Imperatore Ludovico, Germaniæ Proceres. Imperium ferebant Ottoni Saxoniæ Duci, qui gener erat Arnulphi Imperatoris. Is illud magno animo recuſat & ad Conradum Franconiæ Ducem deferri ſuadet: qui & omnium de hinc ſuffragiis Imperator Aquiſgrani coronatur. Otto autem Saxoniæ Dux paulo poſt è vita decedit. Poſt cujus mortem Imperator ejus filium

*Conradus Franconiæ Dux Imperator.*

Henricum cognomento aucupem opera & dolo Hattonis Archiepiſcopi Moguntini evertere ſatagit. Verum machinatione detecta, Hatto cordolio oppreſſus hominem exuit: Apud Friſios Vltrajectum tunc à Normannis in ruinis jacebat. Epiſcopus ejus Radbodus apud Tranſiſulanos degebat: Illi Conradus Imperator interventu Vdonis conſanguinei ſui & Waltgeri Comitis omnia ſuperiorum Regum beneficia Eccleſiæ Vltrajectinæ indulta prolixe confirmat & manus propriæ ſubſcriptione ſigilliq́ue impreſſione anno Domini noſtri Ieſu Chriſti 914. die 7. Iduum Iulij indictione ſecunda, regni tertio corroborat. Quo anno idem & Hungaros Bawariam igne & ferro vaſtantes magna clade afficit & repellit: Anno hujus ſeculi

910. nono Normanni Rollone Duce Lutetiam Pariſiorum obſident & oppugnant, ſed repulſi Burgundiam invadunt. Vbi à Richardo Duce ejus ad Argentoilam in agro Tronodorenſi magna ſtrage conficiuntur. Iidem anno ſequē-

911. ti Carnotenſem Vrbem obſident, à Roberto Francorum & Richardo Burgundiæ Ducibus 14. Kalend. Septem. novem millibus ſuorum amiſſis repelluntur. At Rollo Dux eorum Neuſtriam à Carolo Rege dono accipit, quam ob

912. hac die ſecurè poſſidet & à ſua gente Normanniam indigitat, Ipſe Baptiſmo initiatus Roberti nomen accipit & Giſelam Caroli filiam uxorem ut aliqui perhibent. Ad

910 annum decimum ſupra nongenteſimum ædes divæ virginis Mariæ ſacra cum tredecim domibus incendio deflagrat apud Staurienſes in Friſia: Auctore ignoto. Erat autem templum hoc pro Civitatis magnitudine opere inteſtino egregie conſtructum, ſignis atque tabulis bene ornatum, turris illa adſita, poſtquam ignis materiam inteſtinam abſumpſiſſet à coorta ſubdito tempeſtate triduo, poſt ad terram dejecta eſt. Templum ipſum in parte urbis occidua ſitum erat, unde ad Odulphi monaſterium patebat iter. Civitas Stauria illo ævo navigationibus in o-

mnem

Stavora floret

mnem orbis partem præ cæteris maxime florebat. Domi
ornata, foris valida ob Imperium quod in mari obtine-
bat. Ius ſuum uſque ad portam Heſelanam Neomagen-
ſis urbis extenderat, quemadmodum hodieque portæ in-
ſcriptio demonſtrat. quæ licet à quibuſdam aliorſum tra-
hatur, nulli tamen alii quàm huic urbi attribui poteſt, ut
nos loco magis opportuno poſtea docebimus. Homines
invidia excæcati dum nodos in ſtirpo quærunt palam re-
bus ipſis oſtendunt, ſe ejus linguæ, quam profitentur eſſe
vel ignariſſimos. Quam enim vox Stauria, analogiam
habet ad verbum Germanicum ut illi volunt **Stabren**/
quod quidem in eo ſenſu, quem illi conantur exculpere,
Germanicum non eſt nec eſſe poteſt; aut quomodo Ne-
omagum fuerit terminus Regni Francorum & contributi-
onum regno debitarum? Itáne ultra Neomagem Reges
Franciæ non imperarunt? aut omnes ſub Imperio Roma-
no à tributis liberi Gerræ Siculæ. Nomen Stauria in in-
ſcriptione Neomagenſi nomen proprium eſt civitatis il-
lius, quæ in crepidine Flevi fluminis quondam ſita nunc
hodieque vulgo **Saveren** appellatur, quandoquidem i-
nitium ejus majuſcula litera exaratum & ipſa porta antiquã
navim ſtationem ſibi adjunctam habet, ad quam Stauri-
enſium navigationes finiuntur. Nam cum à parte exte-
riori portæ Heſelanæ ſcriptum ſit: *Huc uſque Ius Stauriæ*,
ab altera parte ejuſdem portæ ſcribatur: *Hic Pes Imperij
R.* quis hic non videt Vrbem Imperio opponi? ſi enim a-
liter eſſet adverſitas aut differentia nulla eſſet. Verum
hæc alias diligentius exequemur & ſuo loco. Vt autem
perveniamus eo, quo curſum dirigere conſtituimus, exple-
amus cætera, quæ inter initium Comitatus Hollandiæ &
hæc tempora interveniſſe exiſtimatur. Supra diximus in
anno *912*. in Ianuario obiiſſe Ludovicum Germaniæ Re-
gem, ei ſuffectum à Germaniæ proceribus Conradum
Franconiæ, Haſſiæ & Vederaniæ Ducem. Is Dux Friti-

914. ſtariæ Rex Germaniæ appellatus Aquiſgrani coronatur anno eodem abHattone Archiepiſcopo Moguntino, præſtat ſe contra Arnulphum Baworiæ regem &Hungaros virum fortem atque ſtrenuum. Interea Hungari ab eo re-
915. pulſi.Saxoniam vaſtant: Eccleſiam Hamburgenſem de-
915. ſtruunt Germaniæ ſuperioris oppida ac regiones cædilus rapinus& incendiis depopulantur:inde inSaxoniam denique revertuntur. Conradus quoque Imperator in Henricum Saxoniæ ducem movet,ſed tanta cum ſtrage abHẽrico vincitur, ut vulgo quæratur ubi tantus ſit orcus, qui cæſos capere poſsit, Anno autem 917.duplex malũ Chriſtianis incumbit: Hungari ab una parta Lotharingiam & Franciam hoſtiliter invadunt: Baſileam Rauracorum incendio conſumunt: ab altera Arduichus Germo Rex Daniæ Chriſtianum nomen omne delere contendit. Transalbinos Saxones vaſtat & depopulatur: In Bowaria Conradus Imperator Arnulphum Ducem regno pellit. Arnulphus viciſſim auxilio Hungarorum ſua recuperat. Anno ſequenti Regenbertus Comes Ringelhennenſis Danos glorioſe vincit & Saxonia ejicit. Imperator Arnulphum Ratisbonæ obſidet & obſeſſam fugere ad latibula
918. cogit. Omnia cladibus infeſta ſunt: Everhardus frater Imperatoris Cõradi, iterum vincitur ab Henrico Aucupe Saxoniæ Duce. Balduinus Calvus Balduini Ferrei filius Caroli Calvi ex filia Iuditha nepos FlandriæComes quarto Nonas Ianuarias hoc eodem anno è vita migrat: Steterat hic Balduinus ſemper pro Carolo Simplice & magnas eo nomine cõtra Ottonem Regem & Herebertũ Veromanduorum Comitem inimicitias geſſerat. Poſsidebat cum moreretur cum cœnobio Bertiniano, Flandrienſem Bononienſem, Taravannenſemq́ue Comitatus, eratq́ue Attrebatum caput Comitatus Flandrici. Ei ſucceſſerunt in Principatu duo filii quorum minor natu Adolphus Bononicam Ternannicam ditionem cum Cœnobio

*Balduinus Flandriæ Comes moritur,*

adiit

adiit ∴ reliqua oĩa cedunt Adolpho cognomento magno. Hoc eodem anno die 30. Decembris obiit Radbodus decimus quartus Epiſcopus Vltrajectinæ Eccleſiæ cum ſediſſent annos ſeptendecim. Succedit ei Baldericus è Cliviæ principibus oriundus, vir ea cathedra digniſsimus. Scripſi ſupra Carolum Simplicem ſua diplomata tribus obſignare epochis, numerando annos ab inchoato & redintegrato regno & largiore indepta hæreditate: hujus rei exempla, deinceps ſuo tamen tempore aliquot hic ſtatui ſubjicere, ut ex eorum initiis atque clauſulis manifeſtum fiat non Carolum Calvum, ſed nepotem Carolum Simplicem donationis Egmondenſis & Hollandiæ Comitatus eſſe auctorem. Primum quod occurrit datum eſt hoc anno 918. extatque apud Aimonium Monachum libro quinto capite 41. & eſt hujuſmodi.

*Carolus Divina propitiante clementia Rex Francorum. Quoniam Deus omnipotens, qui eſt rex regum, noſtram ſui muneris celſitudinem dignanter prætulit ſuo & regno & populo, idcirco oportet nos non modo praeſſe, verum potius ſanctæ prodeſſe Eccleſiis ac præſertim dirutis quibus feritate paganorum pulſa exiſtunt corpora ſanctorum hac tenus debita veneratione carebunt. Quamobrem comperiat omnium ſanctæ Dei fidelium noſtrorum, quin etiam præſentium & futurorum ſolertia, quia Robertus venerabilis Marchio noſtri quidem regni & conſilium & juvamen nobiſcum, ſimulque Abbas Monaſterij Sancti Vincentij Martyris, egregii quoque Pontificis Pariſiorum Germani, adiens noſtram ſublimitatem una cum Comite Heriberto, eximióque Epiſcopo Abbone ſuggeſsit tam pro veneratione Sanctorum cinerum Andoeni ſcilicet Archiepiſcopi nec non beatorum confeſſorum Leutfridi fratriſque ejus Agofridi, quam etiam pro noſt,a totiuſque ſalute regni concedere Abbatẽ, quæ nuncupatur crux ſancti Andoeni Monachis prælibati confeſſoris Germani, quatenus abhinc & deinceps prædictorum membra Sanctorum, diu officio divino carentium ab iiſdem cœ-* *ſtrorum*

Diploma Caroli Simplicis

*nobijs reverenter ſuſciperentur, cultúque divino ſecus beatos Artius Germani collocata honorarentur, quorum ſcilicet noſtrorum fidelium congruis petitionibus annuentes, donavimus & ſubjecimus illam Abbatiam, cujus caput eſt in Matricenſi pago ſuper fluvium Anture ſancto Germano ejuſdem Monachis ad eorum jugiter menſam præter partem ipſius Abbatiæ quam annuimus Normannus Sequanenſibus videlicet Rolloni ſuiſque Comitibus pro tutela regni. Idcirco autem res prædictæ Abbatiæ cum omnibus villis, terris cultis & incultis, vineis, pratis, ſylvis, aquis, aquarúmque decurſibus, farinarijs, cum mancipijs & colonis & cum omnibus aliis appendicijs ibidem, excepta portione Normannorum, tradere & ſubdere & confirmare decrevimus, ad victum, veſtitum ſeu etiam cæteros uſus congregationis ſancti Germani, quatenus ſingulis annis 4. Idus Februarij, animadverſarum noſtræ dilectiſſimæ conjugis Frederunæ cum vigilijs miſſarúmque oblationibus frequentent: diem quoque noſtræ unctionis 5. Kalendis Februarij ſolemnitatem ſanctæ Agnetis cum ſumma refectione celebrent. Poſt obitum vero noſtrum mutentur & rationum et refectionum præſidia in diem noſtræ migrationis & ſuper hanc ceſſionis auctoritatem hoc noſtrum Regale præceptum fieri juſſimus: per quod decernimus atque jubemus ut nullus quilibet fidelium ſanctæ Dei Eccleſiæ præſentium & futurorum de prænotatis rebus inquietudinem aut refragationem vel præjudicium ſeu violentiam, nec ipſe Abbas ejus Cœnobij facere tentet, ſed potius ſine ulla ſubtractione vel diminutione atque diviſione liceat eaſdem res eidem cõgregationi cum omni integritate inviolabiliter abſque ulla calumnia & contradictione ſecuriter ac perpetualiter poſſidere & frui. Ergo hæc noſtræ authoritatis præceptio ut firmiter continuationis vigorem obtineat & veraciter percurricula annorum ſuccedentium credatur manu propria ſubterfirmantes annulo etiam noſtro eam juſſimus inſigniri. Datum 2. Idus Martij indictione 6. anno 26. regnante Carolo Rege glorioſiſſimo, redintegrante 21. largiore vero hæreditate indepta 6. actum compendio*

Ferdua conjunx Caroli Simplicis prima.

*pendio palatio.* In hoc diplomate annus Chriſti omittitur, ſed per indictionis notam facile invenitur quæ adſcribitur ſexta: quæ annum Chriſti 918. indicat, hinc deductus Annus 26. relinquuntur Anni 892. quibus elapſis Carolus primum cepit imperare, Anno enim 893. quinto Kalendas Februarias à Fulcone Remorum Archiepiſcopo Rex Francorum eſt inunctus, publicitus ut & ſupra ſcripſimus. Eadem ratione & reliqui characteres hic deſignati facile inveniuntur, quod hic obiter indicaſſe ſufferit. Anno ſequenti qui Chriſti eſt 919. Rex Conradus ex infirmitate die 23. Decembris in Chriſto moritur, prius autem quam ex vita decedat, Proceres Imperii & fratrem ſuum Everhardum ad ſe vocat & de republica valde ſolicitus cum iis deliberat, cui potiſſimum eam in hoc tam turbulento rerum ſtatu credere debeant, perſuadetq; ipſis ut Henricum Aucupem Saxoniæ Ducem ſe mortuo eligant, illum & prudentia & fortitudine excellentem tanto oneri ſolum ferendo eſſe, monet inſuper fratrem ſuum ut ſimultate depoſita, illum ſibi reconciliet atque colat & in ſignum amicitiæ ſceptrum, cæteraq; regni inſignia ſuo mandato deferat. Proceres ejus ſententiam unanimiter approbant: Everhardus quoque mandatum fratris exequitur & in gratiam ab Henrico ſuſcipitur. Regnat inde Henricus ut Imperator in Germania annos ſeptendecim, ſtatim in rebelles arma convertit: Burghardum Sueviæ Ducem parato exercitu ad deditionem minis cogit: Arnoldum cognomento malum Bawariæ Ducem qui à ſubditis ſuis Rex erat dictus Ratisbonæ obſidet, ſed prius quam hoſtilia tentat obſeſſum ac colloquium evocat & cōparenti perſuadet, ut malit ipſius conceſſu in pace Dux eſſe quàm Rex appellari & belli aleam temere experiri. Quod non tam prudentia ſua Henricus obtinet quàm liberalitate, qua Duci Arnoldo una cum reliquis Provinciæ fructibus & emolumentis etiam poteſtatem in Eccleſi-

919. *Conradus Imperator moritur.*

aſticos & eorum bona concedit. Reſtituit hoc tẽpore Carolus Simplex Rex Francorũ Rutgero Archiepiſcopo Treverenſi Abbatiã Sancti Servatii apud Trajectenſes in Comitatu Moſolandiæ ſitã ut diploma in Annalibus Treverẽſis Eccleſiæ apud Gulielmũ Kyriãdrum indicat his verbis.

*In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Carolus divina propitiante clementia Rex Francorum. Dogmate divino inſtruimur & Regia Majeſtate monemur quatenus ſanctorum loca ſub ſolida tuitione providcamus & ſi qua ſunt alicujus pravitate attrita ad priſtinum reverti faciamus ſtatum. Noverit igitur omnium, Sanctæ Dei fidelium noſtrorum videlicet præſentium & futurorum induſtria quoniam vir venerabilis, nobis, fidelis Rutgerus Treverenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus ſæpius plangendo; adiit ſelſitudinem noſtram, dicens, quod Abbatiam Sancti Servatii quæ eſt conſtructa in Trajecto in Comitatu Maſelant, quam dedit per ſuum præceptum ſibi commiſſæ Treverenſi Eccleſiæ Arnulphus Rex, ſed violentia Reginheri Comitis & filii ejus Giſelberti à Prædicta Treverenſi Eccleſia iam olim eſſet injuſte ablata. Ergo ad cauſas noſtras ejus proclamationem mittens Iudicio ſcabinorum Palatii & atteſtatione omnium fidelium noſtrorum ipſam Abbatiam ſancto Petro in cujus honorem eſt conſtructa Treverenſis Eccleſiæ & prænominato, præſuli reddimus ut in perpetuum ſine cujuſpiam contradictione cum omni integritate ipſe & ſucceſſores ejus ipſam Abbatiam teneant atque poſſideant & quicquid pro ſua ſuæque Eccleſiæ utilitate ex ipſa facere decreverint liberam in omnibus poteſtatem habeant faciendi, & ut hæc notitia inſtantibus & futuris tẽporibus rata eſſe credatur & firmior habeatur. ſigillo noſtri Palatii eam reborari juſsimus. Hæc ſunt nomina eorum qui præfatum contulerunt Iudicium, videlicet Epiſcoporum Wifridus, Dado Raubertus. Abbo, Stephanus, ſed Comitum, Matfridus, Sigardus, Otto, Fulbertus, Chriſtianus, Eckingerus Iſembardus, Hungerus, Ecfridus, Ermenfridus, Walterus, Item Walterus, nec non & Scabinorum, Blidulphus Regnardus*

nardus

*nardus, Adelbertus, Sigebertus, Witterus, Adilherdus, Rubertus, Bernacus, Volmarius, Roricus, Otkerus, Ingramus. Betto, Engelbertus, Suunus Filbertus, Iſwerdus, Radbodus Notarius præcipiente Domino Rege Carolo, hanc Notitiam ſcripſit. Data Idibus Iunii Indictione 8. anno 27. regnante Rege Carolo, redintegrantæ 22. largiore vero, Hæreditate indepta 7. actum Eriſtal palatio.* Hoc quidem inſtrumentum ad Hiſtoriam noſtratem nihil pertinet, conducit tamen ad intelligentiam Donationis Hollandicæ ut ex collatione Diplomatum, poſtea apparebit. Notatu quoque hoc eſt dignum, quod Epiſcopi, Comites, & Scabini, ſine titulis proponantur: quodque tres Epochæ nempe Caroli primum regnantis. Deinde Regnum recuperantis, & Tertio majoris hæreditatis indeptæ adſcribuntur. Erat autem Giſelbertus Regneri filius, Requini nepos, qui Moſellaniæ Dux ex antiqua Clodionis capillati Regis Francorum progenie recta linea deſcendebat: Quamobrem & Giſelbertus gener ex Gerberga Henrici Regis filia poſtea Dux Lotharingiæ magnum ſpirabat& Carolo ſuo Regi ſemper adverſabatur, ab eo tandem ditione expulſus. Sed reconciliante ſocero reſtitutus pede in integrum, nihil de ſolita in regem inſolentia remiſit, ejus à regno abdicationem occultè ſemper moliens. Amabat autem Carolus præ cæteris aulæ ſuæ proceribus quendam Haganonem Auguſtoduni Comitem, mediocris fortunæ hominem, quod adeo primoribus Regni diſplicebat, ut quodam tempore, cum Henricus adhuc Saxoniæ Dux ad ipſum Aquiſgranum veniſſet, & totum quatriduum ejus egreſſum ante fores palatij expectaſſet, nec admiſſus ad colloquium fuiſſet illo inconſulto diſcederet & dixiſſe fertur, aut Haganonem quandoque cum Carolo regnaturum aut Carolum cum Hagonone ad rerum mediocritatem venturum: Quod tum temporis propemodum eveniſſet, niſi prudentia Hereverii Archiepiſcopi Remenſis interveniſſet. Hoc autem

anno viceſimo poſt nongenteſimum Carolus Sueſſione à ſuis admonitus ut Haganonem, quem ex mediori potentem fecerat, à ſe dimitteret & alios ſibi conſiliarios ex antiquis Francorum familiis adſciſceret, cum parere bene monentibus recuſaret, ab omnibus Comitibus deſeritur à ſolo Heriveo Archiepiſcopo recolligitur, qui ipſum per diœceſim ſuam totos ſeptem menſes circumducit, dum Principes ipſi & ipſum regno reſtituit. Eo tempore Lotharienſes cum Duce ſuo Giſelberto ad Carolum revertuntur. Carolus anno ſequenti in Lotharingiam movet adverſus Requinum & occupatis aliquot locis, quos ille præſidiis tenebat, factiſque cum Henrico Aucupe induciis uſq; ad Martini miſſam, ut loquitur Frodoardus præſbiter Remenſis Laudinum revertitur. Deinde cum Henrico Rege pacem facit.

*Caroli Simplicis inconſiderantia.*

Cum autem Giſelbertus identidem res novas in Lotharigia moliretur, Carolus iis compertis, exercitu ingenti comparato etiam hibernis menſibus Lotharingiam hoſtiliter invadit, eam cædibus, incendiis & rapinis vaſtam facit & Lugdunum cum præda revertitur. Habebat Hugo Roberti Comitis Pariſienſis filius Rothildis filiam in uxorem.

Rothildis autem erat amita Caroli & Hugonis ſocrus, illi Carolus hoc tempore Calam Monaſterium adimit & Haganoni ſuo donat.

Inde nova ſimultas inter ipſum & Hugonem cæteroſque Optimates oritur Carolus cum Haganone fuga ſe ultra Moſam periculo ſubducit.

Hugo Carolum à tergo cum duobus militum millibus ſequitur, ſed in itinere in Giſlebertum incidens cum eo ad patrem ſuum revertitur. Quo cognito & Carolus in Galliam redit.

Interea

Interea inter Carolum & Robertum Ottonis olim Regis fratrem multæ & variæ committuntur velitationes.

Roberti milites Lauduno capto Haganonis theſauros diripiunt, Carolus fruſtra tentato Lauduno, cum videret Roberti copias quotidie grandeſcere, ſuas imminui, iterum cum Haganone Moſam tranſit.

Franci Robertum quinta Iulii anno 922. Regem & Seniorem creant, Carolum excludunt, eumque Rhenus Heriveus Archiepiſcopus more ſolito ungit & diademate exornat: Heriveus triduo poſt ex concepta animi ægritudine, ſexto nempe Nonas Iulij, quatriduo antequam viceſimam ſecundam ſui Epiſcopatus expleret annum è terra & vita migrat. Ei ſurrogatur Seulfus Rhenenſis Eccleſiæ tum Archidiaconus.

Interea Capræmontem in Lotharingia Giſelberti caſtrum Rex Carolus obſidet: ad eum depellendum Robertus novus Rex filium ſuum Hugonem mittit, qui Carolum abire re infecta cogit, acceptiſque à Lotharienſibus quibuſdam obſidibus ad patrem remeat.

Sequenti anno menſe Majo Carolus conventum populi agit Pladellæ in Brabantiæ Campania, ubi inter cætera Theodorico Friſio Gerolphi filio ſuo clienti donat Eccleſiam Egmondenſem, cum omnibus ad eam Iure pertinētibus à loco qui dicitur Surdherdeshage uſque ad Fortrapam & Kinhem, idque ad preces Haganonis Comitis venerabilis. Deinde collecto milite in Franciam revertitur ut cum Roberto novo Rege prælium committat. *Carolus Robertum novum Regem occidit.*

Robertus autem in Lotharingiam profectus, ut ejus ſibi Incolas conciliaret, ad Ruram occidentalem in ripuariis

Hericum Regem Germaniæ convenit: cum eo convivatur, & datis ultro citroque muneribus amicitiam jungit. A quibuſdam Lothorienſibus obſides accipit & inducias uſque in Kalendas menſis Octobris concedit, plane ignarus quid ſerus veſper vehat.

Cum autem in Franciam eſſet reverſus & ad Sueſſionem cum multo exercitu conſideret otioſus Carolus die Dominico decima quinta menſis Iunii multis adhuc prandentibus in ipſo meridie in illum cum ſuis movet decem millia adverſariorum & inter eos in prima acie Robertum fortiter pugnantem occidit, conjecta in os ejus uti ſcribūt lancea. Ipſe amiſſis ſeptem ſuorum millibus, quamvis victor, victoria uti neſcit, ſed Lotharienſibus à ſe domum remiſſis, in Francia quidem manet, verum nihil dignum memoriæ efficit.

Interim Hugo Roberti filius & Herebertus cæterique ejus factionis proceres Rudolphum Richardi filium Burgundis Ducem ad Regni diadema evocant: qui illis ſtatim cum ingenti ſuorum manu haud ſegniter occurrit. Carolus in auxilium Normannos vocat qui ne cum illo conjungantur Rudolphus cum Francorum præſidiis ſuper Iſara fluvio ſe medium interponit, & Normannos à Carolo avertit. Quo comperto Carolus trans Moſam ad Lotharienſes iterum confugit.

Bonnæ cum Henrico Imperatore congreditur eique Lotharingiam reddit, & ſe in tutelam dat Epiſcopis, & Comitibus utrumque factum approbantibus.

*Rodolphus Rex eligitur contra Carolum.*

Franci die Dominico tertio decimo menſis Iulii Sueſſionis in æde D. Medardi Rodulphum Conradi filium Hugonis nepotem Regem creant & ſceptro donant, & ut

major

major ſit perfidia Herebertus Veremanduorum Comes Bernardum Silvanectenſem, Pipini Filium conſobrinum ſuum, cum quibuſdam aliis ignarum conſilii, quod ipſe coquebat, ad Carolum Regem legat. Vt depoſita ſimultate ac diffidētia ad ſe in Veremanduos veniat, ſe daturum operam ut reconciliatis Principum animis, dignitati reſtituatur antiquæ, jam antea Carolus pro ea re ad Herebertum & Suephum Archiepiſcopum Legatos miſerat, ſed incaſſum: nunc invitatus miſer&vere ſimplex, quod valde cupiebat, facile credit, itaque cum paucis nihil mali ſuſpicans ad propinquum & clientem ſuum Herebertū Carolus proficiſcitur, ab illoque primum ſatis humaniter accipitur, ſed Comitibus ejus abire & ad propria redire juſſis, confeſtim ad Quintini fanum in cuſtodiam datur, inde ad Theodorici caſtellum ducitur: tandem Perona clauditur. Vbi diem obit extremum atque etiam ſepelitur, ut poſtea latius explicabimus.

Nunc ad Theodoricum redeamus qui Friſius & primus Hollandiæ Comes ab auctoribus appellatur: huic Carolus iſte Simplex Eccleſiam Egmondenſem dedit. Hoc donationis inſtrumento, quod de verbo ad verbum ſequitur in hunc modum.

*Donatio Caroli Simplicis in Theodoricum primum Hollandiæ Comitem.*

*In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis: Karolus divina propitiante clementia Rex Frācorum: Regalis celſitudinis eſt noſtros & fideles ſuos donis multiplicibus honorare. Idcirco notum fieri volumus omnibus fidelibus S. Dei Eccleſiæ præſentibus ſcilicet atque futuris. quomodo adiens præſentiam ſolij noſtri Haga-*

*no*

*no venerabilis Comes expetijt à noſtra manſuetudine, dari cuidam fideli noſtro nomine Theodorico, quaſdam res, Eccleſiam videlicet Hecmunda cum omnibus ad eam Iure pertinentibus, à loco qui dicitur Suidherdeshage uſque ad Fortrapa & Kinnen, cuius petitionem benigne (uti decebat) ſuſcipientes, concedimus præfato fideli noſtro hæc omnia ex integro cum mancipijs quæſitis & inquirendis, pratis, Sylvis, paſcuis, aquis ſive aquarum decurſibus: præcipientéſque iubemus, ut ſicut reliquis poßeſſionibus, quibus Iure hæreditario uti videtur, ita & his noſtri muneris largitate rebus impenſis valeat ſecure omni tempore vitæ ſuæ frui ipſe & omnis eius poſteritas. Vnde & hoc præceptum noſtræ clementiæ ei ſuper his conſcribi iuſſimus, per quod præcipimus atque mandamus ut libere hæc omnia teneat atque poſſideat habeatq́; de his poteſtatem iuxta libitum ſuum ordinandi ſeu faciendi. Deo in omnibus propitiante, & nemine inquietante. Et ut hoc noſtræ largitionis munus per ſuccedentia tempora firmius habeatur & attentius obſervetur, manu propria ſubter firmavimus & annuli noſtri*

*ſtri*

*ſtri impreſſione juſsimus ſigillari. Signum Caroli Glorioſiſsimi Regis Hagano Notarius ad vicem Rudgari Archiepiſcopi ſummique Cancellarij recognovit. Datum 17. Kalend. Iunii indictione 11. anno 30. regnante domino Karolo Rege, redintegrante 25. largiore vero hæreditate indepta 10, Actum Padella villa feliciter.*

*Indictione II die 17 Kalē. Iunii anno Chriſti 923.*

Hoc Diploma hactenus ab Hiſtoricis parum attentis Carolo Calvo attributum fuit ob epocham corruptam, quam nos in integrum reſtituimus, Apud Ianum Douſam in Annalibus Hollandiæ detruncatum legitur, ut etiam apud Chronicon Hollandiæ majus quod Ioanni à Leidis adſcribitur. Ego veritatem aſſecutus eventu ſatis inopinato, quem hic breviter Lectori exponam.

Decreveram ante annos quam plurimos Chronicon Ioannis Becani de Epiſcopis Vltrajectinis & Comitibus Hollandiæ cum appendice, Suffridi Petri in lucem edere, eique ut interpretem addere Wilhelmum Hædam præpoſitum Arnhemenſem. Egeram quoque cum AEgidio Radæo Ordinum Friſiæ Typographo ut is Becanum exprimeret, cum tempus conſtitutum adveniſſet, ſcribit mihi Franekera Radæus ſibi compertum eſſe Franciſcum Douſam Iani filium, deinde & Canonicum quendam Vltrajectinum Hædæ publicationem moliri, quorum conatus ſi procederet, ſuam impreſſionem ſibi futurum detrimento.

Erat autem ille Vltrajectinus Friſius & apud Vltrajecti-

nos Decanus qui multum & longo tempore in Hæda e-mēdando deſudaverat, ut ipſe coram mihi narravit de Becano edendo mecum in Friſia colloquens. Cum autem Radæo reſponderem, me uon de Hæda, ſed de Becano ſecum egiſſe: ille Ioannem Ioannis Bibliopolam Arnhemenſem incuſare, quod papyrum quam eſſet pollicitus in tempore non miſiſſet. Itaque fruſtratus editionem Becani differre in aliud tempus ſum coactus, triſtis interim quod conſilium meum. quod patriæ honorificum & fructuoſum fore exiſtimabam non procederet.

Interea non multo poſt Decanus ille Vltrajectinus moritur & fratris ſui liberos reliquit hæredes: quod ubi comperior, ad illorum majorem natu, qui etiam Canonicum agebat, ſcribo, quoniam patruus eſſet defunctus & multum laboris in Hædam impendiſſet, ne ille labor ſit irritus ut mihi iſtum qualemcunq; velit credere, me daturũ operam ut lucem aſpiciat & defuncti gloriæ ſatisfaciat. Canonicus autem ille ad literas, quamvis à duobus I. V. Doctoribus ei propinquitate ſanguinis bene notis & à me ſubſcriptas, nihil reſpondet, ſed anno vertente ipſus in Friſiam venit. Quod ubi reſciſco, equidem propinquos ſtatim rogo, præſentem de ſcriptis patrui mihi concredendis ſerio admoneant: illi quidem primo tergiverſari, ſed tamen mihi bene velle. Itaque vadit tandem me comitante ad ipſum ejus conſobrinus Doctor Iuris. Is primum repetit meas literas antea ſcriptas & mirari ſe ait cur nihil reſpondeat, orare amicos, ut operam patrui, quam is in Hædam præſtitiſſet, mihi committeret, hoc illi & laudi & quæſtui fore. Quid multa? cum dixiſſet volumen eſſe magnum & jam dudum à patruo fuiſſe editum ſi ei de Hollandiæ Comitatus initiis bene conſtitiſſet: ejus rei ignorantiam ſolam hactenus obſtetiſſe, quominus eſſet à patruo publicatum. Et ego meam operam in id pollicerer,

promittit

promittit tandem volumen miſſurum, quamprimum Vltrajectum revertiſſet, verum eo reverſus promiſſis non ſtat, quamvis & alii propinqui, ut fidem ſervaret, obnixè illum tunc rogaſſent: reſcribit tamen per agnati ſui viduam, ſe de Hæda ſine fratris ſui conſenſu ſtatuere nihil poſſe: deinde offerre Franciſcum Douſam ſatis lautum eo nomine honorarium, quod magis è re familiari eſſet futurum.

Anno autem ſequenti Civiam oppidum profecturus à propinquo ejus N. viro doctiſſimo, clariſſimoque epiſtolam peto qua Canonicum datæ fidei admoneat: quoniam Vltrajecto mihi eſſet transeundum: verum haud impetro: quandoquidem is ob lenitatem viri ei ſcribere dedignabatur: literas tamen ad virum Clariſſimum & Dominum D. Hugonem Ruiſſium Provinciales Curiæ apud Vltrajectinos Senatorem ſpectabilem impertit, quibus me cõmendabat, rogabatque ut is mihi adjumento eſſet ad Hædam à Canonico obtinendum. Hugo autem lectis literis me humaniſſime excipit, famulumque ſuum illico mittit Canonicum accerſitum, qui etiam non multo poſt advenit: & repetenti mihi literas amicorum & promiſſa ipſius, e veſtigio reſpondet; ſe Hædam tradidiſſe Douſæ, operam patrui in eum fuiſſe exiguam vix duodecim philyras complexam: ex ea Douſæ nihil aut parum acceſſiſſe commodi. cum autem ego ſubjicerem: atqui mihi & propinquis aliter eras pollicitus, nihil aliud elicere potui, quam Douſam habere. Ruſſio ad hæc & me nos invicem aſpicientibus, ille nobis ſalutem comprecatus, ſe in viam dat & abit.

Sic iterum fruſtratus aliquid ſolatii ex Ruſſi benevolentia capio, qui habito de mea conditione & officio inter nos colloquio, tandem ſubjicit, ſe favere meis conatibus & cupere etiam ſi poſſit eis opitulari: habere ſe Chronicon

Egmondenſis cœnobii cujus uſum mihi libenter imperti-ri velit, ſi aliquam ex eo utilitatem ſperem, cum autem ego ejus videndi eſſem percupidus, rogaremque ut illud depromere ne graveretur: ille confeſtim id ex tablino ad-fert &mihi liberaliſſime porrigit: quo inſpecto vide$^{o}$ſtatim ea quæ mihi uſui fore putabam. Itaque è veſtigio conſcri-pta ſyngrapha de reſtituendo, librum accipio ac gratis a-ctis, quoniam & alii ipſum conventum advenerant, ce-lerrimè recedo, ut illo die Amſtelrodamum redirem. In curru legendi tempus non erat, gaudeo tamen commo-dato mirificè ignarus Theſaurum an carbones portarem.

Domum reverſus librum evolvo, invenio ſtatim ejus Auctorem Ioannem de Leidis Carmelitam qui idem & Chronici Hollandici quod diviſionibus diſtinctim, eſt au-ctor, offertur ibidem deinde Carolinæ donationis exem-plum ex quo Hollandi ſui Comitatus initia auſpicantur. Hoc modo dum Hædam venor in Ioannem Carmelitam incido: & Theſaurum ex improviſo reperio: quem mo-nachus capere non potuit, ille enim id inſtrumentum Ca-rolo Calvo adſcribit contra ipſius inſtrumenti epochas, quæ in illo tres reperiuntur & manifeſte Carolum Simpli-cem & non Calvum deſignant. Miror hominis ſtupidita-tem & aliorum qui iſtas Epochas legiſſent & non animad-vertiſſent.

Hujus libri titulus eſt. Annales Regalium Abbatum Cœnobii Egmondenſis: ejus capite ſexto extat, hoc di-ploma Carolinum, de quo agimus: mutilatum quidem in fine, ſed à nobis ex collatione aliorum inſtrumentorum ſuæ integritati reſtitutum ſcriptum aũt ibi eſt hoc modo.

*Hagano Notarius ad vicem Rotgeri Archi-*

*epiſcopi*

*epiſcopi ſummiq; Cancellarij recognovit, datum anno Domini octingenteſimo S.30.17. Kalendas Iunij indictione undecima, Anno viceſimo regnante Domino Carolo Rege, redintegrante vigeſimo quinto largiore vero hæreditate redempta, actum Pladella villa feliciter.* Epochæ diplomatis examinatæ.

In hac temporum notatione, primum conſtare non poteſt annorum Chriſti deſignatio, quandoquidem ea per adjectionem Rudgerii Archiepiſcopi omnino evertitur: qui primum anno Nongenteſimo quarto decimo factus eſt præſul Treverenſis & ſic tandem Cancellarius Caroli Regis. Indictio quidem undecima cum anno 863. concordat, ſed obſtant cæteræ Epochæ quæ adduntur. Reliqua enim ſubſcriptio diſtinguitur annis primum regnantis, deinde regnum recuperantis & tandem largioris hæreditatis indeptæ: quæ diſtinctio Caroli Calvo convenire non poteſt. deletis igitur Chriſti annis videamus cui demum anno Caroli regnantis indictio conveniat. De Iano Douſa ſupra diximus, qui hoc diploma ad annum Chriſti 913. redigere voluit, verum is ab indictione refellitur, quæ eo anno non eſt undecima, ſed prima. Igitur ut veritatem aſſequamur videamus quos annos indictio undecima apud Hiſtoriam occupet. tenet autem annum 863. 878. 893. 908. & demum 923. Si ob Rudgeri Archiepiſcopi initium quod in annum 914. incidit priores ſupra ſcripti anni ſub undecimam indictionem cadentes, Epochæ noſtri diplomatis eſſe non poſſunt, reliquum eſt, ut annus 923. cum indictione undecima concurrens veram diplomatis Epocham neceſſario indicet.

Duo ſuperioris adducta diplomata Carolo Simplici

adſcripta nos manifeſto de annis ejus docent, ut non ſit opus aliundo teſtimonia ad eam rem inquirere. Primi diplomatis quod apud Aimonum extat & nos ſupra retulimus, indictio eſt ſexta. Regnantis annus eſt, 26. regnum recuperantis 21. indeptæ largioris hæreditatis. 6. Indictio ſexta annum Chriſti 918. ſignificat. Inde ſi auferas annos 26, remanebunt anni 892, quibus completis regnare cæpit Carolus. anno enim 893. quinto Kal. Februarias à Fulcone Archiepiſcopo Rhemenſi eſt unctus & à proceribus regnare juſſus, quemadmodum & ſupra bis ſcripſimus. Hinc in vita Simplicis ſcribit Paulus AEmilius: Francos Ottonem biennio poſtquam eum Regem ſalutaſſet in Aquitania omnino regnare juſsiſſe, cætera Francia abſtinere. Fulconem coegiſſe Carolum Simplicem Duodecimum ætatis agentem inungere. quod ratio calculi etiam comprobat anno enim 879. die veneris Idibus Aprilis Ludovicus Balbus pater è vita migrat & anno ſeqenti in fine Ianuarii Carolus naſcitur. Iam ſi annos viginti & unum redintegrati regni auferas ab annis 918. reſtabunt anni 897 quibus elapſis. 3. Ianuarii Otto Rex moritur atque regnum redintegrat Carolus. hinc AEmilius ibidem, cum Simplex [ inquit ] undeviceſimum annum ageret Otto æger illi regnum reſtitui jubet. Eodem modo ſi ſex annos indeptæ largioris hæreditatis abſtuleris à 918, reſtabunt 912. quibus decurſis Rex Carolus Lotharingiam occupavit & uſque ad captivitatem ſuam retinuit, atque ita largiorem hæreditatem eſt indeptus. Errat igitur Paulus AEmilius una cum Sigeberto Monacho Geinblacenſi, qui Lotharingiæ occupationem in annum decimum ſextum rejiciũt, cum ſecundum hæc publica ſuperius recitata documenta in annum decimum tertium ſupra nongenteſimum cadat.

Vt autem ad noſtri diplomatis reſtitutionem perveniamus

niamus, Regni Carolini initium ponimus in annum Chriſti 893. ejus redintegrationem in 896. & largiorem hæreditatem in 913. rejicimus, unde ab anno 893 uſque in annum 923, ſunt anni 30. ab anno 898. currente uſque in annum 923 ſunt anni 25. ab anno 915. item currente uſque in annum eundem 923. ſunt anni decem. Scribemus igitur Epochas deletis Chriſti annis, Anno trigeſimo Regnante Carolo Rege, Redintegrante vigeſimo quinto, Largiore vero hæreditate indepta decimo, actum Pladella Villa feliciter, ut & nos antea ſcripſimus. *Epochæ diplomatis Carolini veræ.*

Sed & de die Menſis quo collata hæc donatio eſt cõtroverſiam facit, diverſa ſcriptura. Hi annales Egmondani diē ponunt decimum ſeptimum Kalendarũ Iunii, qui eſt dies decimus ſextus Maii: at reliqui omnes ſtatuunt diem 17. Kal. Iulii id eſt Iunii decimum quintum: qui ſecundũ Vignerium dies eſt pugnæ inter Carolum & Robertum Reges. Vt igitur ſuſpicionem falſi evitemus, ſequamur Annales Egmondenſes, qui optime cum Hiſtoria congruunt. Sic enim inter pugnam & donationem Caroli intererunt dies triginta & unus, qui alioqui in unum & eundem diem incidunt, quod eſt abſurdum & à veritate alienum. Totum itaque inſtrumentum ſuæ integritati per me ſcribatur eo modo quo ſupra retulimus.

Atque hæc ſunt duo inſtrumenta illa & fundamenta quibus ſua primordia atque origines ſe debere fatetur domus Hollandica, quibuſque dominatum in Friſios conatur aſtruere hi parietes & hoc tectum ejus. In iis tria vocabula plerumque ſunt controverſa: quorum primum eſt Suydherdeshaga: alterum Fortrapa: tertium Kinhenum. De Suydherdeshaga ſupra ſententiam noſtram explicavimus quam hic repetere non puto operæprecium. Fortrapam Ianus Douſa ait, municipium

pium in Borſaliæ inſulæ Zelandiæ æſtuario una cum aliis pagis eſſe ſubmerſum ejuſque hodie nullum apparere veſtigium, niſi in rationum tabulis. Kinnum eſſe fluvium qui Weſtphriſiam Kinnemarius ſive Caninefatibus determinet.

*l. 5. p. 123.*

His itaque obiter conſideratis, miror quid in mentem veniat Hollandis, cur Friſios iiſdem terminis contineri ſibi perſuadeant, cum in neutro iſtorum diplomatum ulla fiat illorum mentio. Credo æquidem ampliſſimam indictionem illis contineri, ſed quonam modo etiam in Friſios extendi poſſet, haud ſane intelligo. Dominus Nortvici Ianus Douſa nobis perſuadere ſatagit ut credamus ſucceſſorio Iure Hollandis Friſiam deberi: ſed fruſtra ſudat: nam etſi credam dicenti alium neminem quam Gerolphũ Friſonum Comitis titulo ab Abbate Prumienſi decoratum, Walgario ſive Walgero Comiti ac Diederico patrem eſſe potuiſſe, putemque id ipſum mihi Delphis reſponſum: Non tamen inde ſequitur quod illatum ipſe cupit, non eſſe mirum aut novum ſi eidem mortuo Diedericus paternam Friſici Comitatus ſucceſſionem ad natos natorum & qui deinceps ex iiſdem ſint prognati poſt tot porro ſecula legitimo hæreditari Iuris titulo continuata tranſmittat. Nam cum hic ambiguitate ludat in vocabulis Friſonum atque Comitum, facile perſpicitur eam ſententiam veram eſſe non poſſe, niſi cum diſtinctione ſuperiori Eſt enim illud expreſſe Iuris & moris ut filius & nepos in officiis temporalibus non ſuccedat: qualia tunc Comitum officia habebantur, ut omnibus in Hiſtoria verſatis eſt notum. deinde Friſios Ciſrhenanos in ſuperiores & inferiores fuiſſe diviſos: ideoque fatemur quidem Theodorum potuiſſe illas ditiones quas à patre Gerolpho hæreditario in Aelburgo cæteriſque viciniis pagis, ut ſupra vidimus, poſſeſſas, acceperit, ſuis natis atque nepotibus relinquere

*An Holland. de Comites jus habeant in Friſiam.*

linquere. Cum vero liquidò à nobis demonſtratum atque adeo apud ipſum Douſam ſit in confeſſo Gerolpho fuiſſe patrem Tiedericum, deinde & probabili conjectura docuerimus eundem fuiſſe Altenaci Comitem & ſic à domo Clivica oriundum, habitaſſe in Teiſterbantiæ Comitatu, qui extra Hollandiam cis Rhenum ſitus nimirum & hoc eadem opera probavimus, Iuriſdictionem ejus aut filii Gerolphi, à quo Ius in Friſiam in Diedericum primum exiſtimatur, derivatum, non potuiſſe in inferiores Friſios, multo minus in TransRhenanos extendi: præſertim cum iidem Friſii cum Waterlandia ab eadem Comitis Iuriſdictione in Adelboldi Epiſcopi Vltrajectini Vaſallorum catalogo diſertim excipiuntur, ut apud Hædam in ejus vita eſt videre. Quod miror cur Douſa aut noluerit aut non potuerit animadvertere, cum illic tam ſit in promptu, ut neminem latere poſſit.

Sit igitur Gerolphus Friſiæ Comes ſed ſuperioris, ſit Walgeri, Ameidæ portitoris ſive Comitis in Aviſato, & Diederici Principis Hollandiæ parens: ſed abſtineat ab ulteriori Friſia, Waterlandia & TransRenana: ſuccedant illis poſteri. ſed libertatem alienam ne impugnent, vivant feliciter in ſuis ditionibus. A vicinorum injuriis abſtineant ſuiſque rebus denique contenti ſint.

*Ait porro Douſa Cuius rei ignoratio auctori Chronici illius Vernaculi (rythmis conſcripti) multo vetuſtiſſimi cauſam præbuit, ut Friſici Comitatis ſucceſſionem etiam tum indeciſam ac velut in ſuſpenſo relinqueret, idque occaſione Diplomatis repræſentati jam modo.*

Dubitavit de ſucceſſione in Comitatum Friſiorum auctor Chronici Vernaculi, quia neſciebat Theodoricum Gerolpho fuiſſe prognatum & Iure Hæreditario Diploma Gerolphi patris ad filium perveniſſe. At de eo dubitare Chronographus & Douſa debuerant, quomodo regnum Friſiæ in Comitatus nomen tam ſubito ſit converſum, ſi is Comitatus omnes Friſiæ quondam aſſignatas provintias ſuo complexu compræhendat. Imo Diploma illud Gerolphinianum examinaſſet meliori trutina, quam fecit, ipſa locorum deſignatio, quæ in illo, facile omnem dubitationem ſuſtuliſſet.

*Ait Douſa: Quod idem anonymus ille (quem dico) ſcriptor, quonam Iure vel caſu in principum noſtrorum ſcrinia ſive tabularia irrepſerit mirari ſeſe pariter ac neſcire ingenue profitetur: niſi Gerolpho forte abſq; liberis defuncto, Legatarius ex teſtamento hæres Diedericus utique ſucceſſerit: de quo tamen nihil quicquam pro comperto aſſeverare poſſit. Iudicium ſuum interponere vel fidem veri in ſe recipere non audet.*

Laudatur hoc loco Chronici illius Auctor, quod ingenuè ignorantiam ſuam ſit confeſſus, quodque ſententiam ſuam in dubio ſuſpenderit. Laudo & ego eundem. Additur deinde ratio, quam vellem ubique obſervaſſent aliorum rigidi criminatores, placidiùs enim cum multis ageretur, qui nunc toti mundi ad deridendum propinantur.

*Ait enim. Vt qui Reginonis Chronicon non viderit*

*derit neque de captioſa illa (quam ſuperius expoſuimus) per Gerolphum & Gardolphum Friſionum Comites ad Carolum Craſſum Imp: Godefridi Regis obita legatione, in tanta temporum barbarie, vel inaudire quippiam vel reſciſcere alicundè potuerit, nedum Eberhardum ducem Megonardo patre prognatum à VValtgario Friſone Gerolphi filio Diederici Comitis noſtri Fratre & quidem Germano, dum Venatum proficiſcitur per fraudem interfectum.*

Si laudandus aut excuſandus qui ſcriptores non vidit ex quibus doceri meliora potuerat, multum ſane peccamus, cum eo nomine alios repræhendimus, quibus archiva populi aut ejuſdem tabularia non patuerunt, minus enim peccant ii, qui ignorant ea, quæ ſub clavibus tenentur, quàm qui publicata non pernoſcunt, egregia vero principum laudatio ſi & inſidiarum conſcii & cædium patroni deſignentur cum tanta emphaſi.

*Ait deinde: ex quarum adeo narrationum in unum pariter collatarum conſentiente & pene conſpirante judicio, nos ad ipſius veri inveſtigationem penetrare auſi primitus, ecquidnam ſuper hac re tota pronunciari in præſens, ſimulq́ in poſterum decerni debeat diiudicavimus iam antea, & quidem ita, ut ſi quis contra*

*obfirmato animo pertendat, is inſcitiam ipſe ſuam denudaturus potius, quam Hiſtoriæ noſtræ fidem labefacturus videatur.*

Iſtum triumphum ſexcenties jam audivimus, ſed quam ſit inanis hinc cognoſci poteſt, quod partim Regino Abbas Prumienſis ea prodidit, qui omnium manibus hodie teritur: partim Egmondenſis Cœnobii diploma, quod Theodoricum Waltgarii Fratrem appellat quod tamen Douſam hactenus latuit. Qui quidem dixit: primitus Gerolphum fuiſſe Waltgarii & Theodorici patrem, eundemque Comitem Friſiorum ſed non ſolum: habuiſſe enim ſocium Gardulphum, qui ſimul Friſonum Comes ſit nuncupatus. Quis autem Gerolpho pater eſſet, indicare quidem Douſa voluit, ſed cum magno errore exiſtimans eum eſſe illum Theodoricum, qui Ludovico Balbo Francorum Regi à cubiculo ab eodem dictus ſit Comes Auguſtodunenſis & à Ludovico Rege Germaniæ ad annum 868. Vaſdam Foreſtum (ut vocant) dono acceperit: Quod dictu nefas eſt, quandoquidem donationis illius Epocha hanc ſententiam manifeſto refellit, utpote quæ in annum Chriſti 960. primum incidat, ut nos jam antea diximus & pleniùs ſequenti libro probabimus.

Sed quid quæſo & hoc Douſæ triumpho concluditur aliud niſi inconſequens, ex ſpecie genus, & ex parte totum. Gerolphus, inquit, eſt quidem Comes Friſiorum ergo omnium Friſiorum: qui fieri hoc poteſt cum etiam Gardolphus ſit Comes eorundem. Ioannes Aventinus in Boyorum Hiſtoria hanc narrationem ex Reginone recitans Gerolphum & Gardolphum non Comites ſed primores appellat, recte intelligens plures in Friſia tum temporis fuiſſe viros primarios, quibus, ne Comites dicerentur,

tur, publica libertas obſtabat: quamquam quid aliud illo tempore nomen Comitis deſignabat quàm officium publicum Iuriſdictioni deputatum. Rectiùs Douſa ab Hollandis Ius in Friſios ſuo Comiti aſſeruiſſet, cum dicat Hollandos eſſe Normannos. Normanni enim totius Friſiæ fuerunt aliquando domini ex Caroli Craſſi donatione. Enimvero Gerolphum dicere Normannum aut Normanni hæredem non audet: quamobrem & illa concluſione non utitur: pergit tamen exclamare:

*Quid (inquiens) quod eadem etiam liberi pariter & veridici oris fiducia nos uſos audacter prædicare poſſumus & decantatiſſimi illius privilegii pondere elevando, quo etiamnum hodie ſeſe à Carolo Magno cohoneſtatos Friſii præ cæteris gentibus gloriantur.*

Hæc eſt coronis totius in Friſiorum libertatem, per ſummam invidiã ingeſte diſputationis, qua Douſa conatus eſt deſignare Hollandos etiam Friſiorũ fuiſſe & eſſe Dominos. Primum dixit implicite, ut ſic loquar, Friſios una cum Saxonibus ob rebellionem à Carolo Magno in Galliam trãſportatos, quod quamvis nemo Hiſtoricorum ejus ætatis in ſcriptis reliquerit: conſequi tamen neceſſe eſt, ſi à Ludovico Pio Friſii fuerint in integrum reſtituti quod ſimiliter nemo ſcripſit præter ſarcinatorem Aimonium. Secundo authoritatem Alberti Crantzii adduxit, quem diximus nobis parum videri æquum, utpote qui teſtibus privilegio Friſiorum adſcriptis, loquatur ea, quæ ipſe nunquam probaverit nec quiſquam ſcire poteſt vera ſint, nec ne? quum nec inſtrumentum privilegii quod ipſe viderit exhibere voluerit, nec teſtes nominari quos falſos pronunciavit. Nunc tertium adducit teſtem, non tum ut liberta-

tem Friſiorum infringat, quam ut probat Monacho nihil eſſe impudentius, quemadmodum vulgari proverbio dicitur. Quid enim eo impudentius, quam aliquem inſcitiæ nomine traducere, qui ipſe ſit inſcientiſſimus. Anonymus ille Cronici Rythmici apud Hollandos auctor, Friſios vocat populum impudentem & ignarum Hiſtoriarũ quandoquidem ſe dicit à Carolo Magno donatos libertate, quum refellantur Gerolphi Comitis Friſiorum diplomate & aliorum documentis, quæ probant ipſos totos annos ducentos dominorum poteſtati fuiſſe ſubjectos, poſt Caroli Imperatoris obitum: quod ut ille Monachus Anonymus impudenter fingit, ita ſuam illo cum imperitiam tum rerum geſtarum ſupinam ignorantiam manifeſto deridendum exponit Primum enim ignorat alios eſſe & fuiſſe Friſios, quorum Comes fuerit Gerolphus, ut nos ſupra oſtendimus, & alios quibus Gerolphi poſteritas præter æquum & bonum ſervitutis jugum imponere voluit. Deinde & hoc ignorat ſeculo Caroli Magni & deinceps Comites non pluris æſtimatos, quam Civitatum & Villarum præfectos, quorum Iuriſdictio non propria, ſed mandata ad tempus & plerumque ad vitam pro libitu Dominantis conceſſa, eoſdem non tantum à Regibus aut Ducibus creari ſolitos: verum etiam à populo libero, ut in Germania atque adeo Saxoniæ uſurpatam omnes paſsim eorum produnt hiſtoriæ.

Fuerit igitur Gerolphus Friſiorum Comes, ſed illorum qui citra Aelburgum & præter propter in Teiſterbantia tum temporis habitabant. At ideone ſuos quoque limites tranſiliet & ultra Rhenum graſſabitur? Si Monachus iſte tam eſt peritus rerum ut videri vult, dum Friſios imperitiæ arceſsit, oſtendat nobis vel unum in diplomate Gerolphi locum, qui apud Friſios inferiores & trans-rhenanos ſitus ſit & tanquam victi manus ei dabimus:

Friſia olim ante Carolum Magnum (qui illud deſtruxit) Regum fuiſſe ſcribitur: quod & Douſa libens confitetur, à quibuſdam vero auctoribus Ducatus titulo inſignitur propter Comitatuum multitudinem, quos in ſe fuit complexa, qui ſane nihil aliud tum fuerunt, quàm Præfecturæ ad Ius dicendum comparatæ: quæ hodie apud Friſios trans Rhenanos, ut & olim, vocantur Grætaniæ, vocabulo ipſis vernaculo, apud alios Comitatus & Satrapiæ. Si ex vocabulo Comitis Friſiorum, quo indigitatur Gerolphus Regnum vel Ducatus totius Friſiæ in Comitatum abiit unum, valde mirum videri debet, cur ejus poſteri ab Hollandia, quam partem fatetur iſte Monachus à Friſia diremptam, ſibi titulum & cognomen fuerint mutuati? Splendidius enim multo propter antiquitatẽ Friſiæ cognomentum fuiſſet & ad auctoritatem, ſi illo Gerolphi Comitatui tota Friſia ſuiſſet compræhenſa. Sed prudentiores fuerunt ſuo Monacho Hollandi Principes quam ut ſibi Friſiæ nomen arrogarent, utpote cujus ne quartam quidem partem in ditione haberent.

At ducentos poſt Caroli mortem ſervierunt Friſii aliis principibus. Qui tandem ſunt illi, ô Monache Principes? recenſe nobis iſtos, ut & nos eos agnoſcamus. Anno poſt octingenteſimum quarto atque decimo fatis conceſsit Caralus: ab eo tempore uſque ad Caroli Craſsi ætatem ſunt anni ſexaginta ſex. Interea Friſii ex Caroli victoria Principibus ſuis tributum annuum viginti librarum auri pepẽderunt: libertati tamen à Ludovico Pio reſtituti, ut etiam Douſa putat, Interim à Normannis varie vexati tandem ex Caroli Craſsi donatione ceſſerunt in poteſtatem Godefridi Regis Daniæ. At Godefrido in Batavis cæſo Carolus Craſſus Friſiorum opera in Lutgero Saxone capiendo & Romanis caſtigandis uſus eoſdem libertate donavit, tributum remiſit & ſuis vivere Magiſtratibus juſſit quemadmodum

modum libro ſuperiori demonſtravimus. Erravimus fateor, in Epocha privilegii noſtri, & ex Caroli nomine in errorem incidimus, Carolum Donatorem opinati fuiſſe magnum, qui alioqui Groſſus erat: & ſuo cognomine noſtratibus impoſuit. Iam à craſsi morte uſque ad annum milleſimum decimum octavum Friſiorum oppugnatio in Hiſtorijs nulla: omnes pacem colunt & in libertate vivunt, præſertim illi qui nunc Hollandi audiunt & in viciniis habitãt. Si error nominis in Friſiorum diplomate falſitatem inducit, non habent ſane Hollandi cauſam, cur eam Friſiis obiiciunt, cum & ipſi donationes ſuas hactenus Carolo Calvo & Ludovico Germanico, Magno cum errore adſcripſerint, quæ Carolo Simplici & Lothario Francorum Regi manifeſto debentur, ut nunc illis ab humili Friſio ob oculos proponitur & probatur.

Fuerunt quondam Friſij Hiſtoriarum ignari, at erant armorum periti, ignoraverunt; diploma Gerolphianum: at intellexerunt ſe illo non conſtringi, cum ne apex quidem hodie in eo appareat, qui illos attingit, ſciverunt ſe natura duce ad libertatem eſſe natos, ſciverunt eam pro viribus defendendam præſertim contra oppreſſores ejus injuſtos muniti ad hoc Caroli non Magni, ſed Groſsi privilegio, quod nec Gerolphi nec Theodorici patris & filij diplomata valent evertere. Friſij ſua libertate contenti vicinorum fines non appetiverunt, ſuos defenderunt, patriam tutati hoſtes propulſerunt: Injurias non intulerunt, ſed ulti ſunt. Quis igitur illis vitio vertat quod aliena non cognoverint? multo minus quod non attentaverint.

Neq; enim verum eſt quod Douſa huic Monacho ſuccinens temere & ſine judicio porro effutit.

Ex

*Ex Gerolphi Comitatenſi in Friſios dominatu non abſurde conjecturam fieri, totum iſtud inane eſſe & commentitium quidquid de Archaica illa libertatis ſibi à Carolo Magno conceſſa prærogativa Friſiorum vulgis falſo hactenus exiſtimavit.*

Nihil enim commune aut contrarium habet Comitatenſis Gerolphi Dominatus cum Friſiorum antiqua libertate. poteſt enim & libertas Friſiis ſua conſtare & ſuus Comitatus Gerolpho. Friſii enim veri ultra Rheni alveum ſua tenent domicilia ubi late dominantur & ad Eidoram Cymbricæ Cherſoneſi fluvium ſe extendunt: libertatis ſuæ compotes: Gerolphus Comitatum ſuum in Theiſterbantia, cis Rhenum poſſidebat cum ab Arnulpho Imperatore donationes impetrabat literis ſupra recitatis compræhenſas. Quod autem idem à Reginone Abbate vocatur Comes Friſiorum hanc habet rationem, quod & Teiſterbantes & tota Hollandia Friſiæ nomine tum temporis compræhendebantur, ut ipſus Douſa teſtatur, & cum eo etiam Iuſtus Lipſius, Douſa paſſim & præcipue libro ſexto ſuorum Annalium, Batavos Friſiorum nomine cenſitos ait: Lipſius vero in ipſo Lovanio libr. 1. cap. 3. Friſiam [ait] late illa ætas appellat & Hollandiam ipſam (obſervavi) includit. Nam & Renſburga & Flandertinga Friſiæ (ſive ut ipſi Freſiæ) urbes memorantur. Et hæc eſt cauſa cur Gerolphus & Theodoricus filius ejus Friſiorum nomine cenſeantur.

Verum major quæſtio eſt, cum in diplomatis eorum ne una quidem litera Hollandiæ fiat mentio, cur Theodoricus indigitetur Comes Hollandiæ? neque enim Hollandię

*Vide Hugonē Grotium de antiquitate Reipubl. Batavicæ cap. 5*

Hollandia quæ et quid

nomen tam late capiebatur olim atque nunc capitur, ſed certam ditiunculam deſignabat à reliquo Batavorum corpore ſeparatam. In indice Vaſallorum Eccleſiæ Vltrajectinæ ſub Adelboldo Epiſcopo ad annum Chriſti milleſimum viceſimum primũ Comes Hollandiæ dicitur liber feudalis Epiſcopi Trajectenſis & tenere in feudum Comitatũ Hollandiæ & terram Kennemariæ, cum terris, manſis, ſylvis, campis, pratis, paſcuis, mancipis aquis, aquarum decurſibus & juſticia, exceptis dictarum terrarum decimis & terra Waterlandiæ & Weſtfriſiæ, quæ totaliter pertinet ad Epiſcopum & Eccleſiam, & dictus Comes Hollandiæ vocatur & eſt Mareſcalcus Epiſcopi Trajectenſis. In donatione Henrici Quarti Imperatoris ann. c.cIↃ.LXIIII. ubi reſtituũtur bona, ablata Eccleſiæ per Theodoricum Comitem ejus nominis quartum præter cætera transfertur etiam in Epiſcopum Wilhelmum Geldrienſem: Adhuc Comitatus omnis in Hollant cum omnibus ad bannum Regalem pertinentibus ſingulariter conſideratis, uti apud Wilhelmum Hædam inibi eſt videre. In Hungero Epiſcopo undecimo dicitur Anno 895. à Normannis arx incenſa munitiſſima in ea provincia quam Hollandiam vocant, in vico Voorburch. Ibidem ea Regio quæ à Moſellandia uſque Kennemaros inter Oceanum & Oppidum Leitham protẽditur, Hollandia pridem, nũc Riinlandia appellatur. Fuit & vicus Hollandt à quo forſan nomen ceptum, ait idẽ Hæda.

*Hollandiæ deſignatio.*

Igitur primum nomen Comitatus à vico, qui in eo extitit & Hollandia dicebatur, factum eſt: cujus ſi ethymon inquiramus, fruſtra laborabimus: quandoquidem is vicus hodie in rerum natura non extat, ut ejus ſitus & natura cognoſcatur. Propius tamen vero eſt, ut eum vel à ligno vel ab uligine dictum exiſtimemus. Hoc certũ eſt ab anguſtis initiis nomen coeptum & tractu temporis ad omnem poſtea ditionem, quam late patet, interpretatione

[illegible handwritten marginal note]

tione eſſe productum. Illud autem indignum quod aucto-res inter ſe ea de re uſque ad convitia provolant nec permittunt unicuique ſui arbitrii libertatem. Ianus Douſa Tragoram & Braſſicanum (quos vocat) acerbe exagitat, quia à ligno Hollandiam appellari velint. Douſam repræhendit Iohannes Iſacus Pontanus quod à Normannis atque Danis originationem arceſſat, quam ipſe à terræ genio denominatam putat. Idem Furmerii & Suffridi Petri etymologiam ab Olennio deductam, adeo ait, à re omni alienam adeoque ſuffenam ut eam referre inter res ſerias pigeat. Atqui eadem ab Hiſtoria petita eſt & ab Hæda præpoſito Arnhemenſi indicata nec non & ab aliis, præcipue vero à Cappido Staurienſi apud Friſios nobili ſcriptore, celebrata. Putidum vero eſt, cum ipſe nihil certi deſignare poſſis, alios qui à te diſſentiant declarare vanos & ſtolide glorioſos ob cauſam à tuo propoſito deviantem. Regnerus Snoyus Medicus Goudanus inter reliqua ethyma, Hollandiæ nomen à natura populi deducit: quia vulgo Hollen, furere ſignificet, & Batavi quondam fuerint viri bellicoſi ac in armis quaſi furioſi. Ex omnibus in unum comportatis, ſi velis certum eligere, rationes quæ pro uno quoq; producuntur te incertũ facient, quãdoquidem ignoratur utrum ſingulari alicui mẽbro, an in univerſum toti corpori, quod nunc Hollandia dicitur, etymon accõmodari debeat. Nos ſcripſimus quod apud alios invenimus, nec iraſcimur aut maledicimus, ſi quis à nobis diſſentiat, ſit ſuum cuique pulchrum & valeat bene.

Illud autem ex ſuperioribus liceat concludere Hollandiæ Comitem Theodoricum ab oppido ſive vico denominatum, qui cum ulterioris Friſiæ terminus nihil habeat commune, unde in eam aliquid Iuris prætendere poſſit, eundemque ſuam ditionem non ex literis Caroli Simplicis, ſed beneficio ſedis Vltrajectinæ poſſidere, & eâ contemptâ paulatim vicinos invaſiſſe armiſq; in poteſtatẽ re-

degiſſe, quibus donatio Carolina cauſſam & occaſionem dederit. Expetit tamen ad Hiſtoriæ ordinem atque contextum, ut epocham Hollandici Comitatus ab Caroli diplomate auſpicemur, ſicut Dominus Ianus Douſa, & illo vetuſtiores hactenus fecerunt, aliud ejuſdem fundamentum nullum certius invenientes.

Quoniam vero Douſa confitetur, Batavos eo tempore fuiſſe Friſios nuncupatos, qui cis Rhenum habitabant, conſequenter dici poſſit Friſiis plus in Batavos, quorum pars ſunt Hollandi, competere, quam Batavis in Friſios ulteriores, qui à Batavorum nomine ſemper ſunt excluſi: quod hic patriæ nomine reſpondendum putavi: Sed his omiſſis ad hiſtoriam redeamus.

*De uxore Theodorici primi Comitis Hollandiæ*

Movet deinde de Theodorici nuptiis quæſtionem Douſa, negatq́; Genam Pipini junioris Italiæ Regis filiam fuiſſe, idq́; ex temporis lõginquitate cõcludit, quod inter Sponſi & ſoceri vitam intercedit: & recte quidẽ ſi verborũ apices cõſectari velis. Verũ ſi cogites ex Pipini ſtirpe nepotẽ etiam fuiſſe Pipinum, aliter ſtatuas. Nam cum certũ ſit Theodoricũ Comitẽ à Carolo Calvo Simplice donatũ eſſe Egmõda, eundemq́; cum eodem multum & diu converſatũ, procul dubio etiam verum eſt, eundem etiam cum Hereberto Veromanduorum Comite & ejus fratribus habuiſſe notitiam quę matrimonio dederit occaſionem, Herebertus aũt & fratres ejus recta linea à Pipino Rege Italiæ deſcendebant & tam Reges Italiæ dici poterant, quàm Rex Hiſpaniæ, Rex Hieroſolymitanæ nunc à ſuis appellatur. Pipinus enim reliquit filium Bernardum, quem Carolus Magnus patri Pipino Regem Italiæ ſubſtituit. Bernardus à patruo Ludovico Imperatore excæcatus, filium habet Pipinum, qui Bernardum, Pipinum & Herebertum poſteros reliquit. Ex quibus Pipinus Silvanectenſis Comes Bernar-

Bernardum filium habuit: Herebertus Comes Veromanduorum anno 900. occiſus Herbertum cognominem genuit & Bernardi cognati ſui opera uſus eſt in Carolo Simplice circumſcribendo, quemadmodum Nicolaus Vignerius in ſuo de Burgundiis Chronico reliquit ſcriptum.

Pipinus primus Rex Italiæ ſucceſſorem habuit Bernardum filium & quinque filias quarum nomina fuerunt Adelhais, Atala, Gondrada, Betta & Thetrada. quarum Gondrada & Thetrada etiam à Bernardo, Caroli Martelli filio naturali jam antea nominatæ erant, ita ut veriſimile fiat earundem nomina poſtea ſæpius in familia fuiſſe repetita. eamque quæ à poſteris appellata eſt Gena ſive Gonna à prioribus Gondradam fuiſſe dictam. Nam & nomen ejus variæ ſcriptum reperitur & aliquando apud auctores Gonna legitur. quæ fuerit filia hujus Pipini Comitis Silvanectenſis, quam Theodoricus Primus Hollandiæ Comes acceperit uxorem. Hæc enim Pipini ſtirps per Herebertos & eorum cognatos & affines valde tum temporis florebat & in precio erat ut ex Hiſtoria Caroli Simplicis liquido conſtat. Verum hæc mea conjectura fuerit: & tantiſper pro veritate habeatur, dum aliquid oriatur melius.

Laudatur porro Comes Theodoricus à ſuis ob ſtrenuitatem & virtutes militares, quibus contra Normannos ſit uſus cum tamen nullum factum ejus prodant, quod eas virtutes ſapiat. Si enim ejus Comitatum ab anno 923. auſpiceris, nullos in Hollandia Normannos invenias. Sed etſi aliunde Arcoſſas teſtimonia, Hiſtoriæ te deſerent. Poſt illa enim tempora Normanni in Neuſtriam ſe condiderant &in vicinos ejus regionis interdum graſſabantur: cum Belgio nihil rei illis erat, & ſane cum Trajectum poſtea redirent & Vrbem vaſtarent jam ipſi Epiſcopi Trajectenſis o-

mnia inſtauraverant, & ipſe Theodoricus Comes in fatā conceſſerat.

*Mors Theodorici Comitis.*

Dicitur autem imperaſſe annos vel 38. vel. 40: Nam qui Epocham Comitatus in annum 863. coniiciunt. Ajunt illum obiiſſe circa annum 901. aut 903. quem calculum ſi ſequamur, recte definiemus ipſum vel anno 961. vel 963. diem ſuum cauſiſſe extremum, ut eo modo annum Imperii ab Epocha currant, quæ ab anno nongenteſimo vigeſimo tertio incipere ſupra demonſtrata eſt. Enimvero condidit ex ligno cœnobium Theodoricus, in quod ſanctimoniales collocavit, illudque certis donavit reditibus: quod ſane ante acceptam à Carolo Simplice Egmondam facere non potuit, quemadmodum ex rebus donatis clare perſpicitur: quamvis Hollandi illud anno octingenteſimo ſeptuageſimo ſexto conditum velut: idque magno cum errore, utpote qui dicant Theodoricum ſenem in provecta ætate ſua, id religioni didiſſe, ut vitæ ſequioris delicta elueret. Verum enimvero obſcura ſunt hæc tempora denſiſq; tenebris involuta adeo, ut ne conjecturis quidem veritatem aſſequi queas. Vt tamen aliquod ſit Comitatus Hollandici initium certum, conſultum eſt ut diplomatis Carolini Epocham ſequamur & in anno poſt nongenteſimum viceſimo tertio ejus primordium conſtituamus, quemadmodum ſupra demonſtravimus.

*Finis Libri Septimi.*

Annalium

# Annalium Friſicorum
## LIBER OCTAVVS.

COmitatu Hollandiæ utcumque conſtituto, Friſiis meis confeſtim natus eſt æmulus, qui illorum libertati inſidiaretur. Quamvis enim veriſimile non eſt Carolum Regem armata manu donatarium ſuum Theodoricum in poſſeſſionem Hollandiæ & Phriſiæ introduxiſſe & eundem à populis his ejectum ſuæ ditioni reſtituiſſe, propter brevitatem temporis, quod inter donationem & captivitatem Regis Simplicis interceſſit: ex conſequentibus tamen fit manifeſtum jam tum ab initio Hollandos in Friſios inhiaſſe, eorumque libertatem multis & diverſis machinis ſubinde oppugnaſſe. Friſios vero contra, ut fortes viros decebat, ſe ſuaque viriliter defendiſſe non appetantes aliena, ſed ſuam libertatem ſolummodo ſtrenue tueri ſatagentes, ut hiſtoria teſtatur. Habebant autem tum temporis ſui confirmandi ſpacium Friſii dum Normanni in Neuſtria & cum vicinis belligerantur & Belgæ ab eorum incurſionibus vacant. In vicinis omnia erant pacata à principibus, qui tum erant pauci & ſui rebus intuti. In Germania Imperatorem agebat jam ab anno viceſimo hujus ſeculi Henricus Auceps, Dux Saxoniæ. Is anno viceſimo ſecundo Hungaros, Franciam, Alſatiam, Alemanniam, Saxoniamque magna crudelitate depopulantes, ad Mersburgum vicerat, & pene internecione deleverat: Sane capto eorum Duce, viro nobili & ſuis charo, inducias cum illis pepigerat novennales. & quo Germaniam porro pacaret omnes fures, latrones, ſicarios ætate & corpore validos in gratiam receperat, armiſque induerat aſſignatis unde viverent, certis agris eos in unam legionem conjecerat, ut vias atque itinera à Barbarorum incurſibus purgarent, civibus autem parcerent & obſequium præberent.

*Hollandi Friſiis infenſi.*

rent. Anno autem ſequenti apud Bonnam à Simplice Rege acceperat Lotharingiam, quam Caroli nomine Giſelbertus ut Dux ſive Præfectus adminiſtrabat. Reinerus autem pater Giſelberti eam præfecturam à Carolo Craſſo mandatum geſſerat & Carolo Simplici ejus occupandæ auctor fuerat cum ea prius à Germanis poſt Craſſi mortem teneretur, ut nos etiam ſupra oſtendimus. Carolo autem in cuſtodiam ducto Rodulphus Richardi filius Dux Burgundiæ Regno Francorum præſidebat & ab hoc anno annos undecim continent ibidē regnabat. Illi primis annis multum negotii cum Normannis & Duce Aquitaniæ fuit: Normanni autem à Carolo Simplice in novam ſpem erecti paſſim apud ligerim tumultuabantur & prædas agebant.

*Berengarius Italiæ Rex occiditur.*

Italici Principes contra Berengarium Imperatorem ſuum Rodulphum Conradi filium Transjurenſis Burgundiæ Regem evocaverant, qui illis triennium præfuit. Berengarius anno Chriſti 923. regni ſui trigeſimo ſexto à Flamberto, cujus filium de baptiſmo ſuſtulerat, per inſidias trucidatur & vivendi finem facit, per totam vitam variæ fortunæ ludibrio jactatus, laudē juſtitiæ clementiæ & pietatis meruit: innocentiæ teſtimonium reliquit in lapide, qui ſanguine ejus aſperſus nunquam elui & purgari ab eo
923. potuit. Hungari Berengario occiſo & Rodulpho in Burgundiam regreſſo Lombardiam adornuntur, Mantuam, Brixiam, & Bergomam diripiunt. Papiam incendio vaſtant & tandem præda onuſti domos repetunt. His cogni-
924. tis Rodolphus in Italiam redit & Verona occupata totum regnum ſine contentione recipit. In Lotharingiam Herebertus Veremanduorum Comes ad Giſelbertum Ducem & Othonem alioſque Proceres miſſus, eos in gratiam Rodulphi Regis Franciæ reducit: quod Hericum Imperatorem adeo male habet: quod ut confeſtim miſſo exercitu

*Rodulphus Rex Italiæ.*

Tul-

Tulpiacum Giſelberti præſidiis occupatum vi expugnat, 925.
ipſum Giſelbertum dolo captum in poteſtatem acceperit. Quem tamen nullo maleficio, affecit, ſed in gratiã receptũ ſupriori Lotharingiæ præficit & filiæ Gerbergæ matrimonio cohoneſtat ob ingenium & bonos mores, quos in ipſo depræhendit. Ejus tandem opera tota Lotharingia, Francis Normannnico tumultu occupatis ad Germanos rediit.

Cum autem Italos Rodulphi Iurenſis pæniteret, Hugo Berthæ & Lotharii filius Arelatenſium & Viennæ Comes, in Italiam velut vacuam poſſeſſionem ſpe imperii ſe confert. Iubique ab Italiæ primoribus Rex apud Ticinum ſalutatur: Rudolphum tota Italia exigit ejuſque loco annos circiter viginti regnat. Hugo Magnus Pariſiorum Comes Eduardi Anglorum Regis filium ducit uxorem. Rodulphus Francorum Rex cum Hereberto in ſimultatem ob Comitatum Laudunenſem, quæ in odium manifeſtum adeo erupit ut Herebertus aſcito Hugone Magno amicitiam Henrici Imperatoris in Lotharingia quæſciverit & Carolum Simplicem de cuſtodia eduxerit & cum eo Wilhelmum Normannorum Principem adierit, ut illum in ſocietatem contra Regem adduceret: Nec prius cum ipſo in gratiam redire voluit, quam Laudunenſis Comitatus ei traditus fuit. atque eo modo Herebertus Pontificis mandato de reſtituendo in integrum Carolo Simplice obſecutus tum videri voluit. Quem tamen pertentatis Principum animis non multo poſt in cuſtodiam reduxit cum prius Rodulphus Rex cum ipſo Rhenus in gratiam plene rediiſſet ut Nicolaus Vignerius & ante ipſum Frodoardus Preſbyter Rhemenſis in literis retulerunt.

*926. Hugo Rex Italiæ.*

*927.*

*928.*

Interea Henricus Imperator militem in Saxonia exercet & bello idoneum redgit. Quintum quemque in urbibus militiæ adſcribit quem quatuor ſuis impenſis alant o-

*Instituta Henrici Aucupis Imp.*

ćto in agris laborare jubet: quorum fructus nonus in horrea & in urbes congerat & in illorum uſum conſervet: mādat inſuper ut nuptiæ, convivia, celebritates in oppidis habeantur, extra oppida ut nihil ſit quod hoſtem locupletare poſſet. Eo modo & urbes frequentari fecit & cives ſimul cum ruſticis belli laboribus erudivit. Firmatis igitur cum Hungaris in Novennium induciis, anno 925. in Slavos ad Havelum fluvium ducit, civitatem Brandeburgum media hieme & in glacie collocatis, caſtris obſidet, eamque fame, frigore & ferro domat & genti præpoſitum imponit, quem Machionem ceu limitis cuſtodem vocat.
930. Inde ad annum 930. Sorabos, qui etiam Dalamantes appellantur, bello domat & exterminat: Miſnam urbem eorum cervicibus imponit & Marchionem conſtituit: cumque illo tempore Normanni ex Dania & Norwegia totum mare piratica infeſtum redderent Saxonibus atque Friſiis præcipue incumberent, Imperator, eorum cura ſuſcepta, in Daniam movet: Gormonem Regem ejus, hominem paganam & Chriſtianiſmi ex profeſſo hoſtem, ad obedientiam cogit, ut religioni Chriſtianæ apud ſuos locum permittat. Sleſvicum occupat marchionémque & novos colones è Saxonia imponit: Eidoram Regni Danici terminum conſtituit. Deinde Redarios populum Slavicum Saxones deprædantes bello aggreſſus aut ferro interimit aut in mare propellit. Qui ad ducenta millia hominum periiſſe dicūtur. Anno autem 934. Hungari finitis induciis tributum vetus repetunt, ſed cane ſcabioſo ab Imperatore munerati ad arma convolant. Henricus Imperator quamvis gravi valetudine preſſus quatriduo exercitum ingentem cogit & nebuloſum diem nactus Hungaros præda onuſtos apud Mersburgum confidentes internecione delet, tributumque quod illi exigebant in Eccleſias atque pauperes erogat, Deo immortali pro victoria laudem atque gratiam tribuens indefeſſam. Inde in piratas Danos

nos vadit, qui Friſiæ littora carpebant & deprædabantur iiſque ſubactis Regem eorum Cnubam ad religionem Chriſtianam perducit.

Friſii enim libertate fruebantur: Terras ſuas in pagos, quos aliqui conventus & fora appellant diſpartiti æquo more & pacifici inter ſe vivebant: pagos in vicos digeſſerant: pagis præerant viri nobiles, qui alibi Gretmanni, alibi judices, alibi Satrapæ & Droſſarti appellabantur: ruſtici in centurias & decurias ordinati erant, inter quos decurio ſive Atta de rebus minutis jus dicebat: omnes in univerſum fœdere æquali colligati, rebus durioribus ſummum magiſtratum ex ſuis eligebant. qui poteſtas ex eorum privilegio dicebatur & in omnes & ſingulos imperabat annum unum aut donec ipſis expedire videbatur. Oriebantur quidē inter illos aliquando ſimultates & contentiones in ſpeciem periculoſæ, ſed eo animo affecti erant, ſi externis hoſtis ingrueret, qui ipſorum libertati inſidiaretur, ut confeſtim omnes lites abjicerent & in concordiam redirent, quo communi opera communem hoſtem propellerent. Erat hoc etiam apud Friſios in more & lege poſitum, ut nemo extra patriam Iudicii aut militiæ cauſa evocari poſſet, utque ſinguli noctu & interdiu inſtructi eſſent ſcuto & gladio, ligone & furca atque inſuper fariſſa quernea ad depellendum à littore piratas, præcipue Normannos & reparādum quotidie aggeres ſi neceſſitas ingrueret. Magno itaque beneficio eos affecit Henricus Imperator, dum Normannos coercet & in ordinem redigit, ut à Friſiorum inſulis atque littoribus abſtinere compellantur. Quemadmodum etiam bene meretur de tota Germania, dum milites inſtruit, urbes, muris firmat & copiis illuſtrat. Illud certe ejus inſtitutum laude dignum eſt, quo ludis equeſtribus poſt victoriam contra Hungaros adeptam, leges dedit & ea ratione ſcholam quaſi virtutis inter nobiles in-

*Inſtituta Friſiorum.*

Pr: m. Hette.

*Ludi equeſtre apud Germanos.*

ſtituit. Hi ludi jam antea apud Italos, Gallos & Britannos in uſu erant & torneamenta vulgo audiebant, apud Germanos autem erant incogniti & inibi ſuum initium habent primitus Magdeburgi ad annum 934. His interfuiſſe inter cæteros Principes & dynaſtas perhibetur Theodoricus ſecundus ejus nominis Hollandiæ Comes idque ſub Hermanno Sueviæ Duce.

929. *Carolus Simplex moritur* Anno 929. moritur in cuſtodia Carolus Rex cognomento Simplex & Peronæ ad S. Furſeum ſepelitur. Filius ejus Ludovicus trans mare in Angliam cum matre fugit ad Adelſtanum Regem matris ſuæ fratrem. Interea Rodulphus regnat, qui varie exercetur ab Hugone Magno Comite Pariſienſi & Heriberto Veremanduo. Certatur inter eos præliis, obſidionibus & induciis, quemadmodum apud Frodoardum Presbyterum Rhemenſem eſt videre. At anno 936. Rodulphus Rex moritur & apud Senonas terræ commendatur. Igitur & Ludovicus Caroli filius ab Hugone Comite ex Anglia revocatur ad Franciæ ſceptrum: quem non prius demittat Adelſtanus, quam legati. Iurejurando promittãt rem ſerio agi & ex bona fide dolum abeſſe ab futurumque. Hinc cum Honeſto Comitatu Epiſcoporum aliorumque Angliæ Procerum Ludovicus Bononiam claſſe appellit, & in ipſo littore ab Hugone cæteriſque Franciæ primoribus honorifice ſuſcipitur: Rex Francorum datis Iuramentis ſalutatur: inde Laudunum deductus 13. Kalend. Iunii ab Artaldo Archiepiſcopo Rhemenſi ungitur & coronatur. Erat is tum annorum ſedecim, aut præter propter.

939. *Rodulphus Rex Franciæ moritur.*

*Ludovicus Tranſmarinus Rex Franciæ ungitur.*

*Henricus Auceps Imperator moritur, ſuccedit Otto Magnus.* Eodem Anno 6. Non. Iulii Henricus Auceps Imperator Germanorũ in caſtro Mimeleben apud Saxones è vita migrat: & Quedelẽburgi ſepelitur, cũ imperaſſet annos ſedecim: Succedit ei in Imperio Otto Filius cognomẽto Magnus

nus, teſtamēto deſignatus Coronatur Aquiſgrani. Interea ſedebat in cathedra Epiſcopali apud Vltrajectinos Baldricus Rixfridi Comitis filius qui Henrici Imperatoris filios in bonis literis atque moribus inſtituerat. Is cum Traiectum urbem à Normannis ſub Radbodo atque aliis Epiſcopis in ponte, muro, portis atque phanis perditam ac miſere deformatam reparaſſet, omnem illam operam impendia atque ſumptus Eccleſiæ Vltrajectinæ atque civibus in perpetuum condonat: Canonicos fugatos reſtituit, in mortuorum loca alios creat, ſtipendiis atque beneficiis inſtruit, erudit & munit: nihilque omittit, quod ad incrementum ſubditorum & Eccleſiarum ullo modo poſſit conducere. Deque his omnibus diploma ſcribit, ſuaque manu atque ſigillo corroborat, anno incarnationis Dominicæ nongenteſimo trigeſimo quarto Kalendis Iulii Indictione ſeptima regnante D. Henrico primo Rege Invictiſſimo: ut apud Hedam eſt in tabulas relatum.

Henricus autem Imperator omnia priorum Regum & anteceſſorum beneficia Baldrico deinceps confirmat: quin & Filius ejus Otto nova beneficia cumulat, quæ in unum collata magnas divitias in annos ſingulos conferunt. Is enim anno 937. indictione decima, donat Eccleſiæ CivitatiqueTrajectenſi jus cudendæ monetæ cum omni quæſtu, qui inde proveniat. Anno 938. indictione undecima confirmat immunitates à ſuperioribus & patre ſuæ conceſſas. 938.
Anno item 944. decimo ſexto Kal. Auguſti, donat omne jus ſuum in Pago Lacke & Iſla, quod Walgerus & poſtea filius ejus Radbodus ab eo beneficii jure tenuerunt, cum omnibus ad illum pagum pertinentibus agris, mancipiis, pratis, paſcuis, ſilvis, aquarumque decurſibus, terris cultis & incultis, piſcationibus, cunctiſque quæſitis & inquirendis. Prohibet inſuper nequis Comitum aliorúmve hominum in pago Foreſtenſi Drentiæ, qui eſt in Comi- 944. 934. Sexto Kal. Decemb.

tatu Everardi cervos, urſos, capreas, apros, beſtias inſuper, quæ Teutonica lingua elo & ſcelo appellantur abſq; præſulis Vltrajectini permiſſu venari præſumat. Deinde pro remedio animæ & dilectiſſimæ conjugis ſuæ Etgidæ donat totam piſcationem, quam hactenus in Amuſon & Almere Iure Regis habere viſus eſt, omnemque cenſum, qui vulgo Coggeſchuldt vocatur: adhæc & omnem decimam partem omnium regalium prędiorum monetarum & Theloneorum, quæ intra Epiſcopatus terminos exiguntur: inſuper & tributorum, quæ Huſlada & Coggeſchuldt dicuntur? res etiam quæ in villa quæ quondam Durſtadt nunc autem Wyck nominatur & in cæteris omnibus locis à prædicta villa uſque ad mare & in Inſulis cæteriſque mari contiguis provinciis reperiuntur, prout hæc omnia à ſuperioribus quoque Regibus prædictæ Eccleſiæ jam antea collata fuerunt. Quod factum ab eo annum 949. Kalendis Aprilis Indictione ſeptima. Anno vero 950. duodecimo Kalendas Maii eadem indictione ſeptima. Idem Otto Rex ob amorem Dei ſuæ remedium animæ largitur Eccleſiæ Trajectenſi, Tielam Civitatem Lapideam & Monaſterium in ea conſtructum cum omnibus Eccleſiis, prædiis, familiis, mancipiis, ſilvis, aquis, piſcationibus, paſcuis, pratis, cæterisque omnibus ad præfatum Monaſterium vel Eccleſias à Walgero ejus filio Rabodone nec non & Hattone & illorum anteceſſoribus in proprium conceſſus jure pertinentibus: una cum ſalicto propter Tielam ſito. Ad extremum undecimo Kalendas Maii anno 953. Indictione undecima, donat idem Rex Eccleſiæ Vltrajectinæ omne jus ſuum quod in Villa Ameida habet. una cum Telonio quod ibi ex beneficio Walgerus aliquando tenuit, nec non & omnem piſcationem in Almero quæ Regis eſt cum omni terra quam Hatto Comes in Lona ibidem poſſedit: item jus omne quod Regis eſt in flumine, qui Fechta dicitur cum terris, ſilvis, aquis, aquarúmque decurſibus, piſcationibus

*949 Kalend Aprilis Indictione 7.*

tionibus ſtagnis & lacubus quæ ex eodem flumine derivantur. Deinde & terram quam Hatto in loco Ecka ad Rhenum habere viſus eſt & in commiſſum cecidit. Poſtremo iterum concedit Epiſcopo jus cudendæ monetæ, vetátq; ne quis Comes aut Iudex eo nomine ab eo ullum vectigal exigat. Hæc liberalitas Regis in Vltrajectinam Eccleſiam inſignis tum fuit, qua ad priſtinum nitorem illa paulatim cœpit aſſurgere & virium capere incrementa.

In his donationibus commemoratur Gualtgerus Gerolphi Comitis filius, cum Radbodo & Hattone filiis in Lona & Ameida & Tiela dynaſtis: Theodorici vero primi (qui frater Gualtgeri fuit) nulla mẽtio fit tum forte quod is, adhuc in vivis fuiſſet: reliquis vita jam defunctus: quod ex matrimonio cum Gena ſive Gonna Pipini Silvanectenſis filia cõtracto valde ſit veriſimile ut & ſupra diximus. Sed & mortis ejus Theodorici incertus eſt index, quibuſdam illum peregre mortuum & neſcio ubi ſepultum: quibuſdam vero in Hollandia obiiſſe & apud Egmondam terræ conditum affirmantibus. Nos hic Iudicium ſuſpendimus contenti conjecturas protuliſſe, quæ ad veritatem inveſtigandam aliquo modo poſſunt conducere. Eandem viam ingrediamur ad Theodoricum ſecundum Hollandiæ Comitem, qui Hildegardam Ludovici Tranſmarini filiam dicitur habuiſſe uxorem & ex ea ſuſcepiſſe Egbertum Archiepiſcopum Trevirenſem Arnulphum Hollandiæ Comitem & Arlindam virginem valde formoſam. Ianus Douſa Hildegardam filiam fuiſſe Ludovici Regis aperte negat: cognatam fuiſſe ex conjectura aſſerit. Nos illam & filiam ejus eſſe poſſe certis rationibus adducimur ut credamus. Ludovicus enim Tranſmarinus anno Chriſti vigeſimo ſupra nongenteſimum ex Carolo Simplice eſt natus: Idem anno ſexto decimo ætatis ſuæ, Chriſti verò nongenteſimo trigeſimo ſexto Hildegardam gignere potuit. Hildegarda *Theodoricus ſecundus Hollandiæ Comes.*

autem

autem anno ætatis decimo quarto parere potuit Egbertum ut ratio dictat. Sed quid interea factum ſit, ex Hiſtoria recitemus.

*Conſpiratio Principum in Ottonem Regem.* Cum Giſelbertus Lotharingiæ Dux inſtinctu Everardi Comitis Palatini una cum Danckmaro & Henrico fratribus in Ottonem Regem & Fratrem ſuum conſpiraſſet, Danckmarius quidem in æde ſacra à milite per feneſtram Eresburgi ſagitta interemptus eſt: Henricus in brachio ſaucius tandem ad meliorem mentem redit. At Everhardus in pugna ab Hermanno Sueviæ Vdone & Conrado Ducibus cæditur: Giſelbertus equo abreptus dum Rhenum trajicere parat aquis ſuffocatur. Solus Rex Ludovicus, qui ſocius conſpirationis erat, in tutum evadit & à prælio apud Briſacum ſuperat. nec diu poſt anno nimirum nongenteſimo triceſimo nono Gerbergam Giſelberti viduam Regis ſororem Ottonis ducit uxorem, & ex hoſte fit affinis. Ea res ipſi & regno ejus tandem ſaluti fuit ut eventus comprobavit. Lotharingiam quidem tum Rex Otto in Ludovicum Regem affinem non contulit, ſed eam primum Giſelberti filio & eo mortuo Conrado Franconiæ Duci dedit. Anno vero *946.* Ludovicum Regem
*946.* à ſuis principibus regno pulſum in integrum reſtituit. Deinde Burgundiam atque Belgicam Romano Imperio aſſerit & in poſterum retinet, uxorem Editam Admundi Angliæ Regis filiam, amittit, eamque Magdeburgi viceſimo ſexto Ianuarii ſepelit.

Anno ſequenti Bertoldo Duce mortuo Rex Otto Henricum fratrem ſuum in gratiam jamdudum receptum, creat Bavariæ Ducem. Hinc in Danos exercitum comparat eoſque ob occiſum Marchionem Sleſvicenſem & Saxonum Coloniam deletam ferro domat, excurſiones illorum in Friſiam & loca vicina inhibet, Regem Haraldum ad

Bapti-

baptiſmum compellit filium ejus de fonte ſuſcipit& de ſuo nomine Snenotoniam appellat, totam Iutiam manu militari pervagatus freto Cimbrico Ottenſunda nomen imponit. Ripæ & Sloſvici Epiſcopatus inchoat victorq; ſtrenuus cum magna gloria in Saxoniam revertitur. At ſequenti anno iterum in Franciam ducit & Ludovicum 948.
Regem affinem ſuum ab Hugonis Magni injuriis vindicat. pacémque toti Regno conciliat. Hinc Ludulphus ejus filius Idam Hermanni Sueviæ Ducis filiam ducit uxorem, & ab eo Dux Sueviæ inauguratur. Interea & Coloniam Agrippinam Imperii urbibus adſcribit.

Rebus itaque Galliæ & Germaniæ pacatis Rex Otto à Papa Romano & Italiæ Proceribus Romam evocatur, ut Berengarium ſecundum Lombardiæ incumbentem compeſcat & in ordinem redigat. Berengarius enim Lothario Rege mortuo Italiam occupaverat & Adelheidam ejus viduam Canuſſii obſidebat ut eam Adelberto filio ſuo jungeret. At illa Albertum aſpernata, Ottonem Regem ad ſui defenſionem evocabat & eidem ſe nupturam ſpondebat. Rex autem Otto priuſquam in Italiam vadat Ludovicum Regem Franciæ iterum ab Hugone Magno feliciter liberat, deinde infeſto agmine in Italiam tranſit: Berengarium & filium ejus Adelbertum Regno ſtatim pellit, filias captas in Germaniam mittit: Adelheidam Lotharii Regis viduam Rudolphi vero Burgundiæ Regis filiam uxorem ſumit. Nec multo poſt, Berengarius & filius ejus cum ſe in Germania Ottoni Regi dederent, in gratiam recepti ſunt & Lombardiæ regno Verona & fore Iulio demptis Berengarius à Rege donatus eſt.

Interim Conradus Franconiæ Dux Ottonis, Regis gener Ottoniſque filius Ludolphus Dux Sueviæ, dum Berengarium in gratiam reſtituere conantur & nihil impe- *Conſpiratio generi & filij in Ottonem.*

trant ex indignatione in Regem conſpirant, Fredericum Archiepiſcopum Moguntinum ſibi adjungunt, Moguntiam occupant & ſedem belli faciunt: inde fame & obſidione pulſi Ratiſponam invadunt atque ſpoliant. Conradus gener Ottonis Hungaros in Germaniam atque Gallias evocat: à ſocero hoſtis Reipublicæ appellatur. Ludolphus tandem ad mentem redit & ſupplex patri factus in
953. gratiam recipitur. Bruno frater Ottonis fit Archiepiſcopus Colonienſis & Lotharingiæ Archidux: utrumque
954. munus ut heros ſtrenuus gnaviter exercet. Wilhelmus Regis filius creatus Archiepiſcopus Moguntinus.

*Ludovicus Tranſmarinus moritur 8. Kal. Novē.*

Eodem anno Ludovicus Tranſmarinus Rex Galliæ octavo Kal. Novembris excedit è vita, cum regnaſſet annos octodecim, Lothario & Carolo filiis & Machtilde filia relictis. Illi Lotharius, qui anno 940. Lauduni ex Gerberga Ottonis Regis Germana natus erat, ſuccedit conſecratus pridie Nonas Novēbris ad S. Renigium Rhemis ab Artaldo Archiepiſcopo favente Hugone Principe & Brunone Archiepiſcopo cæteriſque Præſulibus ac Proceribus Franciæ, Burgundiæ, atque Aquitaniæ, ut inquit Frodoardus Presbyter eorum temporum æqualis ſcriptor Hiſtoricus. Quam Lotharii Regis epocham cupio ut Lector memoriæ commendet ob Vaſdæ donationem, quæ hactenus apud Hollandos Ludovico Germaniæ Regi temere fuit adſcripta, cum revera huic Lothario debeatur, ut in progreſſu oſtendemus.

*Lotharius ei ſuccedit prid. Non. Novēb.*

Anno ſequenti Hungari quinque legionibus inſtructi
955. in Bavariam irruunt eamque cædibus, incendiis ac ferro vaſtant. Occurrit illis ad Licum amnem prope Rhetiæ Auguſtam Rex Otto cum copiis Saxonum, Francorum, & Lotharingorum eoſque diſſipatos internecione delet. Quinque eorundem regulas ante portam Vrbis Ratisbo-

*Hungari ab Ottone vincuntur.*

næ publicitus ſuſpendit reliquos impoſterum quieſſere cogit. In ea pugna Conradus gener Ottonis fortiter prælian do occumbit & ſua morte rebellionis dedecus prolixe eluit. Rex Otto ob aſſertam Germaniam populumque Chriſtianum à diro hoſte liberatum, ab exercitu Imperator & pater patriæ ſalutatus, Deo optimo maximas gratias egit immortales. Eodem anno Kalendis Novemb. Henricus primus Bavariæ Dux frater Ottonis è vita migrat: ſuccedit ei filius Henricus cognomento Rixoſus. Item naſcitur Ottoni ex Adelheida filius, qui deinde Otto ſecundus appellatus, ei in regnum & Imperium ſuccedit.

*Otto ſecundus naſcitur.*

Agapetus Papa Romanus & Walpertus Archiepiſcopus Mediolanenſis injuriis Berengarii Regis Italici, quibus ille Eccleſiam & populum vexabat commoti Ottonem Regem nuntiis atque literis è Germania ad liberandam Italiam evocant. Otto fidem ſuam illis obſtringit: Luthulphum filium Ducem belli adverſus Berengarium conſtituit. Albericus Conſul Romanus factionis ſuæ opibus ſubnixus mortuo Agapeto Pontifice filium ſuum Octavianum valde Iuvenem initio ſequentis anni ſubſtituit & Iohannem decimum tertium nominat. Ludolphus juſſu patris Ottonis cum robore militum expedito in Italiam proficiſcitur, Berengarium prælio fundit, & in Hortam Novarienſis lacus inſulam compellit, multa oppida recipit & populos ad veterem obedientiam traducit. Verum proximo anno morte repentina oppreſſus omnem Victoriam deformat atq; opus longe pulcherrimum imperfectum relinquit. Cadaver ejus Moguntiæ ad S. Albanũ à fratre Wilhelmo Archiepiſcopo terræ cõditur. Ea re Berengarius inflatior factus, quæ Ottonem bello Slavico deſtineri ſciebat; impotentius inde ſe gerit ac bellum Pontifici in ducatu Spoletano commovet: quod & ſequentem annum durat. Interea Otto Slavos in Germania perſequitur. Cru-

*Otto Rex in Italiam vocatur.*

956.

957.

958.

ces tum in multorum veſtibus aut lepræ quaſi ſordes conſpectæ ſunt: quod in religionem à Germanis verſum. Be-
959. rengarius autem et filius ejus Adelbertus Eccleſias & populos Italiæ ſuperbis premere imperiis pergunt. Cumque Rex Otto novis Slavorum injuriis in Germania occuparetur nec iſti Italiæ Reges finem vexandi facerent. Iohannes Pontifex tandem anno ſexageſimo ſupra nongenteſi-
960. mum legatos in Germaniam ad Ottonem ſuo & Eccleſiæ nomine mittit, obnixe rogat ut rebus Italiæ deploratis opem ferat, Berengarium in ordinem redigat & commeſcat. Quod ſi faciat, ſe ei inſignia Auguſtalia collaturum & titulo illo tum vacante, Imperatorem Romanorum appellaturum. Cum autem & Mediolanenſis Archiepiſcopus aliique complures Epiſcopi atque proceres hinc Papæ legationi commodum accederet. Otto Rex benigne omnibus reſpondet ſe eorum voluntati, quoad poſſet, obſequiturum.

961. Hinc anno ſequenti iterum in Slavos ducit & parta victoria Wormatiæ conventum procerum habet rebuſq; rite conſtitutis puerum Ottonem Regem appellat ac in die Pentecoſtes Aquiſgrani Corona Germanica exornat: Deinde in Saxoniam reverſus magnum exercitum cogit & in Baioariam progreſſus per Tridentinas Alpes in Italiam cum uxore Adelheide tranſit. Tranſgreſſus Papiam eveſtigio recuperat, regiam ibi à Berengario deſtructam inſtaurat. Inde legatum mittit Romam, qui hoſpitia præparet. Mediolanum profectus, Vrbem cum multa civium gratulatione ingreditur. Interea metu perculſus Berengarius in latebras ſe ſuamque familiam diverſe ſpargit. Ipſe quidem montem Feretrum in Ducatu Spoletano occupat. Adelbertus ejus filius Spoletum & Camerinum: Villa uxor inſulam in lacu Verbano S. Iulii: Vido alter filius inſulam Comacinam in lacu Comenſi & Gardam ad lacum

Benacum ibidemque ſe ſinguli validis præſidiis confirmant: omnes uſque adeo de ſua ſalute ſolliciti, ut Adelbertus etiam Saracenorum, qui Fraxinetum tenebant, auxilia imploraverit.

Interim Mediolani Archiepiſcopus ex convocati conventus decreto Regnum Berengario & Adelberto abrogat & ad Ottonem defert, ipſumque inungit & conſecratum ferrea corona exornat. Otto natalitia Papiæ celebrat: inde Romam pergit, ut Coronam Imperii à Pontifice promiſſam accipiat. 962. Ingreſſus urbem à Romanis lætiſſimis animis excipitur. A Pontifice in Templum deductus ab eodem inungitur & Imperiali Diademate inſignitur, univerſo populo & Clero Auguſto Imperatoriq; felicitatem ac victoriam acclamante. Inde ad convivia itum: quibus finitis Otto ſe Papiam recipit: & Paſcate ibidem celebrato exercitum è ſtativis evocat. Primo Villam uxorem Berengarii obſidet & poſt duos menſes in ditionem redigit: mulieri ut ad maritum eat incolumis permittit.

Interea Iohannes Pontifex Romæ natus & educatus priorum actorum pœnitentia ducitur: Ottonem hominem Germanum Italia prohibere & Berengarium Patriæ reſtituere cogitat. *Papæ Romani levitas & inconſtantia.* Itaque anno ſequenti ad Adelbertum in Fraxineto ſedentem mittit & tacito fœdere ſe cum illo jungit: 963. planè oblitus prioris ſacramenti, quo ſe Ottoni contra Berengarium & filios ejus jam antea obſtrinxerat. Otto autem ea re comperta, ut puerum Iohannem parvi faciens, comparato exercitu Papia Ravennam properat, eamque levi momento ſui Iuris facit. Inde Spoletum contendit & montem Feretrum ubi Berengarius cum Villa conjuge ſe communierat obſidere inſtituit. Ea obſidio cum totam æſtatem duraſſet & Pontifex nihil de ſua malitia remitteret, Imperator à Romanis, qui in fide manſerant,

occulte accitur medio autumno exercitus parte in obſidione relicta, Romam vadit: quo comperto Pontifex & Adelbertus eum eveſtigio deſerunt & theſaurum D. Petri ſecum abripiunt. Quocirca Imperator veteris inſtituti admonitus conventum Epiſcoporum ad 8. Idus Novembris indicit & Iohannem tum abſentem literis evocari curat. Illo autem diras ſpirante & venire ad concilium detrectante Imperator quid conſtituendum ſit patres rogat: qui nemine diſſentiente ſimul tum reſpondent, novo morbo novam medicinam eſſe adhibendam: Iohanni novum Pontificem eſſe ſurrogandum, ne Eccleſia malo exemplo corrupta funditus ut in perpetuum intereat. Ea ſententia ab Imperatore laudata omnes una voce Iohanne reprobato ter Leonem protoſcriniarium Pontificem acclamant: & rite conſecratum Leonem octavum nominant.

Pontifice ſubrogato tum de ſtatu Eccleſiæ formando eſt actum. Itaque relatione facta & re in diſputatione adducta, præſente & aſſentiente conventu Leo Pontifex in poſterum ſic conſtituit:

*Exemplo beati Hadriani Apoſtolicæ ſedis Antiſtitis, qui D. Carolo victorioſiſſimo Regi Francorum & Longobardorum Patritiatus dignitatem ac ordinem Apoſtolicæ ſedis & inveſtituram Epiſcoporum conceſſit, Ego Leo quoque Servus Servorum Dei Epiſcopus cum toto Clero ac populo Romano concedimus & confirmamus & corroboramus & per noſtram Apoſtolicam auctoritatem concedimus*

*cedimus & largimur D. Ottoni primo Regi Teutonicorum eiuſque ſucceſſoribus huius Regni Italiæ in perpetuum facultatem eligendi ſucceſſorem, ac ſummæ ſedis Apoſtolicæ Pontificem inſtituendi ac per hoc Archiepiſcopos ſeu Epiſcopos, ut ipſi ab eo inveſtituram accipiant. & confirmationem, unde debent, exceptis iis, quod Imperator Pontificibus & Archiepiſcopis conceſſit, ut nemo deinceps cuiuſcumque dignitatis vel religionis eligendi vel patritium vel Pontificem ſummæ ſedis Apoſtolicæ aut quemcumque Epiſcopum ordinandi habeat facultatem, abſque conſenſu ipſius Imperatoris, quod tamen fiat abſque omni pecunia & ut ipſe ſit patritius & Rex. Quod ſi à Clero & populo quis eligatur Epiſcopus, niſi à ſupra dicto Rege laudetur & inveſtiatur, non conſecretur.*

Hoc decreto publicato Imperator partem exercitus in Berengarium & uxorem ejus mittit & Romæ cum novo Pontifice ſecurus inſidiarum natalitia celebrant. Eo cognito Iohannes depoſitus animum ad repetendam omiſſam dignitatem adjicit Romanos Cives ad tollendum Imperatorem præmiis allicit, & die conſtituta quarto nonas Ianuarias eoſdem in eundem ducit: ſed ab illo armis depelluntur. Hinc obſidibus centum datis Romani ſe in fide manſuros ſacramente promittunt, Paulo poſt Berengarius

rengarius deditione captus una cum uxore Bambergam in exilium deportatur. Hic finis ſuperbæ dominationis in Berengario fuit. Reſtabant Camerinum & Spoletum, quæ Adelbertus inſidebat. Ad ea oppida cum pergeret Imperator Leonis Papæ rogatu obſides Romanis reſtituit, Leonémque ipſis commendat. Romani Imperatore ad Camerino digreſſo confeſtim Leonem urbe pellunt, Iohannem reſtituunt: qui ſuos quos putabat, adverſarios acerbe tractat, latius graſſaturus niſi in adulterio depræhenſus pridie Idus Maii ad mortem uſque fuiſſet vulneratus. Romani ejus morte cognita ſuperioris ſacramenti omnino immemores, benedictum Cardinalem Diaconum ei ſubſtituunt: quamobrem commotus Imperator ac dolens cum Leone Pontifice, ad Camerinum paſcate celebrato, Romam cum toto exercitu redit eamque obſidione claudit: quam cum Romani tolerare non poſſent diutius, nono Kalendas Iulii portas aperiunt, atque Imperatore recepto Leonem in cathedram D. Petri reſtituunt: Deinde Pontifex Leo conventu Epiſcoporum advocato, Benedictum veſte Pontificali exuit, ferulam ejus confringit & ut Diaconum ad Germanos in exilium ire jubet, Adelbertus relicto Camerino in Corſicam inſulam fuga ſe ſubducit. Imperator in Hetruriam tranſit, inde in Lomberdiam & maxima parte exercitus peſtilentia abſumpta tandem in Germaniam revertitur. Eodem anno Nicephorus Phocas Conſtantinopoli Imperium ſuſcipit.

*Theodoricus primus Hollandiæ Comes moritur* 963.

Anno autem ſuperiore qui ſexageſimus tertius ſupra nongenteſimum fuit, ſexto Octobris Theodoricus primus Hollandiæ Comes diem obit extremum, cum Imperaſſet annos plus minus quadraginta. Succedit ei filius Theodoricus ſecundus qui Weſtfriſiis (ut ait Douſa) ex ſententia non fuit: ſed bellum continenter in illos geſſit donec factis induciis convenit, ut ſuis rebus utrimque contenti

tenti neuter alterum infeſtum haberet. Ea pax aliquamdiu ſtetit incolumis, dum Comes extra Provinciam in Francia militat & fortunam aucupatur meliorem. Ita enim neceſſario ſcribenda eſt hęc Comitum epocha ſi verum eſt, quod omnes putant, ab donatione Eccleſiæ Egmondanæ, Comitatus Hollandici principium eſſe auſpicandum. Antiquiores ſcripſerunt Theodoricum coepiſſe anno 863. & mortuum anno 903. & cœpit is primum anno 923. & vixit annos quadraginta ut ſupra demonſtrabimus, mortuus ergo eſt anno 963. ut calculus oſtendit. Sed & Theodorici ſecundi tempora valde ſunt obſcura ob literarum defectum, qui in illis tum fuit: nos conabimur lucem infundere, quo ad poterimus.

Libro ſexto Annalium noſtrorum refutavimus utcumq; mentem Iohannis de Beca & aliorum, qui de hoc Comite ante nos aliquid ſcripſerunt: oſtendimúſq; Ludovico Germanico non recte adſcribi donationem illam, quæ de Vaſda habetur & in annum ab illis 868. rejicitur: nunc autem docere paramus Lotharium Franciæ Regem, ejus eſſe verum autorem nec alium donatarium, quam hunc Theodoricum ſecundum Hollandiæ Comitem, de quo loquimur: quod ut manifeſtius faciam, recito hic ipſum imprimis donationis diploma & quidem ita, uti vulgo conceptum legitur apud Ianum Douſam Nortvici Dominum in Hollandiæ Annalibus libro quinto. Ejus verba ſunt hæc.

*In nomine Sanctæ & individue Trinitatis: Lothovicus Dei gratia Rex: Notum ſit omnibus fidelibus noſtris, tam præſentibus, quam futuris, quod delecta coniunx Hemma Regina adiens noſtræ celſitudinis præſentiam humiliter de-* Donatio Vaſdæ Theodorico ſecundo facta.

M

*precata eſt, ut cuidã noſtro fideli, ſcilicet Theodorico Comiti Foreſtum Vaſdæ in eodem Comitatum cum pratis, aquis, terriſque aratoriis exitibus & regreſſibus cumque rebus pertinentibus ad prædictum foreſtum perintegre noſtro daremus præcepto. Cuius petitionibus, (prout dignum eſt) faventes, prædicto Comiti prædictum damus atque largimur Foreſtum, ut habeat, teneat, poſſideat ſuis cum ad ſe pertinentibus, tam ipſe, quam ſui hæredes, ſeu cui ipſe ſuiq́; hæredes vendere vel mancipare voluerint ſine omni contradictione. Et ut firmius maneat, inconvulſúmque ſervetur, hoc ei præceptũ fieri iuſſimus & manu propria ſubter firmantes, ſigillo noſtro iuſsimus ſigillari. Signum domini Lothovici Sereniſſimi Regis. Geſo cancellarius ad vicem domini. Otheldrici Archiepiſcopi ſummique Cancellarii recognovit & ſubſcripſit. Datum A°. D. DCCCLXVIII. Idus Aprilis regnante domino Lothoviço An. XV. Indictione XII.*

Hujus inſtrumẽti fidem Ianus Douſa ſurcillare non audet (ut ipſe loquitur) in margine tamen libri exclamat, ô fides, fides ubi es, aut ubi te quæram? Nunquid apud Seres Armericoſve lates? tacitę indicans quid de fide inſtrumẽti

ſentiant

ſentiat. Stomachatur in eos qui Vaſda ſaltum pro Valacria aut tota Zelandia acceperint: cum revera nihil aliud ſit, quam illa regio quæ hodie Vaſia (het Landt van Waeſz) vulgo appelletur. Deinde in epocha diplomatis defixus ne illam corrigat, quæſtionem inſtituit de perſonis Ludovici & Theodorici, quinam illi fuerint, qui eo tempore, quo ſcripta donatio videtur, ſimul vixerint? At ſi hic eadem audacia eſſet uſus, qua eſt uſus in diplomate Caroli Simplicis, ſine ulla difficultate ad ſcopum veritatis collineaſſet. Abjecta enim epocha priore, quæ Chriſtianiſmi annos citat: reſtant ſoli anni donatoris, qui Regem indicant. Scribitur in diplomate: datum ann. D. DCCCLXVIII. Idibus Aprilis: regnante Domino Ludovico a. XV. Indictione XII. Iuxta Chronologos annus Chriſti 868. non habet indictionem duodecimam, ſed primam: itaque hæc inter ſe diſſentiunt, nec merentur fidem. Si vero deletis Chriſti annis, Ludovici ætatem ſpectes, tot ſunt in Inſtrumento hoc manifeſti characteres temporis inter ſe concurrentes, ut à ſemita veritatis aberrare non poſſis: hoc tantum mihi credito, Ludovicum hic pro Lothario poſitum: alterum pro altero tanquam ſynonymo.

Equidem ſupra libro Annalium ſexto ex Stumpſio Helvetiorum Hiſtorico deſcripſi Leodegarium, Lutgerum, Lotharium & Ludovicum apud Germanos unum & eundem hominem eſſe: nunc addo, idem exemplo Mariani Scoti poſſe comprobari: qui ad annum Chriſti 856. ſcribit hoc modo: Romanorum 81. Ludovicus, qui & Lotharius, regnavit annos 15. Item Romanorum 82. Ludovicus filius Lotharij vel Ludovici regnavit annis quatuor. Quemadmodum autem hic Lotharius vulgo appellatus Mariana dicitur Ludovicus, vel quia is Ludovici pii filius erat vel quia Ludovicus & Lotharius ſunt nomina promiſcua: ſic & in hoc diplomate Ludovicum pro

Lothario accipere debemus, idque præcipue ob characteres qui inibi eundem liquido deſignant.

Primus character eſt epocha Regis, quæ dicitur eſſe annus decimus quartus cum indictione duodecima concordans: anno enim nongenteſimo quinquageſimo quarto Rex Francorum Ludovicus Tranſmarinus egreſſus Lauduno Rhemos petens in itinere antequam ad Axonem fluvium perveniret viſus eſt ſibi videre lupum antecedentem quem admiſſo equo inſequens prolabitur, gravitérque attritus in morbum incidit, quo tandem confictus diem claudit extremum, & apud S. Remigium ſepelitur. Lotharius autem puer filius ejus apud S. Remigium Rex conſecratur, ab Artaldo Archiepiſcopo favente Hugone Principe ac Brunone Archiepiſcopo cæteríſque Præſulibus ac Proceribus Franciæ: Burgundiæ atque Aquitaniæ teſte Frodoardo Presbytero Rhemenſis Eccleſiæ, qui illorum temporum fuit æqualis. Ejus anni indictio eſt duodecima, quæ ad annum decimum quintum recurrens itidem eſt duodecima; quæ cum epocha inſtrumenti omnino conſentit, ut apud Chronologos eſt videre ad annum
979. Chriſti 979.

Alter character eſt quod in epocha inſtrumenti mentio fit Otheldrici Archiepiſci ſummique Cancellarii, quem nullum neque in Moguntina neque in Treverenſi neque in Colonienſi ſede, ſed ſolum in Rhemenſi ad id temporis Archiepiſcopum invenias. De eo teſtatur idem, qui ſupra, Frodoardus Presbyter in hunc modum: Anno nongenteſimo ſexageſimo ſecundo legatio veniens ab Iohanne Papa intimat præfatim Hugonem (Hereberti filium) quondam Epiſcopum, tam ab ipſo Papa, quam ab omni Romana Synodo excommunicatum ſed & ab alia Synodo apud Papiam celebrata. Cujus legationis redditi

certiores

certiores perBrunonem Archiepiſcopum eligimus ad Epiſcopum Rhemenſem Odalricum illuſtrem Clericum Hugonis cujuſdem Comitis filium favente Lothario Rege cum regina matre præfatoque Brunone: qui Remis ordinatur ab Epiſcopis Widone Sueſſionico, Roricone Laudunenſi, Gibuino Catalaunenſi, Hadulpho Noviomenſi & Widfredo Virdunenſi. Quamvis autem Odalricus hoc loco à Frodoardo tantum vocatur Epiſcopus Rhemẽſis, idem tamen anno ſequenti & deinceps ſæpius appellatur Archiepiſcopus & ut Archiepiſcopus in Comites & adverſarios anathema pronunciat ut in Chronico dicti Frodoardi manifeſto cernitur.

Tertius character eſt Hemma Regina conjunx, Regis Ludovici quæ pro Theodorico Comite deprecatur: quæ non eſt alia quam Lotharii uxor. Nam cum ſupra oſtenſum ſit indictionem duodecimam cum anno octingenteſimo ſexageſimo octavo non congruere fruſtra putamus, eam fuiſſe Ludovici Germanici uxorem, quæ etiam Hemma fuit nuncupata. Anno nongenteſimo ſexageſimo ſexto (inquit ſupra memoratus Frodoardus) Lotharius Rex uxorem accepit Emmam filiam Regis quondam Italici. Mater autem ejus erat Adelais Rodulphi Regis Burgundiæ filia, quæ nupſit poſt mortem primi mariti Ottoni magno Imperatori: pater vero Lotharii Hugone Arelatenſi & Rege Italia natus Rex quoque Italiæ ac proceribus factus: ſed à Berengario intoxicatus fuiſſe dicitur.

His quarto accedit quod D. Douſa fatetur in veteribus momumentis apud Egmondam legi, Theodoricum ejus nominis Secundum Hollandiæ Comitem, Regali neſcio quo munere donatum à Lothario Francorum Rege fuiſſe. Sed quali & quanto (inquit) ditatus munere Regis, indicio expreſſit nulla tabella ſuo. Imo ſi verum fateri

ᵉ Douſa lib. Annal. 8. pag. 409.

volumus, expreſſit hoc donum ſuum Rex Lotharius, hoc ipſo inſtrumento de cujus Epocha nunc diſputamus.

Forſitan vero aliquis hic objiciat Waſdam Foreſtum Flandricæ ditionis partem eſſe,nec in ditione tum temporis Regis Lotharii fuiſſe, cum ejus donationem faceret. Quo vero melius hunc ſcrupulum eximamus, citandus iterum nobis eſt Frodoardus, quem jam ſæpius nominavimus. Is ad annum nongenteſimum ſexageſimum. Rex Lotharius (inquit) cum Arnulpho Flandrorum Principe locutus,pacem fecit inter ipſum & nepotem ipſius homonymum ejus, quem infenſum hic Comes habebat ob necem fratris ejuſdem quem de infirmitate deprehenſum idem Comes interemi fecerat. Tunc ipſe Princeps omnem terram ſuam in manu Regis dedit, ita tamen ut ipſe in vita ſua inde honeratus exiſteret. Itaque anno nongenteſimo ſexageſimo quinto (ait Frodrardus) Arnulpho quoque Principe decedente terram illius Rex Lotharius ingreditur & Proceres ipſiusProvinciæ mediante Roricone Laudunenſi eidem ſubjiciuntur Regi. Quo Laudunum repetente mater ipſius Geiberga regina cum filio Karolo puero ibidem remanſit. Odelricus Archiepiſcopus Spernacũ abHereberto recepit &Codiciacum à Tetbaldo quem quoq; à vinculo excõmunicationis abſolvit & filio ipſius,qui eidem ſe commiſerat,ipſum conceſſit caſtrum.

Cum igitur Characteres temporum in hoc diplomate memorati, in nullum alium Regem, quàm Lotharium manifeſto conſpirent, nec abſurdum ſit Ludovicum pro Lothario & vice verſa Lotharium proLudovico poni,quid ni etiam audeamus dicere ſolum Lotharium Regem Francorum Vaſdæ donatorem eſſe,ut qui donare ſolus tum & potuerit & voluerit? anno 954. Lotharius in patris locum ſubſtituitur: anno 958. Arnulphus Flandriæ Comes ætate

grandis

grandis filium ſuum Baduinum Comitem & ſucceſſorem nominat. At paulo poſt anno nimirum 961. Balduinus Arnulphi filius moritur, relicto quidem filio Arnulpho. Anno ſequenti Lotharius cum Arnulpho pacem facit & ab eodem Comitatum dono accipit. anno autem 963. Odulricus Comitis Hugonis filius creatur Archiepiſcopus Remenſis. ſequenti anno ſexto Kalend. Aprilis Arnulphus ſenior in vivis eſſe deſinit. Anno 965. ſuaſu Roriconis Epiſcopi Laudunenſis ad Lotharium Flandri tranſeunt. anno 966. Rex Lotharius ducit Emmam Lotharii quondam Italiæ Regis filiam uxorem. Anno demum 969. Lotharius regni ſui anno decimo quinto Indictione duodecima ad præces Emmæ Reginæ conjugis ſuæ donat Waſdam Theodorico Comiti Hollandiæ non primo aut ejus ava ſed ſecundo ut tempora deſignant. 969.

Ex hac rerum conſequenti ſerie, quæ partim ex Frodoardo Presbytero Remenſi, partim Meyero deſumpta eſt, ſcintillæ quædam veritatis emicant, quibus ad vitæ Comitum annos & conjugum illorum perveniamus. Dicuntur ambo Hollandiæ Comites pater atque filius centum & viginti annos Imperando expleviſſe: pater quadraginta & filius octuaginta. Initium patris in annum 863. conjiciunt, finem vero in annum 903. utrumque eſſe falſum ex ſuperioribus evidenter apparet. Si Comitatus Hollandici principium ab Epocha Diplomatis Carolini eſt ſumendum, uti illis omnibus placet, jam anno demum nongenteſimo viceſimo tertio Comitatus primum inceperit & Theodoricus primus Hollandiæ Comes anno tandem nongenteſimo ſexageſimo tertio fuerit mortuus. Sane mihi ſit veriſimile Theodoricum primum in extrema ſenectute patri Gerolpho natum ante annum viceſimum ſupra nongenteſimum uxorem non duxiſſe & ex ea non ſuſcepiſſe plures, quam unicum filium ſibi cognominem. Cujus rei *Thedorico primi Comitis Hollandiæ nativicas & mors.*

ex eo conjecturam capio quod Pepinus Comes Silvanectenſis ex proſapia Pipini Italiæ Regis recta linea deſcendens filia Genam ſive Gonnam eodem tempore habuerit, quo Bernardus Comes filius ejus ad decipiendum Carolum Regem vere Simplicem ab Hereberto patruele eſt miſſus.

Vt autem ad Theodorici ſecundi veram epocham aliquam perveniamus recte fecerimus, ſi Hildegardæ uxoris annos indagemus. Ejus enim ætate cognita non magnum inter utriuſque ætatem diſcrimen erit. Pater Hildegardæ Ludovicus Transmarinus vulgo dicitur: is anno Chriſti nongenteſimo viceſimo ex Carolo Simplice naſcitur: anno autem poſt trigeſimo ſexto ex Anglia revocatur ad regnum Francorum, annum ætatis agens decimum ſextum: eodem anno Chriſti ex concubina naſcitur ei Hildegarda: quæ anno Chriſti 650 ætatis 14. nubens Theodorico Comiti parit filium Egbertum: qui decem annos natus proficiſcitur Treviros ibidemq; commoratus annos ſeptemdecim à Clero conſentientibus ſuffragiis creatur Archiepiſcopus, anno Chriſti nongenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo. errant enim hic tam ſuperiores ſcriptores quàm Ianus Duoſa, qui illos reprehendit, quod illi aſſerant Egbertum iniiſſe Epiſcopatum ejus ſæculi anno ſeptuageſimo quinto hoc quid id factum eſſe ann. ſeptuageſimo ſeptimo ex Trevirenſium Chronicis evidentiſſime declarat. Auctor enim eſt Abbas Tritenheimius Chronico Hirſaugienſi Theodoricum Archiepiſcopum Trevirenſem, qui proxime Egbertum anteceſſit anno 977. deceſſiſſe & Moguntiaci ſepultum in æde S. Gangulphi, quam de ſuo conſtruxerat & duodecim myſtarum alimentis magnifice dotaverat: fuit autem Egbertus 72. antiſtes Treverenſium, clara origine Batavus patre Theodorico Comite natus, (ut inquit Wilhelmus Kyriander Annalium Treverenſiũ recens author

*De Hildegarda uxore Theoderici ſecundi.*

*Egbertus Archiepiſcopus Trevirenſis*

Author) qui ſedis ſuæ inopiam memorabili liberalitate ſublevavit. accerſitos quippe ſui honoris cauſſa propinquos omnes cognatoſq; de Batavorum Inſula Treverim, opibus eorum, quas attulerant & donariis, quæ domum reverſi inſuper tranſmiſere, Eccleſiam ſuam rapinis exhauſtam largiter ditavit, aureis & argenteis crucibus, planariis, caſulis, dalmaticis, tunicis, palliis, cappis, velis, cortinis, & poſſeſſionibus auxit: Monaſteria urbis rapina & Provincialium prædis exhauſta, recollectis ubique manu poteſtativa poſſeſſionibus reparavit, Iejunium adverſus ſiccitatem terræ & rogationes cruciumque & ſanctarum reliquiarum geſtationes per circuitum vallis Trevericæ ab omnibus qui ſunt in ſua parochia fieri præcepit, tertia à Paſtalibus ſeptimana. Sanctorum multa corpora repperit, nec pauca in Italia, quæ ad Treveros tranſtulit. Induſtria ſua Treverenſi Eccleſiæ baculum Sancti Petri jamdudum amiſſum recuperavit, perſuaſu in id Warino Colonienſium archimyſta, qui diſſecti baculi ſuperiori parte ſibi retenta, reliquum remiſit Treverim. Verum hæc extra oleas, ad inſtitutum revertor.

*Rogationem 983. Indict. 11.*

Ex iis quæ dixi liquet tempora omnia hujus Comitis Theodorici in annos ſeculi ſeros incidere & ſi recte ac ordine digerantur quemadmodum fieri oportet, nihil abſurdi adduci ſi Hildegarda mater Egberti Archiepiſcopi dicatur filia Ludovici Transmarini fuiſſe, præſertim ſi & Lotharii Regis donationem conſideremus reſpectu cognationis in ſororem fuiſſe collatam: ſororem quidem non legitimam, ſed naturalem Roriconi fratri Epiſcopo Laudunenſi ſimilem. Si vero Iani Douſa calculum ſequamur Hildegarda Lotharii Regis ſoror non erit, nec eſſe poterit. Ait enim Egbertum anno 953. veniſſe Teverim, eumque tum fuiſſe annorum ſedecim: natum itaque Anno Chriſti 937. quo tempore Ludovicus Transmarinus erat natus

annos ſeptendecim & filiam matrem habere non potuit. Sed errat & Hic Douſa in recenſendis Treverenſium Archiepiſcopis, dum Rutgero dat ſucceſſorem Henricum. Rutgerus enim anno 914. Cathedram aſcendit & ſedit uſque in annum 928. ei ſucceſſit Robertus uſque ad annum 956 quo tempore in ejus locum ſurrogatur Henricus: qui anno 964. moritur & ſucceſſorem habet Theodoricum: qui anno 977. moriens Egberto ſedem relinquit vacuum. Itaque Egbertus Rutgeri tempore Treverim venire non potuit propter ætatem ſuam, quæ dicitur annorum ſedecim tum fuiſſe Nos mediam viam ingreſſi ſumus quæ & ætati matris & filii ejus eſſet accommodatiſſima.
969. Lectoris eſto Iudicium. Anno igitur poſt nongenteſimum ſexageſimo nono Rex Lotharius donat Theodorico ſecundo foreſtum Waſdæ cum annexis: eo ditatus Theodoricus anno ſequenti cœnobium virginum quod pater ejus ex ligno condiderat, demolitur & aliud ex ſaxo quadrato reponit quod monachi inhabitent. Sacras virgines Bennebroeckam commeare jubet eiſque de victu & vitæ neceſſariis providet ea lege & conditione ut ibi unaquæque vitam finiat & nulla in demortuæ locum ſurrogetur. Monachi aliunde acciti Egmondam recens ſtructam occupant ut & Deo noctes atque dies continenter ſerviant & inſuper Friſiorum excurſiones avertant. Friſii enim prius Monaſterium ex ligna factum quotidianos aſſultibus turbaverant, & cauſam dederant, ut ex lapide reficeretur. At Monaſterium anno poſt ſecundo non obſtitit, quo minus Friſii Hollandos & vicinis ſuis bellum crudele facerent. Friſii cum gaudere libertatis ſuæ privilegio ſatagerent: Hollandiæ vero Comites eam infrangere quotidie conarentur, ex horum diverſis ſtudiis evenit ut Friſii ſtatuerent ſemel omni bello in Hollandos defungi, eaque ratione inſignem exercitum conſcriberent & primo impetu Alcmariam invaderent, occuparent, urerent: Inde

*Egmondæ Cœnobium è ſaxo conſtructum.*

Hae-

Haerlemum infeſtis ſignis peterent & evaſtarent idem facturi Lugduno niſi Burggravius obſtitiſſet & ipſe Comes cum auxiliis militũ in tẽpore occurriſſet & victoriã Friſiis virtute eripuiſſet. addit Douſa ea victoria Comitem uſum parum liberaliter: Imperavit enim victis ut domorum ſuarum januas ſoli orienti obverterent, eaſdem ita deprimerent, ut niſi inclinato corpore egredi vel ingredi non poſſent: ſed quo fine niſi ut egredientes ſemper communem patriam ejuſque libertatem reſpectarent & ſe à jugo ſervitutis vindicarent: quod & ſæpius feliciter à Friſiis eſt factum. Contumelioſa enim ſervitus nunquam fuit uſpiam diuturna aut proſpera. Noſtrates vero affirmant prælio finito pacem inter eos fuiſſe factam, ea conditione ut neuter terminos ſuæ ditionis tranſgrederetur, ſed ſuo contentus alteri moleſtus ne eſſet, eámque pacem duraſſe annos quàm plurimos. Hæc autem omnia de Weſtfriſiis cis Flevum intelligenda ſunt. Illi enim tum cum Hollandiæ Comitibus pro libertate certabant.

Ottone Imperatore ex Italia in Germaniam reverſo, cœpere extemplo Itali quidam, quam Romæ quam in Lombardia Imperium externum odio habere & malle indigenam Principẽ etiam duriorem quam alienigenam clementiæ fama celebrem: itaque in Lombardia quidam ex utroque ordine anno ſtatim ſexageſimo quinto poſt nongenteſimum veterem Regem Adelbertum Berengarii filium ex Corſica ad ſe evocant, ut regnum recipiat: quo cognito & Otto Imperator Burchardum Ducem in Italiam mittit: qui cum Adelberto prælio congreſſus Vidonem fratrem ejus interficit atque ipſum in fugam compellit. Interea Leo octavus Papa XVI. Kalen. Aprilis Romæ moritur: Imperator conſultus à Romanis ut ex Leonis decreto Pontificem ſufficiat: duos Epiſcopos eo nomine Romam mittit. in quorum præſentia Clerus populúſque Ro-

*Itali rebellant.*

*Iohannes 13. Papa Romanus à Romanis urbe pellitur.*

manis conjunctis ſuffragiis Iohannem Epiſcopum Narnienſem Papam declarant& tertium decimum nominant.

Hinc nova præter communem opinionem ſeditionis apud Romanos repente oborta occaſio eſt,dum præfectum Vrbis Conſules & Tribunos plebis male habet opes ſuas ob Imperatore imminuit Pontificis vero augeri & eo modo confirmari. Quocirca Pontificem Iohannem Romani ſubito capiunt, captum urbe propellunt, & decimo poſt demum menſe revocant & in locum ſuum reponunt. His rebus cognitis Imperator graviter commotus conventu Procerum Wormaciæ prius habito Italiam cogitat, ut ſeditioſorum audaciam inſigni aliquo ſeveritatis exemplo compeſcat. Antequam vero iter ſuſcipiat, domi ſuæ negotia componit,ne quid ſe abſente turbarum oriri poſſet. Itaque perſpecta Hermanni Billingii à Stubbekeshorn in rebus gerendis induſtria &fide qua totum quinquennium in adminiſtranda Saxonia ſe abſente is erat uſus, recte exiſtimavit eam virtutem majore præmio dignam. & ad altiora promovendum: Quamobrem ut & animi grati erga miniſtrum ſuum documentum poſteris proderet utque patriæ bene in poſterum conſuleret, hunc Hermannum nobilem quidem virum, ſed fortunæ tenuioris ex procuratore Saxoniæ, Ducem creat: non quidem totius ſed Saxoniæ inferioris,quæ tum ditionem Luneburgenſem Angriam Weſtphaliam cum Holſatia, Stormaria, Wagria & Ditmarſia complectebatur.Atque eo conſtituto in Italiam proficiſcitur.

In Lombardiam igitur ubi venit, cauſa ſeditioſorum ventilata, quoſdam eorum in Franciam, quoſdam in Germaniam deportat: Romam inde poſt natalitia Domini progreſſus, Conſules Italia pellit: Tribunos plebis ſuſpendio necat: præfectum Vrbi veſtibus exutum aſino averſum

imponi,

imponi, per celebriora loca circumduci & virgis cæſum in carcerem detrudi jubet. Seditioſis hunc in modum per Italiam punitis, ad res Italiæ conſtituendas Imperator ſe convertit: varij proinde de his conventus habentur: primus Romæ, alter Ravennæ celebratur. Inde ad Nicephorum Imperatorem Conſtantinopolitanum mittit Legatum, qui Theophaniam ejus privignam filio Ottoni uxorem petat ipſe Ottonem è Germania ad ſe vocat. Ravenna in Hetruriam tranſit & ex ea in Lombardiam: decimo quarto Kalen. Novembris Veronæ conventum populi agit: ad eum & Otto filius ex Germania advenit. Conventu abſoluto Romam revertitur, cum jam ex Thracia legatus ad eum ſoſpes rediiſſet. Pontifex ſtudio Imperatoris adductus die natali Ottonem adoleſcentem corona cum patre ornat & conſortem Imperii facit. Hinc ad Duces Saxoniæ ſcribit in hunc modum.

*Nos Deo juvante valemus omniáque proſpere gerimus. Conſtantinopolitani Regis homines dignitate inſignes ad nos veniunt pacem, ut audimus petituri. Quoquo modo res agatur, bello Deo propitio nos non tentabunt. Apuliam & Calabriã Provincias, quas adhuc tenuere, niſi inter nos convenerit, dabunt. Si vero voluntati noſtræ morem gerent præſenti æſtate coniugem cum Ottone noſtro in Franciam deducentes per Fraxinetum ad delendos Saracenos ingrediemur atque ad vos veniemus.*

*Datum in Camponia iuxta Capuam xv. Kal. Februar.*

Interea Imperator Beneventanos ad obedientiam reducit & ex Campania Romam redit: eo tum Græci Oratores veniunt: Nicephorum referunt nuptias inter Theophaniam & Ottonem adoleſcentem approbare, illum miſſurum puellam ad certum in Calabria locum, quem nominabant. Imperator Legatis fidem habet ac ſtatim exercitus partem cum multis nobilibus ad condictum locum proficiſci jubet. Miſſi autem qui erant per fraudem partim ſunt trucidati, partim capti & Conſtantinopolim deportati. Imperator perfidiam Græcorum deteſtatus, extemplo ad bellum ſe comparat & poſtero anno cum co-
969. piis filium Ottonem in Apuliam & Calabriam mittit: adjungit ei Duces belli paciſque artibus inſignes: qui primum Capuam deinde Tarentum & Metapontum adeunt, Sarracenos prædis onuſtos Italia pellunt: in Calabria Græcos in inſidias trahunt eoſque partim occidunt partim captos, naribus truncant & ad contumeliam Conſtantinopolim dimittunt. eo modo Apulia & Calabria tandem ad Imperium occidentale rediit.

Ea clade Conſtantinopolitani graviter commoti Nice-
969. phorum anno nongenteſimo ſeptuageſimo per Iohannem Zimiſcem interficiunt & Imperium ad ipſum deferunt. Sequenti anno Imperator Archiepiſcopum Mediolanenſem ad Iohannem mittit ut iterum Theophaniam Romani
970. ni junioris filiam Ottoni ſuo conjugem petat qui à Iohanne benigne acceptus Teophaniam cum honeſto Comita-
971. tu in Italiam ducit. Teophania autem poſtero anno Romam veniens regifice excipitur & nuptiis celebratis à Iohanne Pontifice in gratiam ſoceri coronatur & Auguſtæ cognomen accipit. His rebus rite peractis Imperator Ot-
972. to Papiam recedit & poſt decimum Kalend. Auguſti cum filio & nuru ex Italia in Franciam & inde in Germaniam redux proficiſcitur. Octavo autem Idus Septembris Iohannes

hannes Pontifex è vita migra, & Benedictum ſextum habet ſucceſſorem.

Anno poſt nongenteſimum ſuptuageſimo tertio Imperator Quendlcburgi Paſca celebrat, ac frequentibus omnium Provinciarum Legationibus ſalutatur. Tertia autem feria ante Pentecoſtem venit Minnelebam, poſtero die hora conſueta ad menſam lætus conſidet, veſpertinis laudibus intereſt, verum peracta Euangelii recitatione æſtuare incipit: quo viſo aſtantes principes eum ſedili imponunt, inclinantem caput quaſi deficientem refocillant, donec adminiſtrato corporis Chriſti ſacramento feria quarta ante Pentecoſtem Nonis Maii ſpiritum domino reddit. Inde in cubiculum transfertur: mors ejus ſub veſperam populo annunciatur. fit luctus ingens, corpus ejus à filio Magdeburgi ſepelitur cum hoc elogio: *Otto 1, Imperator moritur.*

*Tres luctus cauſæ ſunt hoc ſub marmore clauſæ,*
*Rex, decus Eccleſiæ, ſummus honor patriæ.*

fuit Imperator Otto Princeps ob Iuſtitiam, pietatem, clementiam & belli artes nulli Principum ſecundus, ob id & magnus & amor mundi cognomento dictus.

Succeſſit ei in Regno & Imperio Otto filius ejus nominis ſecundus, bis à Proceribus ad id electus & proclamatus: cui primum certamen fuit cum Heraldo Daniæ Rege qui cum adverſus ipſum cum Henrico Bavariæ Duce conſpiraſſet, primus etiam Saxoniam turbavit & in Tranſalbianos movit: ſed facile rejectus pacem petit & dato filio obſide, obtinuit. Deinde Otto in Bavariam contendit ut Henricum Hezelonem patruelem ſuum qui Imperium affectabat ad obedientiam revocet, ſed prius eum ab Comitia evocat & comparentem convincit. Verum ubi quieſcere

eſcere non vult ipſum Bawaria expellit.

In Italia Benedictus Papa cum ſediſſet annum unum menſes tres & dies aliquot à Bonifacio Francone violenta manu capitur, in carcerem conjicitur & ibidem ſtrangulatur. Ei ſuccedit Donus ſecundus patria Romanus. In Brabantia Regnerus & Lambertus Regneri longicolli heredes montem Hainaviæ armis repetunt: Boſlutum munitionem contra Cæſarem ædificant: ſed armis Ottonis munitio illorum deſtruitur & ipſi in Gallias, unde venerant rejiciuntur: Hæc anno 974. acta ſunt.

Iohannes Zemiſces Imperator orientis cum Saracenos profligaſſet, Damaſci in reditu veneno tollitur: ſuccedunt ei Baſilius& Cōſtantinus ex Theodora Romani Iunoris filia nati fratres. Bardas cognomēto Sclerus in eos inſurgit & ſeditionem quatuor annos trahit, Imperator Otto Poloniam ſubjugat. Henricum patruelem fugat Paſſavium expugnat: anno 977. ſexto Idus Februarii Baldericus Epiſcopus Vltrajectinus excedit è vita, cum ſediſſet annos 59. ſucceſſorē accipit Folckmarum natione Friſium. Lotharius Galliæ Rex contra fœdus Lotharingiam occupat & porro Germaniam cogitat: Ottonem Imperatorē Aquiſgrani ſecurius agentem pene opprimit & in fugam cōjicit: ſed collecto exercitu Lotharingia ab Ottone pellitur & in interiora regni recedit. quod ferro & flamma duos menſes continēter expilatur ſolis divorum templis à ruina ſervatis. In reditu ad axonam flumen Imperator damnum patitur: ſed intercedentibus utrimque amicis inter amitinos pax conſtituitur Lotharius Germaniæ renunciat: & Imperator Lotharingiam, quæ nunc Brabantia eſt, Carolo fratri Lotharii Regis donat: utrumque Galliæ Proceres habet male.

*Status Franciæ.*

Rebus Germaniæ Galliæque pacatis cum Imperatores Græci Apuliam atque Calabriam iterum occupaſſent, Imperator

perator Otto cum Theophania in Italiã contendit. Interea 980.
Lutgarda Theophaniæ ſoror nubit Arnulpho Theodorici ſecundi Hollandiæ Comitis filio, ut annalis teſtantur. Haraldus Daniæ Rex à filio Suenottone ſolio pulſus, dum ſpe concordiæ in Daniam redit à quodam milite, qui à filio ſubmiſſus erat, ex inſidiis ſagitta vulneratur & Iulini apud paganos ſauciis moritur & Roſcildiam à militibus deportatus terræ commendatur, cum regnaſſet annos quinquaginta. Hic populo Daniæ primis induxit Chriſti cultum & totum Septentrionem ſacerdotibus & Eccleſiis implevit: ejus memoria & uxoris ejus Gunhild in perpetuum apud nos manebit. Inquit M. Adamus Bremenſis Certiſſimum vero eſt (inquit idem) eum tam noſtro populo, quam Tranſalbianis Friſonũ gẽti leges ac jura cõſtituiſſe & quæ adhuc pro tanti auctoritate viri ſervare contendunt. Eſt aũt à filio regno pulſus ob longevitatem ut videtur: occaſionem præbente matre ejus, quæ uxor Gormonis in fide Chriſti apud Angelos educata, Regnum ſuum firmare & in pace cuſtodire ſatagebat. Germo enim & Haraldus ab Ottone Magno victi & ad religionem Chriſti ab eodem compulſi Legem acceperunt ut Sleſvicum Iutiæ terminus eſſet & Eidora flumine à Saxonia ſepararetur. Is limes ut inter illos populos evidentior eſſet, Thyra uxor & mater Regum ab ortu ad occaſum vallum cum foſſa in Iutia jecit, qui magno ſumptu & labore cum fieret, populum incitavit, ut ollas AEgypti deſideraret & ad veterem reſpiceret paganiſmum. Mortua autem Thyra cum Haraldus matri ſuæ monumentum perpetuæ laudis erigere vellet & plebi ſaxum ingens in hoc effodere juberet evenit, quod jam antea metuebatur ut populus pleno curſu ad veteres mores recurrerent, idque inſtinctu Suenottonis filii qui frigidam ſuffundebat. verum enimvero ruinam ejus aliquantulum remoratus eſt Poppo vir ſanctus à Cæſare miſſus ad Danos, ut eos in religione Chriſti confirmaret. Hic

*Arnulphus ducit Lutgardam.*

enim Barbaris quærentibus ſignum chirothecam ferream igne candentem repente induit & illæſus ab igne conſpectus eſt. & ut amplius ſuæ fidei teſtimonium exhiberet, tunicam ceratam indutus in medio populi circo cum ſtaret incendi juſſit: ipſe vero oculis & manibus in cœlum protenſis liquentis flammas tam patienter ſuſtinuit, ut veſte prorſus ambuſta & in favillam redacta, hilari ac jucundo vultu ne fumum quidem incendii ſe percepiſſe ſit teſtatus. Cujus novitate miraculi tunc multi & in fide retenti & ad fidem recentes aſſerunt: Poponis nomen in Dania celebratum ſupra modum eſt. Hoc factum alii Erico Regi Suecorum qui Suenonem ejecit in exilium, alii Suenoni reſtituto, alii Haraldo tribuunt: quidam etiam illud veniſſe Ripæ: alii Sloſvici contendunt. Vtrumque ſe tempus & locus habeant propter longinquitatem & defectum ſcriptorum fides tamen ejus eſt certa & apud omnes bene accepta.

Otto autem Imperator ubi in Italiam venit repperit ibi omnia perturbatiſſima. Nam & Civitates paſſim conſulatus inſtituerant & turres privatas in Vrbibus ædificaverāt: & Romæ præcipue veterem libertatem aucupabantur. Benedictus ſextus in carcere necatus, Donus ſubſtitutus & mox poſt Donum Bonifacius ſeptimus intruſus. Qui poſt menſem Tuſcalanorum Comitem factionem fugiens Baſilica vaticana ſpoliata Conſtantinopolim conceſſit & Benedictum ſeptimum accepit ſucceſſorem: qui tumultum Romæ ingraveſcentem leniviſſe dicitur. Itaque cum Romam acceſſiſſet Otto, ſeditionem Italicarum memor, eas impunitas tranſire noluit. Quamobrem Principes & Legatos Civitatum ad convivium in vaticanum convocavit: & ex illis reos ſeditionum capite plecti & in conſpectu convivarum trucidari juſſit: quæ res ut crudelitatis plena erat, ita ipſi cognomen ſaguinarii indidit. Inde gra-

te in Apulia cum Græcis ac Saracenis bellum habuit &
multas res proſpere geſſit. Sed cum ſequenti anno. Idi- 982.
bus Iuliis atrox prelium cum Græcis ac Saracenis committeret in ipſo pugnæ ardore ob crudelitatis memoriam à Romanis & Beneventanis eſt deſertus, exercitus ejus conciſus, ipſe ad mare delatus à prædonibus captus, ſed haud agnitus beneficio Græcæ linguæ quam Oſnabruggæ Iuvenis didicerat, perſoluto modico Lytro vix evaſit. Perierunt tum temporis multi præclari viri, qui ipſum ex Germania erant ſecuti: ipſe cum reliquas diſperſi exercitus collegiſſet, ſequenti anno repente & ex improviſo Beneventanos proditores invaſit & urbem eorum diruit. Inde in Lombardiam proficiſcitur ut ſupplementum exercitui pa-
ret, ſed mox regreditur Verona Ravennam & Ravenna
Romam: ubi animi ægritudine confectus octavo Idus De- 983.
cembris è vita migrat & in Baſilicæ vaticanæ veſtibulo ſepelitur, cum Imperaſſet à morte patris annos decem. Succedit ei filius Otto tertius decem annorum puer atque infans primum, ſed mox ob ſapientiam, quæ cum ætate creſcebat, mirabilia mundi appellatus.

Romæ Benedictus ſeptimus Papa anno 984. die 10. Iu-
lii è vita abit, cui ſurrogatur Petrus Epiſcopus Papienſis
qui ſe Iohannem 14. nominari voluit. Sub hoc Papa E- 948.
piſcopi & Sacerdotes Romæ quandam ſocietatem inter ſe ineunt ut pro ſociis defunctis ſinguli Miſſam celebrent. Lotharius Rex Galliæ pacem iterum in Lotharingia turbat, ſed miſſis ab Imperatore Legatis, mitigatus ab ea abſtinet & captivos reſtituit. Bonifacius Papa qui Conſtantinopolim fugerat divenditis ſacris ac multa ex iis conflata pecunia comperto Benedictum eſſe mortuum Romã ſubito advolat Iohannem decimum quartum corripit & cuſtodiæ tradit: & intra octo menſes mortuo ipſe vacuam ſedem D. Petri invadit. nec ita multo poſt moritur: illi ſufficitur

Iohannes decimus quintus & poſt quatuor menſes Iohannes decimus ſextus.

Interea Imperator Neomagi ac Wahalim cum eſſet, Theodorico Comiti Hollandiæ ejus nominis ſecundo donationem facit: in qua omnes ditiones, quas ille hactenus Iure fiduciario tenuerat, pleno Iure dominii in ipſum transfert, eo modo impoſterum Arnulphum filium ejus ſuum conſobrinum egregie extollens & à Iure clientelari liberans. Diploma donationis his verbis conceptum inventum fuit, non in Archanis Hollandiæ, ſed ad calcem antiqui cujuſdam manuſcripti Chronici in Bibliotheca Egmondenſi.

*Donatio Ottonis uſque in Theodoricum ſecundū*

*In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Otto divina favente clementia Rex. Cunctis fidelibus noſtris, præſentibus ſcilicet atque futuris; manifeſtum eſſe volumus, quomodo nos ob votum & amorem dilectæ genetricis noſtræ, Theophanæ videlicet Imperatricis Auguſtæ, nec non & interventu fidelium noſtrorum Egberti Treverenſis Eccleſiæ venerablis Archiepiſcopi & nepotis noſtri Henrici Baiorum Ducis, fideli noſtro Theodorico Comiti, quicquid noſtro conceſſu hactenus in beneficio tenuit, inter duo flumina Liora & Hiſla in proprium dedimus, cum omnibus utenſilibus, quæ in eodem beneficio Regio conceſſu per fructuariū uſum ante*

hac

*hac poſſedit. Et totum quod noſtra regia conceſſione in villa Sunnemere dicta beneficiario uſu uſque modo habuit, cum omni utilitate illic aſpiciente, & etiam in proprium deinceps tenendum donavimus. Adhuc quoque quicquid beneficij noſtra de parte inter duo flumina Medemelacha & Chinneloſara Gemarchi dicta tenuit, cum omnibus appendicijs ad idem beneficium pertinentibus, ſimiliter in proprietatem habendam dedimus. Ad hæc etiam totum, quod de noſtro Iure in Pago Texla nuncupato, in beneficium tenuit, cum omni utilitate ad hoc appendente (excepto quod vulgari lingua dicitur Huſlada) ad integrum ſibi in proprium tradidimus in Comitatibus ita nuncupatis Maſalant, Kinhem, Texla. Et ut de prædictis rebus liberam habeat poteſtatem donandi, commutandi, ſeu quidquid voluerit faciendi, hoc noſtræ auctoritatis præceptum conſcribi & annuli noſtri impreſſione ſigillari juſſimus, manuque propria ſubter firmavimus. Signum domini Ottonis glorioſiſſimi Regis. Hildebaldus Epiſcopus & Cancellarius vice VVilligeſi Archicapellani recognovi. Data 8, Kal. Septembris an-*

*no dominicæ incarnationis Dccccdxxxv. Indictione xiij. Anno autem Ottonis Tertij regnantis 21. Actum Noivomago fæliciter Amen.*

De Epochis non eſt dubium quin inter ſe conveniant. Illud obſcurum quomodo Comitatus Maſelant, Kinhem, & Texla abſolvantur à Clientela excepto Iure regali quod Huſlada vulgo dicitur, quod nihil aliud eſt quam cenſus unicuique domui impoſitus, in recognitionem ſuperioris habemus tale Ius etiam in Friſia & peculiariter inculcatum in privilegio quod Sigiſmundus Imperator Friſiis renovavit. Verum hoc jus antiquus quam ut nunc repeti poſſet aut debeat. Nec eſt operæ precium locis hujus Diplomatis per quam obſcuras diutius immorari, quandoquidem jam omnia ſub unam ditionem redacta ſunt & nullum patiuntur controverſiam.

Anno ſequenti die ſecundo Martii è vita migrat Rex Galliæ Lotharius Ludovici Tarnsmarini filius, natus annos quadraginta quinque. Succedit ei in regno Ludovicus filius qui parum diu vivit. Otto Imperator bello biennali Bohemos domat. Ludovico Regi in Galliis ſuccedit non patruus Carolus Dux Lotharingię, ſed Hugo Capetus Hugonis Magni filius ex teſtamento Regis Lotharii, uti jactabat, tertio Nonas Iulii anno 987. Rhenis conſecratus ſicuti teſtatur Hiſtoricus Burgundiæ Nicolaus Vignerius. Carolus ab Hugone proditione captus Aurelianum miſſis in cuſtodiam & retentus donec vitam exhalaret. Sic tertium ſtemma Regum in Gallia natum quod Capevingorum eſt dictum & in hodiernum uſque diem adhuc ſuperat. Erat Hugo Magnus Roberti Regis Franciæ contra Carolum Simplicem electi filius, Roberti à Normannis cæſi nepos Windekindi Saxonis & Andium Ducis

*Hugo Capetus Rex Frãciæ.*

*Tertium ſtẽma Regum Galliæ oritur*

prone;

pronepos à Caroli Magni proſapia omnino alienus. Sic transfert & conſtituit Deus regnum ubi vult: ſit nomen ejus benedictum in perpetuum.

*Theodoricus ſecundus Hollandiæ Comes moritur.*

Anno 988. pridie Nonas Maii mortem obit Theodoricus Comes Hollandiæ ſecundus, cum imperaſſet annos octuaginta quinque, ut vulgo putant. Sed errorem eſſe perſpicuum in calculo ex ſuperioribus liquido patet. Si enim primus Theodoricus ditionē ſuam à Carolo Simplice accepit Anno 923. quemadmodum Libro Annalium ſeptimo cōprobavimus & rexit eam annos quadraginta, uti omnes Chronographi ſcribunt, profecto verum eſt ſecundum Theodoricum anno demum nongenteſimo ſexageſimo tertio, quo pater eſt mortuus, imperium eſſe auſpicatum & illud tenuiſſe annos tantum viginti quinque. Iam ſi matrimonium atque liberos ejus conſideres, ſi donationes Regum quas accepit, nihil inde aliud concludes, quam eas cum ætate convenire. Vaſdam Theodoricus ſecundus à Lothario Rege Galliæ uxoris ſuæ fratre anno nongenteſimo ſexageſimo nono: quod factum prius aretalogi ut antiquitatem conciliarent. in annum 868. rejecerant. Idem ab Ottone tertio Imperatore promeretur anno 985. ut bona quæ poſſidebat clientela liberentur non aliam ſane ob cauſam, quam quia erat adhuc & corpore validus & Imperio præterea utilis. Sed dicat aliquis hoc ob affinitatem eſſe factum. qua Imperator cum ipſo per filium jungebatur, quod quidem eſt verum, ſed tamē in ſenectam incidit extremam, ſi tempus regiminis annorum eſt octuaginta quinque: quod ego pernego, eodem anno tertio Idus Aprilis ante Comitem obiit Hildegarda conjux ejus & Egmondæ ſepulta cum ipſo requieſcit. Succedit illis filius Arnoldus ſive Arnulphus cum uxore Lutgarda, qui perpetuum bellum cum Weſtphriſiis habet & tandem ab illis quinquennio vertente occiditur. Is fratrem habebat

Egbertum

Egbertum Archiepiſcopũ Treverenſem & Arlindam ſororem puellam valde pulchram, quæ celebs obiit. Cum in Dania poſt & ante mortem Haraldi regis populus ad Paganiſmum inclinaret, Suenotto ex ea re occaſionem cepit patrem ſuum Haraldum perſequendi & Regno pellendi. Sed nec eo contentus poſt mortem patris bellum fecit Iulinenſibus, quod patris cadaver apud Roſchildiam terræ commodaſſet verum is pænas ſuæ temeritatis dedit ingentes. Ter enim à Iulinenſibus prælio victus & in poteſtatem redactus, ter etiam à ſubditis, primum Auro deinde auro & argento, tertio mulierum ornamentis modo eſt redemptus adeo ut ipſe totus inops & populus ad incitas devenerit. Quæ quidem calamitas gravis ei admodum fuit: Sed gravior in illum à Septentrione clades incubuit. Ericus enim Rex Sueonum ejus fortunam contemplatus illum reſpitantem porro impulit, ut totus conſideret: collecto enim magno exercitu in Daniam duxit, collatoq; prælio navali Suenottonem regno expulit: qui ex torris cum nec in Norwegia nec in Anglia à propinquis exciperetur in Scotiam ſe abdidit & ibidem annos quatuordecim apud Regem delicuit. Erico autem deinde mortuo reputans vitæ ante acta immania delicta corde contritus ad Dei miſericordiam ceu alter Manaſſes confungit & in regnum ſuum à Deo reſtitutus inimici ſui uxorem & regna veluti Hæres obtinuit. Quo facto & ipſe religionem Chriſti in Dania & Suetia porro auxit & propagavit, piratas tamen ſui regni omnino coercere non potuit, quominus manus ſuas in Friſios atque Saxones vicinos extenderent, ferunt enim piratas, quas Aſcomanus vocant, claſſe eo tempore invaſiſſe Saxoniam & omnia Friſiæ & Haduleriæ vaſtaſſe maritima: eoſdem albis oſtium ingreſſos prælio circa Stadam cum Saxonibus decertaſſe, obtinuſſe victoriam, captas vinculis conſtrinxiſſe, ad naves duxiſſe ut eos abducerent, ſed ira accenſos cum Sigefridum Mar-

chionem

chionem evaſiſſe comperiſſent reliquos manibus,pedibus, naribusque præciſis deformatos in littus abieciſſe & ſuis ſpectaculum exhibuiſſe miſerabile. Aliam item claſſem, penetraſſe per Wiſurgim, multos ſecum duxiſſe captivos ſed piratas à Saxonibus id unum omnes fuiſſe cœſos,quorum numerus viginti millia compleverit. Ea res toti Saxoniæ tum maximum terrorem intulit: Sed prudentia ac virtute Bennonis Ducis Luneburgenſis aliquo modo coercita eſt.

Eodem fere tempore, quo Dani ad Chriſtianiſmum reverterunt & Hungari gens alioqui effera & valde barbara prædicante illis Alberto Epiſcopo Pragenſi, ad fidem Chriſtianam converſi ſunt. Theophania quoque Imperatoris vidua in Italiam proficiſcitur,ut ibi res turbatas componat & ſua præſentia tranquillet & triennio poſt ibidem morte extinguitur. In oriente imperium ſeditionibus totum quadriennium turbaverat Barda Phocas; is eodem anno in Aprili moritur & pacem ſua morte Imperio reſtituit. Apud noſtrates in Annales eſt relatum Siphridum Arnulphi Hollandiæ Comitis juniorem filium, cum Domi quendam nobilem avo ſuo jucundum, inter jurgia interemiſſet, Patria profugum deveniſſe Stauriam atque inibi à Goſuino Ludigmanno qui tum poteſtatis Friſiæ magiſtratu fungebatur, liberaliter hoſpitio ſuſceptum, manſiſſe tam diu apud ipſum donec ejus filia potiretur uxore& binos ex ea liberos Theodoricum & Simonem,ſuſciperet. Hunc Suphridum ajunt vocatum à Friſiis Sicconem, uxorem ejus Tettam ſive Tetburgam: avibus vixiſſe auctor ſe concordes & ſua fortuna contentos. Cum autem Arnulphi major natu filius nomine Theodoricus,ejus nominis tertius, uxorem duceret Saxoniæ Ducis filiam: inter nuptias è republica viſum eſt Proceribus,ut ſarta inter fratres gratia & Siphridus cum ſua conjuge ad eaſdem voca-

989.

Bederodiorum origo.

retur & familiæ ſuæ redderetur antiquæ. Itaque in gratiam à fratre ſuſceptus Siphridus, cum conjuge & liberis accerſitus libens adfuit, fratriſque conjugium ſua præſentia cohoneſtavit. Viſa autem ejus prole cum omnes valde gauderent, cæperunt deinceps cum fratre Comite agere, ne fratrem ſuum omni hæreditate excluderet, ſed eum tanta portione impertiretur, quanta ad alendam pro dignitate familiam, ſufficiat. Frater autem à Proceribus exoratus, fratri ſuo dedit non tantum Bredenrodam & Theylingiam Arces cum reditibus luculentis, verum etiam confirmavit ipſi Præfecturam Cinnemariæ & in ſua abſentia totius Hollandiæ Vicarium conſtituit. Pater autem Siphrido poſtea mortuo Ars Bredenroda Theodorico filio majore, Theylinga autem Simoni ceſſit: unde duæ nobiliſſimæ Bredenrodiorum & Theylingiorum in Hollandia ſtemma originem ducunt. Quod autem rythmi Hollandici commemorant Siphridum accepiſſe conjugem Caſtricomienſem quæ faſſino pulchritudinis ipſum ſeduxerit: verum eſſe poteſt, ſi tempora bene diſtinguens. Nam & Tettam habere potuit antequã Cinnemariam gubernaret: & deinde ea mortua in Caſtricomiæ amorem incediſſe, ut ſunt Principum animi in eam rem perpetuæ nobiles. Hæc autem quæ à Friſijs refertur Hiſtoria, fere apud omnes obtinet & quidem apud ipſis Bredenrodios.

*Arculenſium origo.*

Similis narratio etiam de familia Arculeia recenſetur in Scheidis antiquis: quam recentiores turpiter vitiant. Scribitur illic tempore Theodorici ſecundi Hollandiæ Comitis veniſſe quendam ex Hungaria nobilem virum Heinemannum nomine, qui militiæ exercendæ cauſa vagari primum ſolitus, multas Principum aulas adierat, tandem etiam in familiam Ottonis tertii Imperatoris pervenerit. Hunc miſſum ab Imperatore in Saxoniam inferiorem, quæ nunc Friſia ſuperior appellatur, ad Villicum quen-

quendam potentem, qui negotia Imperatoris eidem procurabat, hæſiſſe apud illum per annum & amplius, amaſſe filiam Villici Gellam nomine, quæ viri fortitudine & ſpecie capta parentes deſeruerit ſuos & cum viro in Hollandiā fugerit, aſſumptus ſecum clinodiis & theſauris familiæ non modicis. Hunc item virum adeo Comiti Hollandiæ fuiſſe jucundum, ut ei in Batavis ad Fluviolum Lingam quædam prædia donaverit, ubi ille Arkeliam condiderit & Lederdamum magni nominis Arces atque Villas. Genuiſſe ex ſua Gella Friſica muliere Dodonem & Popponem filios: quorum ille Lederdami, hic vero Arkeliæ fuerit dominus, ex quibus Dalemii, Gellichemii, Kedichemii, Zevendorii & Haefteni Proceres, ſuam ducant originem. Enimvero Pontus Heuterus in ſuis genealogiis, hanc familiam non tractat fide optima, ut illic eſt videre. Hienemannus autem obiiſſe perhibetur, anno poſt nongenteſimum nonageſimo ſexto, ita iſtæ quatuor in Hollandia ſtirpes nobiles à duabus Friſiacis propagatæ fœminis inter ſe fuerint ætate firme æquales, ut ratio temporis indicat.

Anno autem 989. tertio Idus Decemb. obiit Volcmarus Friſius Vltrajectinæ ſedis Epiſcopus decimus ſextus, cum ſediſſet annos duodecim & undecim menſes. Succedit ei Balduinus Siphridi ſive Sicconis Bredērodii filius: ut ait Hæda, verum turpiter errat. Arnulphus enim duxit uxorem anno 980. ex ea non potuit habere nepotem, anno 990 qui regendo Epiſcopatu eſſet aptus. Dicendum autem Balduinum fuiſſe Arnoldi duodecimi Comitis Cliviæ filium & Balderici nepotem, qui in locum Volcmari Friſii eſt ſurrogatus ut habet Bockenbergius, ſedet Balduinus annos quatuor; & ſucceſſorem habet Anfridum. *Volcmarus Epiſcopus Trajectenſis.*

Anno 991. Carolus Lotharingiæ Dux, Lotharii Regis frater è vita migrat: ei ſuccedit in Ducatu filius Otto, qui imperat annos quindecim nulla relicta ſobole. Ejus ſo-

ror Gerberga nubit Lamberto Comiti montis Hainaviæ: ipſa Comes Bruxellæ & Lovanii audit. Erat autem Lotharingia hæc cujus Dux erat Carolus, tum inferior, quæ poſtea Brabantia nominata fuit. Superiorem enim Lotharingiam, partim Moſellæ Comites, partim Epiſcopi Colonienſis&Leodicenſis ex donationibusPrincipum jam occupaverant. His autem annus quibus hæc regni converſio in Francia contigit, multi autem audiebantur nocturni clamores in aere ſuper Friſiam, quaſi acies exercituum inter ſe concurrerent: qui maximos in populo præſertim anno 989.& 91.excitabant terrores.

Secutum inde bellum eſt inter Arnulphum Hollandiæ Comitem tertium, & Weſtphriſios inter ſe vicinos. Nam ut pater ejus & avus Theodoricus multa & diverſa prælia in Friſios geſſerant, ut eos ſuæ ditioni ſubjicerent ita & Arnulphus illorũ veſtigia inſequebatur, quotidianis prope velitationibus,illorum Friſiorum quietem interturbãs.

993. *Bellum Arnulphi in VVeſtfriſios.*

Vt autem aliquis tandem tumultuandi finis inveneretur, convenit inter diſſidentes ut anno 993.Kalendis Octob. acie decertarẽt in pratis ad Vinckelium vicum Weſtphriſiæ celebrem In eo prælio ad condictum locum & tempus die utrimque ancipiti marte pugnatum eſt acriter, ſub veſperam vero Friſii reſumptis animis in Hollandos incubuere acrius & occiſo Arnulpho partium duce victoriam obtinuerunt quam virtus & libertas ipſorum merebatur. Cecidit ibi tum pleraque nobilitas Hollandica, quæ honeſte tumulata & terræ condita. Comes ipſe Egmondam deportatus, ibi denique apud ſuos eſt honorifice ſepultus. Succedit ei in Comitatu Theodoricus filius ejus nominis tertius, Comes quartus. Romæ Creſcens Nomentanus favore populi conſulatum adeptus cum eſſet & ingenio ſolers & animo magnus, novam exorditur ſeditionis telam, qua ſe &Imperatorẽ &imperiumItaliæ ſuum faciat.Dolebat

bat enim ipſi eam dignitatem Patriæ demptam & ad exteros nullo fere jure tranſlatam. Itaque à populo in propoſito confirmatus altero anno Pontificem Iohannem aggreditur, ut & is conſenſum novo imperio præbeat, eundemque negantem Vrbe expellit. Pontifex autem in Tuſciam ſecedit, totum negotium ad Ottonem Imperatorem defert, obnixe rogans ut Vrbi & Eccleſiæ laboranti velit ſuccurrere: Ea re cognita Creſcens rebus ſuis diffuſis per amicos, Pontificem placat & in urbem revocatum maximo honore colit & veneratur. Archiepiſcopus quoque Mediolanenſis à civibus diſſidens prælio eodem tempore ab eis ſuperatus Imperatoris auxilium implorat. Quocirca & Otto in Italiam magno ſuccinctus exercitu vadit &tranſcenſis alpibus Veronam primo impetu occupat Mediolanum, deinde properat ut Cives ad obedientia redigat. Archiepiſcopus à copiis Imperatoris Patriæ excidium metuens prudenter litem cum Civibus clam Ottone componit: Ottonem Regio diademate placat & ſibi reconciliat.

*Creſcentij in Italia ſeditio*

995.

Compoſitis Mediolanenſium rebus Imperator Ravennam contendit, & Iohannem Pontificem obiiſſe audiens, Brunonem, Saxonem propinquum ſuum jure ſuo Papam nominat & 17, Kal. Iulii Romam mittit conſecrandum. Hic Bruno dictus Gregorius quintus fuit: qui anno ſequenti Ottonem, cum veniſſet Romam, quinto Idus Maii, qui dies erat Pentecoſtes, corona Imperatoria exornavit: & in Lombardiam remiſit. Apud Ronchalias eo die, quo jus viduis diceret Imperator, ipſe à vidua Comitis Mutinenſis eſt capitis poſtulatus, quia maritum ejus innocentem, ut adulterum capitis injuſte damnaſſet: & innocentia mortui per ferrum candens à Vidua probata, faſſus eſt Imperator ſe pæna dignum, ſed ad eam ſubeundam inducias ternas petiit. Quarta autem dilatione vidua Reginam voluit dari ad mortem, utpote quę virum ejus falſo accuſaſſet,

996.

& erroris cauſam Imperatori dediſſet, quod & factum eſt. Nam uxor Imperatoris Maria Hiſpana mulier, ad ignem damnata & ab eo apud Mutinam conſumpta eſt, ut auctores ſcribunt, eo quod ſuam pudicitiam à Comite attentatam fuiſſet mentita: quæ ſe ipſa ſtupro obtuliſſet & repudium erat paſſa. Inde Imperator in Germaniam proficiſcitur, ſed vix eo venerat cum Creſcens Georgium veteri ambitione ſtimulatus, ſua ſede deturbat & in Hetruriam pellit ſuffecto in ejus locum Epiſcopo Placentino qui Conſtantipolitanus erat & homo valde pecunioſus, ea re per-
997. cepta Gregorius Ottonē in Germania ſequitur: Creſcens mœnia Vrbis reficit molē Hadriani novis operibus adverſus Imperatorem munit. Quâobrem nec Imperator tardat ſed primo vere cum Gregorio Pōtifice in Italiam redit: Romam menſe Majo obſidet & fame ad deditionē cogit. Creſcente in molem Hadriani ſe condente populus iram ſuam in Iohannē Pontificem vertit: illum oculis irrutis; auribus & naribus truncatis, præpoſtere aſino imponit & circumductum per loca Vrbis celeberrima, tandem occidit: inde portas Imperatori aperit & cum eo pacem facit. Gregorium decimo poſtquam deſtitutus eſſet menſe, ſedi ſuæ reſtituunt. Imperator deinde ad obſidendum arcem ſe parat. Ac cum obſidio ea in longum traheretur ſpes vana Creſcenti præbita ſi ſe dederat & ſacramento firmata ipſum impulit, ut arce relicta in poteſtatem Imperatoris veniret: qui fidem ei non ſervavit. Creſcens igitur perfidia captus cum duodecim aliis ſociis capite pænas dedit & Imperatori turpem perfidiæ notam manifeſto inuſſit. Gre-
998. gorius xij. Kal. Martii anno ſequenti migrat è vita, Surrogatur ei Gerbertus Archiepiſcopus Ravennas qui antea
*Silveſter ſecundus Papa Romanus.* Rhemenſis fuerat & Ottonem Imperatorem in bonis literis inſtituerat. Quamobrem & Otto eundem Comitiis habitis Kalendis Novembris Romanis ipſis approbantibus Pontificem dedit & Sylveſtrem ſecundum appellavit.

Anno

Anno poſt nongenteſimum nonageſimo quinto in Friſia apud Weſtbiromianos natus eſt infans triceps , cujus duo capita antrorſum medium vero retrorſum ſpectabant: Baptiſmo initiatus more ejus ſeculi, vixit dies tres. Anno autē quarto poſt apparuit ſupra Stauriam Phriſiæ tum Metropolim, horribilis quidā Cometa dies continue decem flammas ſuas varie ſpargens & non ita diu poſt ſecuta peſtilentia graviſſima, quæ multos cives abſumpſit , qui quamvis fuga ſibi utcumque conſulebant, manum Dei tamen effugere omnes non potuerunt. Anno ſuperiore quidem Haytzo Enckema cum Sulcone ſuo cognato detulerunt ad Friſiæ mandatarios atque judices Heſſelum Ædonis filium Iongamannum tanquam proditorem ut qui pacta pecunia ſtatuiſſet Patriam tradere in manus Arnulphi Comitis Hollandiæ ſi viciſſet nec fuiſſet à Weſtphriſiis cęſſus pactiq; erant ſilentium ne indicarentur. Iudices aũt & mādatarii cum criminationem Heſſelo propoſuiſſent, eam ab illo acceperunt eam excuſationem, ut ipſum innocentē declararent. Verũ Heſſelus illa declaratione non contentus hoc urgebat maxime, ut ipſi accuſatores ſibi detegerentur: quos ut indicarent adduci primum judices non poterant: Verum cum Heſſelus identidem inſtaret, expreſſit tandem illorum nomina. Haytzo igitur & Sulko publice interrogati unde ſuæ criminationis haberent Teſtimonia, quibus virum illum alioqui probe notum de proditione poſſent convincere: ad ea nihil aliud reſponderunt, quam ſe hoc commentos ut vetus odium, quod in Heſſelum jamdudum conceperant, expiarent. Qua re turbati omnes & præcipue Iongama eveſtigio cœpit rogare mandatarios atque judices ut ſibi liceret cum duobus iſtos Sycophantis ſingulari pugna congredi & innocentiam ſuam aut victoria tueri aut morte explere ipſorum crudele odium in ipſum temere conceptum. Quod cum Patria lex & conſuetudo denegare prohiberent, pedem cum utroque contulit

infans triceps

999.

*Heſſelus Iongama ut proditor diffamatur.*

tulit Heſſelus & Haytzoni quidem caput diffudit, alteri vero vulnus inflixit, ex quo & ille ſtatim eſt mortuus. Sic pæna in auctores juſtiſſime rediit, quę alteri erat intentata. His ita peractis judicis etiam bona cæſorum Heſſelo adjudicarunt; ſed Heſſelus ea accipere noluit, dicens ſibi ſatisfactum demonſtratione innocentiæ ſuæ, quam ultra nihil amplius petat.

Anno Chriſti milleſimo Otto Imperator, ex Italia in
1000. Germaniam redit & quinto Idus Maij Aquiſgrani converſatur. Ibi tum oſſa Caroli Magni quæ populo adhuc erant incognita, è tenebris eruit. Interea Saraceni magna manu in Campaniam irruunt & Capuam ejus Provinciæ caput, occupant. Quo cognito tanta celeritate ſe Imperator in Italiam retulit, ut octavo Kalend. Aprilis Ra-
1001. vennæ conſtiterit. Inde in Saracenos profectus, pari fælicitate & Capuam recipit & hoſtes ab Italia depulit: Audiens autem Romanos novas res in Pontificem moliri ut eas compeſceret Romam proficiſcitur, atque ibidem Domini natalitia celebrat, ac civitatem, Eccleſiamque legibus formare atque in antiquum ſtatum redigere inſtituit. Sed dum ſecurius agit, pene à Romanis captus fuit, niſi Henricus Dux Bavariæ & Hugo Tuſciæ Marchio ſimulatis conditionibus Romanos eluſiſſent. Itaque Roma eductus dum cum Silveſtro Pontifice in Lõbardiam pergit à Creſcentes vidua chirothecis veneno infectis donatur: earum odore in itinere conficitur & duodecimo Kalendas Febru.
1002. apud Paternum extinguitur, cum imperaſſet annos ſeptendecim & menſes fere duos. Succedit ei Henricus Dux Bavariæ, cognomento Claudus.

*Caroli Magni oſſa deteguntur.*

*Otto 3. moritur.*

*Finis Libri octavi.*

Anna-

# Annalium Friſicorum

## LIBER NONVS.

*Henricus ſecundus Rex Germaniæ.*

HEnricus Rex à domo Saxonica oriundus propemodum jure hæreditario Imperium capere videbatur: erat enim Henrici Hezelonis filius, Henrici rixoſi nepos & Henrici Aucupis pronepos, qui ut primus decus Romani Imperii in ſuam familiam intulit, ita ad ſuum pronepotem tranſmiſit quamvis hic & pater & avus non Saxoniæ Duces, ſed Bavariæ & Norici appellarentur. Adverſarios multos habuit præter Saxoniæ Marchionem Egbertum & Ducem Sueviæ Hermannum; quos ſua virtute facile prævenit: voluit & Epiſcopus Colonienſis ei moleſtus eſſe, ſed hunc ſua auctoritate compeſcuit. Willegiſus autem Archiepiſcopus Moguntinus ipſum Aquiſgrani die ſeptima Iunii coronavit anno milleſimo ſecundo

*Schlavos & Vandalos obedientiæ reſtituit.*

primum ejus bellum quod movit in Slavos Tranſalbianos fuit. Illi enim à præfectis ſuis, qui Chriſtiani erant, divexati omnem patientiam exuerant & quaſi furore perciti in omne nomen Chriſtianum crudeliter ſæviebant: ſed prudentia & fortudine Regis victi manus dare coacti ſunt & pænas, quas meruerant. Eadem opera & Vandalos ſibitum ſubjecit & tributarios effecit. Cum Romæ Silveſter ſecundus Papa eſſet mortuus, ſurrogatur ei Iohannes decimus ſeptimus, qui item triceſimo primo die Octobris moriens, Iohannem decimum octavum habuit ſucceſſorem: qui rexit Romanam ſedem annos quinque menſes ſeptem & dies quinque.

Rumore de Ottonis morte in Italiam perlato multi fuere Proceres, qui antiquos Regni Lombardiæ & Imperii Romani titulos repetendos cenſerent, nec permittendum ut illi perpetuo apud Germanos reſiderent & inveteraſce-

*Arduinus Marchio Epo rediæ Rex Lombardorum.* rent. Inter eos primas tulit Arduinus Dodonis filius Eporediæ Marchio: qui tantum ambiendo & prenſando apud Lombardos profecit ut Papiæ publice indictus conventus & ipſe in eo Rex Lombardorum crearetur. Quod cum eſſet præter jus & inſtitutum Archiepiſcopi Mediolanenſis factum, eum exitum habuit, qualem habere ſolent ea quæ nullo jure fulciuntur. Cum itaque & Mediolanenſem prætentio doleret & in Henricum is quoque eſſet propenſio, multos is ei quoque in Italia inimicos excitavit & confeſtim Regem Henricum è Germania evocatum, Ducem Ottonem cum exercitu expedito in Italiam mittere compulit. Sed nec Arduinus in ſe comparando ſegnis fuit, ſed ex ſuis conſtructa manu valida in occurſum

1003. ſe ad alpes obtulit. pugnatum eſt ibi utrimque magnis viribus acerrime, donec tandem Ottonis acie inclinata victoria penes Arduinum ſterit. Quocirca & Henricus ob res domi natas, Italiam pro tempore omiſit, donec ſe melior offerret occaſio.

In Trajecto præſidebat hoc tempore, Aufridus decimus octavus Epiſcopus valde dives & inclytus: qui relictis Comitatibus ſuis in Monaſterium, quod ipſe prope Amſvordiam condiderat in monte ſancto ſe condidit & in ſenecta luminibus orbatus quinto nonas Maii anno 1008. vitam cum morte commutavit. Fuit is Teiſterbantiæ Comes ultimus. Is Hoiam Comitatum ſuum in manus Ottonis ſecundis reſignavit, ad uſum Eccleſiæ Leodienſis. In Comitatu Rienſi donavit ſex pagos Eccleſiæ Trajectenſi cui impetravit etiam primum ab Ottone, deinde ab Henrico Rege immunitatem ab civili magiſtratu, ne quis ſubditos ejus judicet alius, præter advocatum Eccleſiæ. Quin & Bommeliam cum omni juriſdictione, telonio annotatæ & omni cenſu cereviſiæ fermentatæ eidem Eccleſiæ Trajectenſi ab Ottone tertio conſecutus eſt, quam etiam Henricus

ricus ſecũdus confirmavit &clarius explicuit ut apud Hędã prępoſitum in ſcidis eſt videre. Apud eundẽ Hædam patet Henricum hunc regem interdixiſſe, ut nullus Comitum, aliorúmve quorumcumque hominum in Pago Trente nuncupato, qui eſt in ComitatuBalderici cervos, urſos, aut apros, inſuper & beſtias, quæ Teutonice Ælo & Schelo appellantur, venari abſque prælibati Aufridi paſtoris Eccleſiæ permiſſu præſumat: eundémque Regem voluiſſe, ut in eodem pago univerſiſque finibus ejus uſque ad adjacentes cæteras Regiones præfatæ Trajectenſi Eccleſiæ jus ſervetur foreſtenſe, utpote Regi & ſucceſſoribus ejus debitum. Datum 8. Kal. Maii anno dominicæ incarnationis 1006. indictione 4. anno vero domini Henrici ſecundi Regis 5. actum in Inglehem.

*Henricus Rex donat Drentiam Epiſcopo Trajectenſi.*

1006.

Anno hujus ſeculi quinto Dux Lotharingia moritur, Otto Caroli Ducis filius, Ludovici Tranſmarini nepos. 1005.
Is ultimus de ſtirpe Caroli Magni duas habebat ſorores, quarum major Irmengardis Alberto Namurſenſium Comiti nupta erat: altera ætate minor Gerberga Lamberto in Matrimonium ceſſerat, germano fratri Regneri Comitis Hainaviæ. Hæ ſorores fratri Ottoni germano erant de jure ſuccedaneæ. Sed vicit utilitas publica ut Dux Godefridus Ardennas qui miles erat ſtrenuus, illis præferretur. Rex enim Henricus cum nollet Lotharingiam cum Francia conjungi, ſic Francorum ſpem eluſit, particula hæreditatis in fœminas transfuſa. Gerbergæ enim Comitatum Lovanienſem dedit, qui tum cum Lovanio Bruxellam, Antwerpiamque & Nivigellam complectebatur: cætera Ardennati attribuit, qui ea ſuo marte poſſet defendere.

*Godefridus Ardennas Dux Lotharingiæ.*

Hinc bellum conflatum Balduinus enim Barbatus Flandriæ Comes cum eſſet, in Francicum nomen propenſior, 1006.

ſequenti anno comparato exercitu in Godefridum Ardu-vennenſem Ducem patruum ſuum duxit: & tranſito Schaldi fluvio Eynhamam, Brachbantum, Valentinianos aliaque Lotharingici Iuris loca occupavit. Occurrit quidem Rex Henricus Flandrumque Valencenis obſidet. Sed viciſſim accurrente Roberto Rege Franciæ & Richardo Duce Normanniæ obſidio fruſtra fuit.

Poſtero anno, qui fuit ſupra milleſimum ſeptimus in vindictam ſuperioris cladis, Rex Henricus Gandavum cum exercitu adoritur, ſed defendente eam ſuis opibus Balduino omnis ejus conatus fuit irritus: itaque deſerta obſidione arma ſua in inermes agros convertit & magna præda ex iis conflata, re infecta domum revertitur. Erat tum temporis Rex Henricus Aquiſgrani & militem reficiebat. Ad eum Balduinus Flander impetrato commeatu tum proficiſcitur atque pro Flandris captivis ei Valentianas reddit: quo facto eam gratiam apud Regem init, ut ſtatim eum ex hoſte amicum & beneficiarium adſciſcat. Quocirca illi & Valentinianas fide Imperii tenēdas reſtituit & Valachrias cum aliis Zelandiæ inſulis dono dedit: unde bellum inter Flandros & Hollandos exarcit, quod quadringentos prope per intervalla tenuit annos contendentibus Hollandis, Zelandiā jure optimo eſſe ſuam, donatione quadam ab Ludovico Cæſare Ludovici pii filio profecta, ut inquit Flandrorum Hiſtoricus Iacobus Meijerus. Sed errat valde putide, cum in illo diplomate nulla fiat de Zelandiis mentio, ſed tantum de Foreſto Vaſdā, quod Vaſiam Flandriæ regionem eſſe nos ſupra oſtendimus: deinde nulla unquam donatio Ludovici Germanici fuit, quæ ob conjugem Hemmam illi fuit attributa, cum eſſet ea Hemma Lotharii Francorum Regis uxor, ut ſupra demonſtratum eſt. Si quod jus Hollandis venit in Zelandos, totum illud proficiſcitur ex donatione Caroli Simplicis, qui Egmondæ

*Zelandia donatur à Rege Comiti Flandriæ.*

mondæ limites extendit uſque in Fortrapam, quæ Burſa-
liæ in æſtuario nunc jacet opruta fluctibus Maris oceani
non procul à Catzanda in limite Flandriæ, ut veteres au-
ctores perhibent.

In Germania mortuo Comite Bambergenſi ſine liberis 1007.
Bamberga ad Regem Henricum devolvitur: qui eum Co-
mitatum in Epiſcopatum commutat, regifice dotat & mul-
tis privileviis ornat. Ob hoc factum ipſe ſanctus appella-
tus & divorum numero adſcriptus. Anno demum poſt
millcſimum octavo, ut & ſupra diximus, Aufridus Epi-
ſcopus Trajectenſis cum ſediſſet annos quindecim, è vita
migrat, ſuccedit ei in Cathedra Adelboldus vir nobilis na-
tione Friſius, apud Henricum Regem à conſiliis Epiſcopus
decimus nonus. Sub hoc Pontifice magna commutatio *Adelboldus*
rerum in Epiſcopatu contigit, turbante pacem Theodori- *Friſius Epiſ-*
co Arnulphi filio Comiti Hollandienſi. Sed & Norman- *copus Traje-*
*ctenſis.*
ni ſtatim ex ſuis ſedibus exciti in Friſiam fecerunt impe- 1009.
tum non quidem in illam, quæ vera Friſia etiam nunc nun-
cupatur, ſed eam quæ nunc Hollandiæ nomine ſe vendi-
tat. In ea Thielam oppidum occuparunt & præda ab-
ducta concremarunt, eodem anno Romæ moritur Iohan-
nes decimus octavus Pontifex & Sergium quartum ſucceſ-
ſorem habet. Anno proximo Normanni clade Thielenſi
non contenti iram ſuam in Vltrajectinos convertunt: eam
urbem cum vacuam à defenſoribus accepiſſet, Epiſcopo
abſente item incendunt & vaſtam faciunt.

Hic annus Vngarorum ad fidem Chriſtianam conver-
ſione nobilitatus eſt: cujus initium à Rege ipſo factum, 1010.
qui cum Giſelam Henrici Regis ſororem eximia ſpecie vir-
ginem conjugio impetrare non poſſet niſi ſacris Chriſti
initiaretur, ultro ad ſanctum baptiſma acceſſit ac gentem
ſuam pulcherrimi facti imitatione ſuccendit. Anno autem

*Benedictus 8. Papa Romanus.* duodecimo hujus ſeculi Romæ moritur Papa Sergius, et Tuſculani Comites Benedictum octavum Gregorii filium cognatum ſuum ſubſtitui curant.

Eodem tempore cum Arduinus in Imperio Longobar. dico arrogantius ſe gerere & præcipue in Mediolanenſem Archiepiſcopum inſurgeret, ditioneſque ejus turbaret Archiepiſcopus ejus inſolentiam pertæſus Henricum Regem per Legatos evocat, oſtenditque non tantum agi commodum Mediolanenſium, verum etiam ipſius Regis dignitatem, ſi Arduinus eo modo pergat inſoleſcere. Qua re monitus Rex confeſtim omnia ad iter Italicum neceſſaria comparat & vere ineunte cum maximis equitum & peditum copiis alpes tranſmittit. Nec ſegnius re comperta agit Arduinus, ſed Veronæ Regis adventum expectat. verum fortuna hominem deſtituit Quamvis enim utrimq; diu pugnatum eſt fortiter & æquo marte, tandē tamen robur Germanici militis pervicit & Arduini exercitum profligavit: ipſe vix Papiam evaſit incolumis. Papia dejectus Eporediam fugit. Hanc victoriam feliciter nactus Henricus, ab Archiepiſcopo Mediolanenſi corona Regni Lombardorum exornatus eſt, ac inde conventum in Ronchaliis habuit. Poſtero Legatis præmiſſis de ſuo adventu, Romam proficiſcitur & à Benedicto Pontifice honorifice
1014. ſuſceptus coronam Imperii ab eodem promeretur, qua accepta privilegia civitatibus & Eccleſiis renovatus ac in Germaniam ſe confert.

Arduinus abſentia Regis iterum erectus, bellum ingens conflat, Vercellas, Novariam, & Comum occupat & porro omnia hoſtilia in Archiepiſcopum Mediolanenſem cōfundit: verum ubi res converti cœperūt & Archiepiſcopi cauſa triumphare ibi Arduinus animo concidere & fortunæ locum dare, itaque ne ab illa opprimeretur Monaſterio ſe abdit

abdit & cucullam induit. Et ſic ab adverſario liberatur Rex Henricus.

In Friſia novum bellum inter Adelboldum Epiſcopum Trajectenſem & Theodoricum tertium Hollandiæ Comitem exercit adeo atrox & crudele, ut ſimile à tempore Caroli Magni in his partibus non fuerit auditum. Ejus culpam Hollandi plerumque referunt in Adelboldum: exteri vero in Theodorici rapinas & injurias, quibus Epiſcopum affecit. Ianus Douſa Epiſcopum ait etiam tum, cùm privatus eſſet incitaſſe Friſius ut ſe Arnulpho ſubtraherent, cum tamen id ne veriſimilitudinem quidem in ſe habeat. Quid enim ante annum *993.* Adelboldus in ea re potuerit, quilibet facile æſtimet: qui ipſum anno quinto decimo poſt factum Epiſcopum noverit, facti veritas in eo eſt, quod Theodoricus, ut patris mortem ulciſceretur, multa primum circumſpexit, quo ſe adverſus vicinos muniret, ne ab illis impediretur. Itaque primo impetu in proxime vicinum Theodoricum Bavonem movit Bodegravię Swamerdami Comitem jam tertio gradu præſidentem. Illo dejecto ulterius in vicinos verſus meridiem perexit, ibi Epiſcoporum quorundam poſſeſſionem communem nactus putavit vacuam & ſuo inſtituto valde accommodatam, ut & navigantes portoriis exhauriret & prædas liberius ageret. Quod cum Epiſcopis & maxime Adelboldo diſpliceret. ipſe autem omittere nollet, ipſa neceſſitas bellum ſuaſit ut quiſque ſuum tutaretur. 1015.

Verumenimvero ne ego videar aliquid partium ſtudio dare, opera precium me facturum arbitror, ſi illud bellum de veteri ſcripto enerrem, quod Suffridus Petri præceptor quondam meus, ſe commemorat inter Hiſtorica Hypomnemata reperiſſe in antiquo codice pergameno Monaſterii Gemblacenſis ad calcem Reginonis Abbatis deſcriptum in hunc modum.

Erat

*Erat (inquit) quidam locus ſilvis & paludibus circumceptus, qui ab Incolis inhabitabilis, Merevuta nomen accepit. ubi videlicet Moſa & VVal fluvius de Rheno effluens pariter corrivantur: nullúſque præter venatores & piſcatores habitare antea conſueverat, eratq́ Epiſcoporum ſcilicet Treverenſis et Colonienſis & aliquot Abbatum in venatione & piſcatione communis poſſeßio Huc nimirum Theodoricus ArnulphiGandenſis filius, qui participium Monarchiæ Friſiorum tenebat, quia Friſones pro morte patris, quem interfecerant, habebat ſuſpectos, ſeceſſerat, factoq́ quodam municipio, alieni invaſor ipſam terram præſumpſerat poſſidere & negotiatores inibi navigantes graviſſimo cenſu conſtringere. Vnde Imperator Henricus clamore excitatus & maxime Adelboldi Epiſcopi Vltrajectenſis, cui maior portio de ipſa communi poſſeßione cedebat, monitione compulſus, Duci Godefrido ſed & Epiſcopis Colonienſi, Vltraiectenſi, Treverenſi & Leodienſi, ut exercitum adunarent, edixit. Iſti cum innumerabili multitudine per incautos, Balderico Leodienſi remanente propter infirmitatem,*

*unde*

unde et mortuus eſt, in ipſa die futuri belli, Theodoricum Comitem cum paucis Friſonibus, quos ſecum habebat, adorti ſunt, ſe procul dubio victores eſſe putantes. Quis enim tantum & tantæ virtutis exercitum prævalere ambigeret, præſertim cum uſu bellico & diſciplina militari præſtarent & ſtudio placendi Imperatori invitarentur? cum ergo cominus conflixiſſet incertum quis Diabolico inſtinctu vexatus in hac voce bis horrendum erupit: fugite, fugite. Quo Lotharienſes exterriti, neſcio, quo occulto Dei iudicio, omnes fugam inierunt, ex quibus quam multa & quam miſerabilis cædes facta eſt, non eſt noſtrum explicare. Nec tamen tam ab hoſtibus ferro, quam timore vexati, dum inter naves fugerent periclitabantur: manifeſtato quidem quod ſcriptum eſt; quia unus mille & duo fugarunt decem millia. Dux autem Godefredus quem ſecunda bellorum accenderant, undique circumfuſus, cum fugere pudoris æſtimat fugientibus ſocijs ſolum in prælium ruit, cæſiſq; quod adverſum ierat, à latere circumventus tandem capitur vulneratus. Timens autem Theodoricus tantæ magnitudinis virum in cap-

*tione tenere, conſuluit ſuæ temeritati, eumque ut ſibi Imperatoris gratiam emereretur, abire conceßit. Ante iſtud prælium, fere per quatuor menſes Cometa viſus ſolito mirabilior in modum videlicet quam maxime trabis. Multa occiſorum inibi corpora in altum propter fætorem proiecta, ab avibus & beſtiis & maxime beluis humanorum cadaverum avidißimis, remanſerunt intacta & illæſa, quæ cum ad littus eſſent reiecta ultra duo milliaria, candor eorum videbatur, quaſi candidißimis linteis littus expanſum eſſet.*

Cum hoc Anonymo ſcripto conſentit Ditmarus Epiſcopus Marsburgenſis Hiſtoriarum ſui temporis libro ſeptimo, qui affirmat, locum pugnæ fuiſſe ſaltuoſum, appellatum Mervedu, in inſula ſitum, fortaſſe non alibi quam ubi nunc ruinæ Mervæ arcis & æſtuarium Dordrachenum. Ait preterea Theodoricum Comitē Adelboldi Epiſcopi fuiſſe ſatellitem, invaſiſſe prædium alienum, ob quod ab Henrico ſecundo Imperatore bellum adverſus ipſum ſit publice Neomagi decretum, cujus victoria magis ob ſacri ordinis peccata, quam ob merita virtutum Theodorico obvenerit, Ejus belli incommoda fuiſſe magna, ſed cito oblivioni tradita ob pacem, quam neceſſitate coactus Dux Godefridus inter Epiſcopum & Comitem ſanciverit. prælium deinde non niſi unicum commemorat: Epiſcopum dici evaſiſſe navicula: Godefridum captum non pro voluntate, ſed prout potuit egiſſe: prælium commiſſum 4. Kalendas

Kalendas Augnſti feria tertia anno 1018. Nihil de Adilboldo contumacia, nihil de Friſiorum conſpiratione, nihil de iterata pugna ad Suamardamum, nihil de tertiato in Friſia & ibi demum capto Godefrido. ut Ianus Douſa aſſerit præter Hiſtoria veteris concenſum, quæ nihil tale commemorat.

Si accuſare ſufficit, nemo unquam erit innocens. Adelboldus fuit natione Friſius, hoc illi vitio datur, quandoquidem gens Friſonica ſemper Principibus infeſta ſit, bonum argumentum & quod etiam in hominem privatum & quidem Monachum Lobienſem Benedictini ordinis conveniat. Sed ita Rhetoricamur ut ingenium periclitemur. Et oſtentemus quam ſint lepidæ lexeis compoſtæ ut Theſſerulæ omnes Endo pavimento ac emblemata, vermiculato.

Illud autem obſervatione dignum quod Ditmarus ait, omnem illam regionem potenti defenſore tum temporis caruiſſe, expoſitam piratarum & prædonum rapinis atque expilationibus: deinde quod alter illo Anonymus Theodoricum nominat alieni invaſorem & mercatores prætemavigantis graviſsimo cenſu, ſeu vectigali perſtrinxiſſe dicat. Hinc etiam cauſa belli manifeſto elicitur & quam fuerint religioſi illi primi Comites in occupandis vicinorum ditionibus. ut ſuſpicari libeat eoſdem æmulatos eorum exempla, qui mortuo Carolo Craſſo Imperatore ſibi ipſi dignitatis & Imperia aſſeruerint. Dum regna (inquit Regino) quæ ejus ditioni paruerant, vel legitimo deſtituta hærede in partes à ſua compage reſolvuntur. Quod his etiam eo proclivius effectu fuit, quod veri ditionum Domini Epiſcopi videlicet Trajectini à Normannis in exilium pulſi, quodvis aggrediendi occupandique occaſiones præberent valde idoneas.

Cum enim Trajectum ad Rhenum totius Friſiæ eſſet Metropolis, omnes præfecti ſive Comites illi ſubditorum non aliunde quam ab illa ſuæ gubernationis auctoritatem capiebant. At Vrbe iſta everſa, cum Hungerus Bergam, Radbodus Daventriam & alii alio conceſſiſſent, præfecti illorum per abſentiam abuſi poteſtate, Diecœſim in ſecularem & ſacram diſtinguere cæperunt: atque illam ſibi, hanc vero Epiſcopis ſuis utpote ſacrificis aſſignarunt, quamvis non alio, quam ſatellitum, id eſt, Villicorum & actorum nomine appellarentur, cum res Eccleſiaſticas adminiſtrarent. Quod genus officii primos illos Theiſterbantiæ dynaſtas ( unde Comites Hollandiæ genus ducunt ) geſſiſſe cum ex aliis Hiſtoriarum monumentis, tum ex hoc Ditmari ſcripto fit manifeſtum, qui Theodoricum Comitem Adelboldi ſatellitem expreſſe vocat. Erat enim revera Theodoricus prædicti Adelboldi cliens ad certam Provinciæ ſuæ formulam adſcriptus, utpote à cujus ditione Weſtphriſia expreſſum fuerit excepta, ut poſtea videbimus.

1019. Anno autem ſequenti poſt milleſimum decimo nono, Dux Godefridus impetrata ab Imperatore Friſonibus totius injuſtitiæ impunitate à captivitate ſolvitur & non multo poſt moritur. inquit Sigebertus Monachus Gemblacenſis. Intelligit autem Friſios Comitis Theodorici milites, qui cum illo Bodegravam Suamerdamum & vicina loca occupaverant & Epiſcopis eripuerant. Erat Godefridus, Godefridi Arduennenſis filius Requini Moſellaniæ Ducis nepos, qui Requinus erat frater Giſelberti Lotharingiæ Ducis. cui nupta erat Gerberga Henrici Aucupis Imperatoris filia. Godefrido mortuo ſuffectus eſt Gothelo frater ejus, qui aliquamdiu Lotharingiæ præfuit.

Adelboldus autem interim dum hæc bellum gliſcet, ac geritur domi ſuæ religioni intentus ædem, divæ Walburgis

Theilæ

Thielæ à Normannis deſtructam reficit & inſtaurat. Vltrajecti vero jam inde ab anno decimoquinto hujus ſeculi, novam à fundamentis Eccleſiam D. Martino erigit & octavo demum anno perficit. Anno autem viceſimo primo poſt milleſimum Tulpiaci in ſuo caſtro confidens vaſſos Epiſcopatus ſui ad ſe vocat & officia Palatina inter ipſos recenſet ac diſtribuit, ut auctor eſt Wilhelmus Heda Præpſitus Arnhemenſis, in hunc modum.

In nomine Domini Amen. Operæprecium duxi ea quæ ſequuntur, ſcriptis inſerere, ne in poſterum lateret, quod præſens ætas faceret. Quapropter deſidero notum eſſe cunctis ſanctæ Dei Eccleſiæ fidelibus, tam præſentibus, quam futuris, quod ego Adelboldus Dei ſolummodo gratia, ſanctæ Trajectenſis Eccleſiæ Præſul indignus, cum Feudales liberi Trajectenſis Eccleſiæ, à me feudum ſuum requirerent, prædeceſſorum meorum Epiſcoporum Trajectenſis Eccleſiæ mihi literas oſtenderunt, continentes, quæ & qualia bona ipſi & eorum progenitores ab Eccleſia Trajectenſi tenuerunt, quibus viſis in ſcriptis feci redigi, quæ ſequuntur.

Dux Brabantiæ eſt liber Feudalis Eccleſiæ Trajectenſis & tenet in Feudum Civitatem lapideam in Thiele, cum prædiis, familiis, mancipiis, ſilvis, aquis, piſcationibus, paſcuis, pratis & ſalictum juxta prædictam civitatem Thielа ſitum, cum omnibus ad civitatē pertinentibus eandem. Item totam Campiniam uſque Tuornoat & Woirde cum mancipiis, ſylvis, & campis officiumque ejus eſt, quod vocatur & eſt Dapifer Epiſcopi Trajectenſis.

*Dux Brabantiæ eſt Dapifer Epiſcopi Trajectenſis.*

Item Comes Geldriæ eſt liber Feudalis Eccleſiæ Trajectenſis & tenet in Feudum Comitatum Zutphaniæ cum multis prædiis, mancipiis, pratis, ſylvis, aquarúmve decur-

*Comes Geldriæ eſt vendior Epiſcopi Trajectēſis*

ſibus & juſtitiis. Item Embricam cum ſuis attinentiis pro parte media & illa pars eſt Epiſcopi Trajectenſi. Item in Pago Batua magnam partem cum manſis, terris, caſis, domibus in mancipiis utriuſque ſexus & juſtitiis Item Tielreweerdt & Bommelaweerdt, cum multis mancipiis, menſis, terris, caſis, domibus, campis, pratis, aquis, aquarum decurſibus & juſtitia, Et dicti Comitis officium eſt, quod vocatur & eſt Venator Epiſcopi Trajectenſis.

*Comes Hollandiæ eſt Mareſchalcus Epiſcopi Trajectenſis.*

Item Comes Hollandiæ eſt liber FeudalisEpiſcopi Trajectenſis &tenet in Feudum Comitatnm Hollandiæ & terram Kinnemariæ, cum terris, manſis, ſilvis, campis, pratis, paſcuis, mancipiis, aquis, aquarum decurſibus & juſtitia, exceptis dictarum terrarum decimis & terra Waterlandiæ & Weſtfriſiæ, quæ totaliter pertinet ad Epiſcopum & Eccleſiam & dictus Comes Hollandiæ vocatur, & eſt Mareſchalcus Epiſcopi Trajectenſis.

*Comes Clivenſis eſt Camerarius Epiſcopi.*

Item Comes Clivenſis eſt liber Feudalis Eccleſiæ & tenet in Feudum in PagoBatua in ſuperiori parte ſupra Rhenum magnam partem terrarum & manſorum cum caſis, domibus, mancipiis, campis, pratis, paſcuis & ex alio latere Rheni & in aliis quibuſdam locis terras, manſos, caſas, domos, ſilvas, campos. Item Woudrichem cum agris & campis, cum aquis, aquarúmve decurſibus & juſtitia, & eſt Camerarius Epiſcopi.

*Comes de Benthem eſt janitor Epiſcopi.*

Item Comes de Benthem eſt liber Feudalis Eccleſiæ & tenet in Feudum Burgranatum ſive præfecturam Trajectenſem cum plurimis manſis, terris, inſulis, campis, mancipiis, ſylvis, pratis, paſcuis, aquis, aquarúmve decurſibus & juſtitia in pluribus locis civitatis & Diecœſis Trajectenſis, qui vocatur & eſt Ianitor Epiſcopi.

Item

Item dominus de Cuke eſt liber Feudalis Eccleſiæ, & tenet in Feudum multas terras, inſulas & decimas cum caſis, domibus & ſylvis, campis, pratis, & paſcuis, aquis, aquarum decurſibus & juſtitia in diverſis locis Diecœſis Trajectenſis, qui vocatur & eſt Pincerna Epiſcopi.

*Dominus de Cuke eſt Pincerna Epiſcopi.*

Item Dominus de Ghoer eſt liber Feudalis Eccleſiæ Trajectenſis & tenet in Feudum Caſtrum Ghore & terram dictam Ameide, cum multis terris, manſis, caſis, domibus, ſilvis, campis, mancipiis, pratis, paſcuis, aquis, aquarum decurſibus, mobilibus & immobilibus & omnibus ad dictos diſtrictus de Ghoer & Ameide pertinentibus, qui vocatur & eſt Signifer Epiſcopi Trajectenſi.

*Dominus de Choer eſt Signifer Epiſcopi.*

Prænominati omnes Feudales Eccleſiæ in generali Synodo Epiſcopi Trajectenſis tenentur & debent perſonaliter intereſſe, qui Feudum à me receperunt in Homagium & fidelitatem præſtiterunt coram D°. Henrico Romanor. Imperatore invictiſſ. Auguſto præſentibus Aribone Archiepiſcopo & Archicancellario Annone Colonienſi, Everhardo Treverēſi, Adelberto Hamburgenſi Archiepiſcopo, Walrico Vicecancellario & pluribus aliis Epiſcopis Comitibus & Regni fidelibus. Actum in Tulpiaco caſtro noſtro, anno Domini M.XXI. 4. Nonas Ianuarii fæliciter, Amen.

Ex hoc diplomate ſatis apparet Theodorico Comiti Weſtphriſiam ab Adelboldo non fuiſſe condonatam quēadmodum Douſa voluit quandoquidem hic expreſſe terra Waterlandiæ & Weſtphriſiæ ab Hollandiæ ditione excipitur, & tota dicitur pertinere ad Epiſcopum & Eccleſiam Trajectenſem. Apparet hinc etiam quę fuerit tunc Epiſcopi magnitudo, quando quaſi in throno ſedēs Imperator ſtipatus officiis Palatinis magnifice ſe Vaſallis exhibuerit: ūde non mirum quoque aliquos è principibus invidia motos concu-

concupiſſe, ejus opes carpere & aucupari ditiones. Exemplo nobis ſeditione Belgicæ, quæ non ab alio fonte emanarunt. Non tamen recte fecit Theodoricus Comes, cum Bodegravam & Suamerdamũ invaderet, cum Durdrechtũ occuparet, cum nullo jure mercatores in negotiis impediret, eoſq; novo vectigali obſtringeret: & vicina illa loca propria auctoritate ad ſe traheret quemadmodũ infra latius demõſtrabimus. Iuvenis erat Theodoricus, cum iſta ageret, ut ait Ditmarus & res ſecundæ ipſum reddebant animoſiorẽ.

Anno autem poſt milleſimum vigeſimo tertio cum Adelboldus abſolviſſet ſtructuram novæ ædis, quam anno decimo quinto inchoaverat, venit Vltrajectum Rex Henricus cum duodecim Epiſcopis, ut ſolennitatem dedicationis ſua præſentia cohonoſtaret. Atque anno poſtero donat S. Trajectenſi Eccleſiæ ſuis temporibus conſtructæ & ipſe præſenti ſub patrocinio beatiſmi Martini Archiepiſcopi dedicatæ, Comitatum de Trenta, donationemque ſua manu & ſigillo corroborat nonis Ianuarii, anno dominicæ incarnationis milleſimo viceſimo quarto indictione ſeptima: idque Babembergæ.

Ex quo falli videntur, qui exiſtimant, Godefridum Barbatum ab Henrico Rege Theodorico Comiti miſſum, ſubſidio ad oppugnandum Friſios, cum contrarium ex liberalitate Regis erga Adelboldum Epiſcopum uſurpata facile evincatur etiam cæteris Hiſtoricis ſilentium tenentibus.
Hollandi ſcriptores ex uno prælio quod Ditmarus & alter ille Anonymus commemorat tria faciunt, primum adſignant diei nono Iunii ad Bodegravam, alterum paulo poſt ad eũdem locum viceſimo nono Iulii in quo captus Adelboldus & in Arcem detruſus Iſelmundam. Tertium ſine temporis definitione contra Friſios initum, ut mortem patris ſui ulciſceretur, Comes Theodoricus in quo fuerit

fuerit captus à Friſiis Dux Godefridus & Hollandi fugati. Alii tertium prælium omnino negant nec de loco priorum conſentiunt veritas Hiſtorica niſi unam pugnam novit in qua captus Godefridus & evaſerit Adelboldus.

De captivitate Adelboldi merum ſomnium cum arx Iſelmunda in quam conjectus fuiſſe dicitur & Triennium ſervatus ultimo demum anno à Gulielmo Epiſcopo ſit condi primum cæpta nec hujus belli tempore in rerum natura exſtiterit, Godefridus Dux etiam non à Friſiis qui Weſtphriſii audiunt, ſed à Theodorico Comite & ejus militibus qui reſpectu Lotharingorum, qui Epiſcopum ſequebantur, Friſii appellabantur, ut ex ſcripto Anonymo ſupra ſole clarius elucefcit. Omnis culpa hujus funeſti belli non in Epiſcopum, ſed in ipſum Comitem recidit. Quamobrem & is impetrata ab Imperatore per Godefridum venia, facti pænitens, ut tunc moris erat, ad expiandum ſcelus ſuum Hieroſolymam profectus conſcientiam ſuam, eo modo exonerare voluit.

Ante Adelboldum Epiſcopum moritur Henricus Imperator anno poſt milleſimum viceſimo quarto, die decimo tertio Iulii, cum imperaſſet annos 23. menſes 5. & dies ſedecim. Succeſſorem habet Conradum Franconiæ & Wormaciæ Ducem cognomento Saliquum. ab hoc Rege impetrat Adelboldus Epiſcopus confirmationem donationis de Trentia ad annum 1025. ſeptimo Kal. Auguſti indictione octava, idq; Triburiæ. Biennio deinde poſt dono accipit ab eodem Rege Cremonæ Comitatum Theiſterbantiæ cum omni utilitate ad eum pertinente. anno nempe domini 1027. decimo octavo Kal. Iulii indictione nona: his actis Adelboldus Epiſcopus anno poſt milleſimum vigeſimo octavo quinto Kal. Decembris è vita migrat, cum laudabiliter præfuiſſet Eccleſiæ annos octodecim, ſepultus

*Anno 1024. Imperator Henricus 2. moritur.*

Trajecti in æde maxima, quam ipſe conſtruxerat.

1030 Anno poſt milleſimum trigeſimo Sivardus Hollandis, Sicco dictus Friſius, frater Comitis Theodorici Præfectus Kennemariæ vitam humanam deſerit, relictis duobus filiis quorum major natu Theodoricus Bredenrodæ dominus: alter minor Simon Theilingæ Dynaſta fuit & genus ſuum in iis familiis continuarunt. Anno poſt ſequitur ipſe Comes Theodoricus à votina ſua peregrinatione redux cum aliquandiu Patriam in pace rexiſſet, poſt prælium hoc funeſtum, quod ſupra commemoravimus. Præfuit alioquin in totum Hollandiæ à morte patris Arnulphi ſex & quadraginta annis, mortuus anno milleſimo trigeſimo nono quinto Kal. Ianuarii Egmondæ ſepultus. Reliquit filios Theodoricum ejus nominis quartum Comitem Hollandiæ & Florentium Kennemariæ à morte patrui præfectum. Neque enim verum eſt, quod Ianus Douſa & Chronicon Hollandiæ ſcribunt ipſum à patre fuiſſe Friſiis Gubernatorem impoſitum, cum multo ſit verius Theodoricum patrem nunquam hoc tempore tentaſſe Friſios, ut eos ſibi ſubjiceret, ſed potius patris ſui Arnulphi mortem reliquiſſe inultam ut rythmi veteres apud Hollandos atteſtantur. Adeo hos homines nihil pudet dum honori Principum ſuorum velificantur.

*Theodoricus tertius moritur Anno 1039. ſuccedit Theodoricus quartus*

Cum poſt mortem Adelboldi Epiſcopi apud Vltrajectum clerici in partes ſcinderentur, nec convenire potuerant ſuper ſucceſſore in ejus locum eligendo, Rex Conradus ea re cognita ex ſuperiore Germania deſcendens ut ſimultatem illam tolleret, Vltrajectum cum Vxore gravida ſe deportat: in itinere autem cum partitudinis dolores uxorem invaderet eam apud Oſterbieram deponit & paſtori ejus loci Bernulpho commendat: ipſe iter inſtitutum perficit. Vltrajectum ut venit cum neutra pars cedere propoſito

poſito vellet utraque tandem in ipſum compromittit & ratam ſe habituros electionem, quam ipſe feciſſet ſpondet. Interea Giſela Regis uxor apud Bernulphum egregia forma filium parit: quam rem ut Regi nunciat Vltrajectum Bernulphus properat. Nuncius autem adeo jucundus & acceptus Regi fuit, ut confeſtim pro paſtore rurali ſubita Motamorphoſi Epiſcopus Vltrajectinus audiret & per baculum & Annulum à Rege inveſtitus in Cathedram ofſenderet cum totius Eccleſiæ ſummo gaudio & bona voluntate. Bernulphns autem cum eſſet vir probus & bonis literis imbutus mutat cum fortuna mores & ſe Cathedra dignum bene regendo oſtendit gratus Principibus & clero.

Cum autem Conradus Imperator Anno 1039. quarto Iunii feria ſecunda Pentecoſtes regnaſſet annos 14. menſes 10. & dies 22. Vltrajecti moritur & viſcera ejus ibidem terræ commēdantur, corpus autem Spiram defertur ac ibidem ſepelitur. Succedit ei Henricus tertius cognomento niger. *Conradus Imperator moritur.*

Quemadmodnm autem Henricus ſecundus & Conradus gener ejus Imperatoris Adelboldum Friſium & ſucceſſorem ejus Bernulphum Vltrajectinæ ſedis Epiſcopos in precio habuerint, maximiſque in vita donis affecerint ut oſtenderent Eccleſiam ſibi curæ eſſe: ita etiam Henricus tertius ſemper ſategit ut auctoritas & Epiſcopo & Eccleſiæ conſervaretur, eoque fine in eoſdem munera eximia contulit & hoſtes quantum potuit à cervicibus illorum depulit.

Itaque Rex ſtatim anno regni ſui primo Eccleſiæ Vltrajectinæ & Epiſcopo Bernulpho donat certa prædia, quæ Vffo & frater ejus in Drentia & in Rodulphi Comitatu in- *Henrici tertij donationes.*

ter Amaſum & Lavicam poſſidere viſi ſunt ſed ob temeritatem Iudicio victi legitime perdiderunt cum areis, ædificiis, mancipiis, agris cultis & incultis, pratis, paſcuis, campis, aquis, aquarumque diſcurſibus, molendinis, piſcationibus pertinentis & utilitatibus quæ unquam inde provenire poſſunt.

Deinde idem Rex Henricus tertius eodem anno 1040. donat S. Trajectinæ Eccleſiæ in honorem S. Martini conſtructæ pro Deo animæque patris ſui piæ memoriæ Conradi Imp. remedio, cujus ventris interiore in eadem Eccleſia ſepulta ſunt, cui venerabilis Bernulphus Epiſcopali dignitate decenter & cum utilitate præeſſe dignoſcitur nec non ob æternam ſui nominis memoriam tale prædium

*Groninga.* quale viſus fuit tenere in villa Groninga nuncupata, in terra Trenta ſitum, cum omni ejuſdem Comitatus diſtrictu, monetis, teloneis, cauſis agendis & diſcutiendis, cum omnibus appendiciis & pertinentiis, quæ ad præſens retinentur & in poſterum ibidem acquiri poterunt, eo videlicet tenore ut ſupra dictum, prædium perpetuo reſpondeat ſervitio & utilitati fratrum ibi Deo inceſſabiliter ſervientium, ſcilicet ut ex ejuſdem prædii utilitate quotannis habeat triginta carradas vini & quicquid remanſerit in uſus ipſorum à Præpoſito fideliter expendatur.

*Anno Domini 1040. 12. Kal Iunij In dictione Trajecti.*

Erat autem Groninga tum temporis tenuis adhuc villa nulla re niſi tabulis muniri cœpto & omnium acceſſui noctes atque dies patens. Deinde vero cœpit paulatim aſſurgere donec Anno 1110. primum muro ſeu vallo cingeretur & juſtæ Civitatis exhiberet ſpecimen.

*Comitatus Agridiocenſis.*

Anno vero quadrageſimo ſecundo poſt milleſimum Rex Henricus tertius eidem Eccleſiæ Vltrajectinæ liberaliter largitur, Comitatem Agridiocæſem qui Everardi Comitis

miti s

mitis ante fuerat, nec hic ejus benignitas conſiſtit, ſed ultra pergit atque anno 1046. Trajectinæ Eccleſiæ donat ampliſſimum oppidum Daventriæ, cum omni Regali diſtrictu, omnique utilitatis commoditate, quæ ullo modo inde poterit pervenire una cum Comitatu Amalandiæ cis & ultra Iſulam in proximo ſitæ, quemadmodum apud Wilhelmum Hedam in tabulis donationis expreſsim deſcribitur. atque hæc quidem tum Henrici Tertii regis in Eccleſiam Vltrajectinam collata beneficia fuerunt. *Daventria.* *Comitatus Amelandiæ.*

Cum autem Gothelo Dux Lotharingiæ inferioris diem obiiſſet extremum anno 1044. filius ejus Godefridus nobiliſſima indolis juvenis atq; in re militari admodum exercitatus, non contentus inferiori Lotharingia, patris demortui Ducatum Moſellanum ſimul ambiret nec pateretur fratrem ſuum Fredericum eo ab Rege donari arma in rempublicam temere induit Albertum Ducem quem Rex patri ſurrogaverat, prælio victum occidit, cedes hominum & depopulationes agrorum quam maximas fecit, loca omnia uſque ad Rhenum præter ea, quæ vel murorum præſidio hoſtilem impetum ſubterfugiebant vel data pecunia ſe redemerant, in cinerem redegit. Verum anno ſequenti Dux Godefridus à Rege in deditionem acceptus in Gibbenſtein mittitur in cuſtodiam à qua anno 1046. abſolutus cum videret nec interceſſionem Principum nec deditionem quam ſponte ſubierat, ſibi aliquid profuiſſe rei indignitate & inopiæ familiaris tædio permotus, bellum rurſus de integro ſumit: Neomagi domum regiam incendit: Veredunum ſimiliter concremat. Theodoricum ejus nominis quartum Hollandiæ Comitem in partem ſuam trahit.

Tandem anno 1047. Rex Henricus cum copiis adverſus Godefridum & ſociis ejus in Germaniam contendit inferiorem primo impetu Theodoricum aggreditur, in Fri-

ſiam per Rhenum navigat, Rinesburgum & Flaerdingam urbes capit. verum perpetuis paludibus & ſilvis prohibitus nulla re memorabili geſta, imo mediocri clade accepta regreditur. Nam adverſarii prædatoriis, ſchaphis, latrocinantium piratarumque more Cæſarianos inſequentes extremos quiſque à terge ſedentibus, affligebant.

Poſt hanc cladem acceptam anno 1048. Theodoricus Hollãdiæ Comes Leodicũ proficiſcitur ad ludes equeſtres qui ibi indicti erãt. Ibi dum ſe ſtrenue gerit & ut Principem decet militariter exercet in fervore certaminis Archiepiſcopi Colonienſis & Leodicenſis Epiſcopi fratrem caſu fortuito occidit, ob quam cædem cum totus conventus turbaretur & fratres cæſi vindictam meditarentur Theodoricus ſe Leodico ſubducit & iter in patriam arripit. Ipſe quidem perſequentium manus evadit, ſed duo ejus fratris nothi in extremo agmine perimuntur. Quocirca dolore injuriæ acceptæ percitus ſtatim ut Dordracum venit omnes ſuperioris Germaniæ mercatores capit & in vincula conjicit naucis eorum exurit, merces in fiſcum redigit.

*Ludi equeſtres Leodici*

Hæc clade ſupra eodẽ affecti illi Germaniæ Principes in vindictam exardeſcunt, copias occulte comparãt, & ne prælio certent dolo Dordracum occupant: verum aſtu iterum vincuntur. Theodoricus enim Comes ſtudio & induſtria Gerardi Puteani equites ſui de nocte in Vrbem receptus, inimicos ſuos ſubito invadit, illorum magnam ſtragem facit & ſuperſtites fuga ſe ſubducere cogit. Sed parum læto eventu ea victoria concluſa eſt. Mane enim facto cum Comes cæſorum numerum inſpicerent & orto ſole ad auram ſe reficeret, nihil mali exſpectans aut timens cum per anguſtam plateam incederet, quidam ex hoſtibus ibi latitans ejus femur ſagitta venenata ſauciat ex quo vulnere biduo

duo poſt è vita migrat, & magno cum luctu Egmondam ad ſepulchra majorum deportatur. Platea autem ubi vulnus inflictum, etiam hodierno die platea Comitis vulgo dicitur & facti memoriam ſervat. Mors ejus in annum quadrageſimum nonum ſupra milleſimum & in Idus Ianuarii incurrit cum præfuiſſet annos, ut verior Chronologorum eſt ſupputatio. *Theodoricus 4. moritur anno 1049. Idibus Ianuarij.*

Comes hic uxorem aut liberos non reliquit: fratrem ſuum Florentium, ejus nominis primum, ſucceſſorem habuit: quem Hollandiæ proceres ajunt jam antea fuiſſe Comitem Orientalis Friſiæ, ſed putide errant, cum non fuerit niſi Kennemariæ Præfectus, ut verior eſt aliorum ſententia. Id enim bellum quod pater ejus contra Adelboldum Epiſcopum geſſit ob Dordrechtum fuit inſtitutum & non in vindictam Friſiorum & Godefridus Arduennenſis non Comiti Hollandiæ, ſed Epiſcopo Vltrajectino ſuppetias venerat, nec ab Friſiis, ſed ab Hollandis, qui communi Friſiorum nomine deſignãtur, captus fuit, & anno demum poſtero à Comite relaxatus, prout potuit, Comiti ab Imperatore veniam impetravit delictorum.

Dicitur autem Florentius Friſiis præfuiſſe annos viginti duos & Hollandis quatuordecim, viginti duo anni ſubducti ab annis 1039. quo tempore in fata conceſſit Theodoricus tertius, relinquunt annos 1017. At eo anno bellum à Theodorico contra Adelboldum nondum erat inchoatum & Godefridus Dux Lotharingiæ anno ſequenti ſtabat à parte Adelboldi Epiſcopi & à Theodorico captus eſt. Quamobrem & ratione calculi hæc aſſertio labaſcit & evertitur.

Illud vero eſt certum, Archiepiſcopum Colonienſem & fratrem ejus cæde Theodorici quarti non fuiſſe ſatiatos, ut *Novum bellum in Florentium Comitem.*

ut cóceptam iram ob fratris mortem fortuito illa tam poſteris ejus remitteret, ſed eos in ſuas partes traxiſſe primo Imperatorem ipſum, deinde Egbertum Marchionem Saxoniæ, denique Lambertum Comitem Lovanii Guichardum Geldriæ tutorem & Hermannum Comitem Cuchenſem & cum eorum innumerabili exercitu in Florentium duxiſſe, ut ipſum ditionibus ſuis exturbarent. Et ſane multum ſibi metuebat Florentius, cum tantam molitionẽ hoſtium ſuorum audiret. Sed concilio Procerum Advocato cum conſilium probum accepiſſet, ejus uſum fortuna cõprobavit. Suaſum enim à viro quodam nobili, ſane aperto marte cum hoſtibus, qui numero & viribus prævalerent, non agendum, ſed dolo & inſidiis, quæ facile hoſtem fallunt, ſi continue ſcrobes & foveæ deprimantur & rurſus paleis & ceſpitibus integantur crudis, ea via, qua hoſtis ditionem eſſet ingreſſurus: ita fore ut ipſe præceps in eas cadat & ſui trucidandi facilem præbeat occaſionem. Quod & factum eſt. Nam cum anno 1058. die Iunii duodecimo, qui Odulpho ſacer eſt, principes illi ſummo mane Durdrechtum appeterent & inſidiarum ignari in foveas inconſulte præcipitarent: Comes autem Florentius ex urbe ipſorum difficultates cerneret, ipſe quoque cum maximo clamore & ſtrepitu omnibus portis confeſtim erupit atque ita in hoſtes depugnat, ut ex iis quadraginta millia occiderentur & viginti ſeptem millia aquis ſuffocarentur. Cecidit illic Epiſcopus Leodienſis & Comes Hainaviæ: capti ſunt Lambertus Comes Lovanienſis & Wichardus Geldriæ tutor, cum aliis multis, qui grande Lytron Comiti Florentio pendere ſunt coacti. Nempe ſinguli marcas bis mille argenti defæcati.

Anno autem 1062. Archiepiſcopus Colonienſis Marchio Saxonicus & Hermannus Comes Cuchenſis magis irritati ſuperiore ſuorum ſtrage, quam territi, novam belli

in

in Hollandiam inſtituere expeditionem, ut eam ferro & flamma plane perderent & ſuperiorem cladum aliquam vindictam caperent. Verum Florentius animi plenus & fiduciæ ſe illis incontanter cum ſuis tulit obviam & commiſſo prælio iterum eorum exercitum cõſcidit & diſſipavit die quarto Iulii qui D. Martini tranſlationi eſt dicatus hoſtibus autem fugatis, cum Comes ſub meridiem prope Heuſdam inter Wahalim & Moſam labore pugnæ defatigatus apud Hamartum vicum ſe ſub ſilicem dediſſet quieti, nec ab hoſte quicquam timeret amplius, ignarus quid veſper ſerus veheret: ecce repente ab Harmanno Cuchenſi Comite, qui ex fuga aliquot ſuorum retraxerat in ſomnis opprimitur & una cum illo bis mille & ſexenti fortiſſimi milites; quam cladem ſupervenientes ſtatim Dordrachemi qui in ſubſidiis erant ita ulti ſunt, ut nemo ex hoſtilibus copiis remanſeret in vinis. qui domum fortunæ ſuæ caſum nuntiaret, hic exitus hujus infœlicis belli fuit, quod ex vindictæ cupiditate ſumptum, utramque partem mirabiliter afflixit & peſſumdedit. Cadaver Comitis ad manſolæa majorum delatum Egmondæ ſepultum eſt. Reliquit uxorem Gertrudem cum Theodorico Florentio & Machtilde liberis. fuit autem Gertrudis non Hainemãni aut Hermanni aut Bernardi Saxoniæ Ducis, ſed Theodorici Weſtphaliæ Ducis & Comitis Arnsbergæ filia, quemadmodum ex Chronico Saxoniæ retulit Petrus Schriverius Hollandicarum rerum ſcriptor & emendator egregius.

*Anno 1048 4 Iulij Florentius I. occiditur.*

Cum Bernulphus Epiſcopus viceſimus annos viginti ſeptem Vltrajectina in Cathedra ſediſſet & cum Comite Hollandiæ pacem perpetuam coluiſſet, anno poſt milleſimum quinquageſimo quarto migravit ad dominum doctrinæ & pietatis ſuæ relinquens non ingratam memoriã. In ejus locũ clerus & capitulũ ut vocant unanimi cõſenſu ſurrogarent, Gulielmum ejus nominis primum Videkindi

*Bernulphus Epiſcopus moritur.*

Geldriæ tutoris filium Wichardi, qui cum Archiepiſcopo Colonienſi in Hollandiæ Comitem pugnaverat, fratrem.

Hic vigeſimus primus Epiſcopus Trajectenſis cum eſſet ſtrenuus & magni animi Princeps viduam Florentii Comitis Gertrudē ſuas ditiones pacifice gubernare paſſus eſt biennium: aſt ubi illam ad ſecundas tranſiiſſe videt nuptias & opibus ſimul auctam à Balduino Inſulenſi Flandriæ Comite formidans, ne Robertus cognomento Friſius, quia ex Friſia uxorem cæpiſſet, ei in caput creſceret, omnem movit lapidem, ut ipſum ditione pelleret, eumque ſuo aſſereret Epiſcopatui. Robertum varia fortuna jactatum noverat, ut quidvis de ipſo ſibi perſuaderet: ad hæc apud Imperatorem Henricum tertium in pretio erat: cujus mors commode illi accidit, ut ab ejus filio & tutoribus ejus facile impetraret, quod petebat. Henrico enim tertio an-

1056. *Henricus tertius Imperator moritur,* no milleſimo quinquageſimo ſexto, die decimo quinto octobris mortuo, filius ejus puer ſeptennis Henricus quartus appellatus, ei quarto Iunii ſequentis anni ſurrogatur. qui poſtea ut rexit imperium annos quadraginta novem, menſes duos & dies tres, ita tanto in tempore varia certamina & adverſitates ab inimicis ſuis pertulit.

At Balduinus pius Flandriæ Comes cum Aldennardæ filio Roberto Gertrudem nuptias deſponderet, donationem propter Florentii Comitis Viduam ei fecit ſatis liberalem, ut ea contentus ne quid aſperius in fratrem Balduinum, qui placido & quieto ingenio erat, molietur. Dedit enim illi quinq; Inſulas Zelandicas Walachriam, Schaldiam, Zuytbeveram, Nortbeveram & Borſeliam. Adhæc Comitatum Aloſtanum, cum terra quatuor officiorum, ut vocant, & magno pecuniæ numero. Deinde ut tantiſper ſub tutela Roberti res Hollandiæ & paternus Comitatus Florentii ſtaret, dum is ad puberem ætatem perveniſſet.

Rober-

Robertus autem in Hollandiam profectus cum Gertrude nuptias populo applaudente magnifice celebravit & Hollandiam octo annos in pace rexit. Anno autem ſexageſimo ſupra milleſimum cum Friſiis bellum geſſit. Cæteriores Friſios cum Kennemariis & Alcmarianis domuit.

Cum autem paulo poſt Balduinus Flandriæ Comes frater ejus in fata conceſſiſſet & Robertum reliquiſſet tutorem liberorum ſuorum, nec Richildis vidua ejus Roberto eam cedere vellet, nova in Flandriam bellandi nata eſt illi occaſio qua arrepta, ipſe ſibi illum Comitatum ſubjecit.

Interea Guilhelmus Epiſcopus Vltrajectinus memor odiorum quibus Comes Hollandiæ Theodoricus tertius, in diœceſim Vltrajectinam erat graſſatus, quibuſque bellum Leodienſe inter Epiſcopos & ſequentes Comites Hollandiæ erat geſtum, ſimultatis antiquæ inſtinctu, manibus, pedibuſque in id incumbit, ut primum reſtitutionem bonorum, quæ Eccleſiæ ablata erant ab imperatore impetret, deinde ut ea Impetrata, defenſorem ſibi comparet, qui manu promptuus reſtituta verbotenus bona, & occupare & tueri audeat. Vtrumque illi conanti ſuccedit feliciter. Anno enim poſt milleſimum ſexageſimo quarto Henricus quartus Imperator illi reſtituit omnia, quæ oblata erant in hunc modum.

*Guilhelmus Epiſcopus recupera bona Eccleſiæ oblata.*

*In nomine ſanctæ et individuæ Trinitatis Henricus divina favente clementia Rex: notum eſſe volumus omnibus in Chriſto fidelibus, tam futuris, quam præſentibus, qualiter nos ea bona, quæ iniuſte ablata fuerunt S. Dei Eccleſiæ*

*Trajectenſi à Theodorico Comite eiuſq; filiis à tempore Henrici ſecundi & Adelboldi ejuſdem ſedis Epiſcopi; pro quibus & idem Imperator Henricus & avus noſter Conradus & pater noſter piæ memoriæ Henricus plurimum laboraverunt, nos quoque noſtriq; fideles, multum laboris impendimus, notum, inquam, eſſe volumus, qualiter ea ob remedium animæ noſtræ & pij patris noſtri Henrici aliorumq; anteceſſorum noſtrorum, interventu quoque & conſilio principum noſtrorum Annonus Colonienſis Archiepiſcopi Sigefridi Moguntini, Adelberti Bremenſis, Everhardi Treverenſis, Burchardi Halberſtadenſis, Frederici, Godefridi, Gerardi Ducum aliorúmque fidelium noſtrorum, nec non ob fidele ſervitium VVilhelmi ejuſdem ſedis Epiſcopi reddimus & reſtituimus & regali authoritate eidem Sanctæ Eccleſiæ confirmamus. Sunt autem hæc: In loco, qui dicitur Crimpene quatuor manſi de fine fluminis Ablas uſque Mervvede, inde uſque Menkeneſdrecht dimidietatem totius terræ cum omni diſtrictu. Item de Ryde iuxta Mervvede uſque Slydrecht, item iuxta Mervvede in Turedrecht, inde in Duble, inde*

*inde in Duvelhare, inde in VVael, inde iterum in Mervvede uſque Turendrecht ad orientem uſq; Gottekynes hoffſtadt quod eſt iuxta VVickenemuyde. In Holtreka ſeptem manſi, in Valckenburch ſedecim curtilia cum terra ad ea pertinenti. Ibidem tres manſi, ſylva quædam propria inter Valckenberg & Groternhenekeſtegen uſque Litte incædendis lignis & venatione & paſcuis & omni utilitate. In Heenſtede manſus unus. Eccleſia in Flaerdinge cum capellis, Heiliglo cum capellis, Petthem, Aldetorpe cum capellis, Adhæc Comitatus omnis in Hollandt cum omnibus ad bannũ Regalem pertinentibus. Præterea beneficium, quod Comes Virich ab Epiſcopo Adelboldo tenuit ab eo loco, qui dicitur Sigeldrecht uſq; Rineſmuten, item ſurſum ab occidẽtali parte Rheni uſq; in Bodegraven & poſt Virich Godezo, poſt Godezonẽ Theodoricus Bavæ filius poſſedit quem Theodoricus Comes expulit, & vi S. Martino abſtulit. Præcipimus etiam ne quis Comes nec aliqua ſub Comite perſona iuxta Iſlan et Lake in locis ad duo Monaſteria pertinẽtibus ullam poteſtatem habeant, ſed propria fratrum ſint ad duo Monaſteria ſervientium, ſi-*

*cut continetur in immunitatibus Ottonis primi, qui ea primus S. Martino tradidit, aliorumq́; anteceſſorum noſtrorum. Et ut hæc noſtræ confirmationis auctoritas rata & inconvulſa permaneat, hanc paginam inde conſcriptam manu propria roborantes ſigilli noſtri impreſſione iuſſimus inſigniri, Signum Domini Henrici quarti Regis. Sigebertus Cancellarius vice Sigefridi Archicancellarij recognovi. Data ſexto Nonas Maij, Anno Dominicæ incarnationis 1064. Indictione ſecunda. Anno autem ordinationis Domini Henrici quarti Regis nono, regni vero octavo. Actum VVerede in Dei nomine feliciter, Amen.*

Hactenus diploma Regum, quod apud Wilhelmum Hedam in Wilhelmo 21. Epiſcopo ad verbum deſcriptum & impreſſum extat, ex quo manifeſte liquet Adelboldi Epiſcopi patientia & quam inique ab Hollandis incuſetur ſuperbæ & ambitionis, quod ob tam multa ablata tandem ad ea recuperanda ſe converteret. Interea ille audit Friſius & ob Friſiorum ingenium, Principibus infeſtus quod toties apud Ianum Douſam vel filium ejus inculcatur, ut me pudeat incivilitatis, cum uterq; fateatur eo tempore totam regionem à Neomago deſcendentem in originales Friſios uno nomine Friſiæ fuiſſe denominatam ut & eodem vitio quo Friſii laboraſſe dici poſſent, præſertim, ſi inſpicias Theodorici Comitis mores, qui ſuum patronum ſine

ſine cauſa oppugnaverit & bonis indebito ſpoliaverit ut ex hoc diplomate & aliis ſupra allegatis eſt videre. Sed valeant iſta antiquæ ſimultatis veſtigia, ſepeliantur cum ſuis auctoribus.

Impetrato & accepto hoc diplomate reſtitutionis Epiſcopus Wilhelmus vir ſagax ac induſtrius Godefridum Lotharingiæ Ducem cognomento Gibboſum, ſibi adſciſcit defenſorem & fiduciario jure Hollandiæ Comitatum commendat: Robertum cum uxore & liberis, propellere deſtinat. Conſcripto igitur maximo exercitu cum Robertus anno 1071. in ceteriores Friſios pugnaſſet, circa Leidam Wilhelmus Epiſcopus & Dux Godefridus armati ipſi occurrunt & acerrimo commiſſo prælio victoriam nanciſcuntur: Robertus fortunæ cedens cum uxore liberis & privignis in Flandriam contendit, ibique fortune melioris auſpiciis uſus, fraternum Comitatum paulatim acquirit & Hollandiam Theodorico quinto privigno ſuo recuperandam deſerit. Victores, ut ſibi Comitatus occupati uſum firmarent & ſecuriorem redderent. Epiſcopus quidem arcem Iſelmundam à fundamẽtis excitat: Dux vero Civitatem condit: quam mure & arce firmant, à poſteris Delphos appellatam, eamque inter duos pagos Rijſvicum & Ouderſcheam collocat.

*1071.* *Wilhelmus Epiſcopus & Godefridus Gibber Robertum pellunt.*

Sed & Godefridus dum in Friſios ducere parat, Alcmariam ingreſſus, ab illis ibidem obſidetur hebdomadas novem: verum à Wilhelmo Epiſcopo miſſis ſubſidiis in tempore liberatur. Vnde animo in Friſios exacerbatus, non multo poſt in eoſdem ducit & ſuæ ditioni ſubjicit. Cum autem annos quatuor Godefridus Hollandiæ præfuiſſet, anno 1075. Antwerpiæ alvum exonerans à ſicario in tenebris in ano vulnus accipit, ex quo ductus Trajectum quinto Kalendis Martii, vivendi finem facit: Wilhelmus quoque Epiſcopus 21. eodem anno quinto Kalend. Maii cum ſediſ-

*Hollandi potiuntur.*

*Mortuus 1075.*

ſediſſet annos viginti unum, ad ſuperos migrat & arcem I-ſelmundam Conrado ſucceſſori perficiendam relinquit. unde iterum apparet eos aperte falli, qui Adelboldum E-piſcopum in ea Arce captivum fuiſſe temere affirmant.

At Conradus natione Suevus, ſecundus & viceſimus Epiſcopus Trajectenſis, Henrici quinti nutritus, ut ait Beca, ſedem nactus, diligentem operam dedit, ut Iſelmun-dam turribus, propugnaculis ac militum præſidiis muni-ret, ut adverſus Hollandos eam tenere & tueri poſſet: ve-rum aliter Deo viſum fuit, qui ſuperbis & ſupra vocatio-nem ſuam vagantibus libenter ſolet reſiſtere: bona qui-dem Eccleſiæ Vltrajectinæ injuſte invaſerat Theodoricus tertius, Hollandiam tamen juſto poſſidebat titulo, nec quic-quam Iuris in eam Epiſcopus habebat · utrumque tamen Epiſcopus ſpecie donationis & reſtitutionis occupabat & verum hæredem excludere conabatur.

Interea Robertus tutor in Flandria confirmatus, opes ſuas privigno impendere poterat & pupillis ejus plenam prope pubertatem attingebat, uterque ſedulus & gnavus & ſuarum rerum ſatagens morte Godefridi & Wilhelmi co-gnita, duobus inimicis ſublatis, uni ſe pares fore arbitran-tur. Itaque anno 1076. exercitum comparant, quam poſ-ſunt maximum; cum illo in Hollandiam trajiciunt, occu-pant & ſuæ ditionis commiſſa pugna volentem faciunt. Cum autem Conradus Epiſcopus prælio ſuperatus reſi-ſtere amplius eorum armis nequiret, ſe Iſelmundæ inclu-dit & à Theodorico Comite confeſtim in ea obſidetur a-criter. Cum autem & primo congreſſu cum Hollandis multos ſuorum Procerum in prælio amiſiſſet & jam cer-neret Acrimoniam Ducum atque militum, qui Arcem ob-ſidebant & machinis quotidie oppugnabant, eſſe tantam, ut ipſe inde ſine deditione evadere non poſſet, ad pactiones neceſſi-

neceſſitate coactus Epiſcopus deſcendit & reſtituta Hollandia & Iſelmunda in manus Theodorici Comitis reſignata ad ſuos Trajectum abire permittitur incolumis, una cum omnibus qui illo bello capti fuerant: & quidem ſine lytro. perierant autem à parte Epiſcopi jam antea in pugna, multi utriuſque ordinis præclari viri: inter quos à Beca numerantur Gerlacus Comes Zutphanienſis, Lambertus Daventrienſis Archidiaconus, Wolmarus S. Bonifacii Presbyter, equites denique Giſelbertus & Wereboldus.

*Hollandia cum Iſelmunda reſtituitur Theodorico Comiti.*

Theodoricus vero Comes, hanc inſignem adeptus victoriam ad pacis artes ſe convertit: uxorem ducit Othildam Ludolphi Saxoniæ Ducis filiam & ex ea hæredes ſuſcipit. Quod autem aliqui recentiorum ſcribunt ipſum extemplo duxiſſe in Friſios & eoſdem duobus in glacie præliis ſuperaſſe; id equidem quia antiqui rerum Hollandicarum Scriptores nullam ea de re mentionem faciunt, inter reliqua Iohannis Gerbrandi Carmelitæ commenta reponendum puto, etiamſi & Ianus Douza & Vbbo Emmius id ut hiſtoriam recenſeant: quorum alioqui magnum apud me eſt judicium cum judicium adhibent.

Primus hic Theodoricus quintus nomen Friſii majoribus ſuis uſurpatum omiſit & Comes Hollandienſis audire voluit: ut ex diplomate apparet, quod Abbati Egmondano de Comitum donis & liberalitatibus anno Dominicæ incarnationis 1683. indictione ſexta, coram populi multitudine in Flaerdinga publicitus conceſſit, in hunc qui ſequitur modum:

*In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Theodoricus, Dei gratia Hollandienſium*

Hollandiæ Principũ donationes in Egmondam.

*Comes, reputans mecum incertos caſus humanæ fragilitatis, decrevi juſtis petitionibus aſſenſum præbere, ut divinam miſericordiam in illo diſtricto examine placabilem merear habere: Quapropter notum ſit omnibus, tam præſentibus, quàm futuris Chriſti fidelibus, quod Stephanus bonæ memoriæ Abbas Egmondenſis Eccleſiæ quaſdam auctoritates donationum detulit manſuetudini noſtræ, qualiter piiſsimi Comites anteceſſores noſtri ex propriis poſſeſsionibus & à Regibus jure hæreditario ſuſceptis, eandem Eccleſiam Dei conſtruxerunt, ditaverunt & honoraverunt.*

Theodoricus I.

*Theodoricus Frater VValgeri, cum legitima coniuge ſua Geva imprimis ligneam conſtruxit ibi Eccleſiam, inſtituens ſanctimonialium vitam, & offerens Deo ad eundem locum in Frando manſos novem. In Alckmere duos manſos, In Callinge medietatem totius poſſeſſionis.*

Theodoricus 2.

*Theodoricus ſecundus prædicti filius, cum Hildegarda cõniuge ſua conſtruxit ex lapidibus*

*magno*

magno ſumptu Eccleſiam, removens inde ſanctimoniales fœminas et inſtituens Monachicam vitam. Obtulit & ipſe ad eundem locum in Scagen ſex manſos, in Haregen undecim manſos & quartam partem manſus. In VVimmen manſum & dimidium & ab eodem manſu uſque in Heram omnem terram cultam & incultam, & in agris et paſcuis Eccleſiam Heilgalo. In Alckmare omne theloneum, in eodem manſos duos & dimidium. In Linobam manſus ſeptem & dimidium & Snutam manſus duos, Bathem manſus tres, in Ordobolla manſus duos, in Thole manſum unum, in Obbingen manſum unum, in Hemſtede manſum unum, in Velſen ſex manſus & Altare eiuſdem Eccleſiæ à nona uſque ad nonam in feſtivitate S. Agathæ, iuxta flumen Bameſtram, manſum unum inter rivulum Sculingheke & Hureſtede manſus quatuor una cum piſcatione, in Forenholte Eccleſiam cum decimatione: in Saxonem Eccleſiam cum decimatione.

Ornata ergo bonis moribus uxor prædicti Comitis Hildegarda, venerabilis obtulit & ipſa Hildegardis.

*Deo ſanctoque Adelberto tabulam Altaris fabricatam, auro claro, gemmiſque precioſis, Textum EVangeliorum etiam auro, gemmiſque decoratum, Hiſtoriam, id eſt, Medicinalem librum.*

Egbertus. *Egbertus nominati Comitis filius, Dei gratia, Treverica Eccleſiæ Archiepiſcopus, honoravit eundem locum Egmondenſem, offerens Deo Sanctóque Adelberto crucem auream, Caſulam precioſam, Stolam pulcherrimam, Cingulum auro intextum, Dalmaticam, Subtile, miſſale, Capitulare, Hiſtoriam Vetus Novúmque Teſtamentum continentem, multóſque alios libros, Scrinium argenteum plenum reliquiis Sanctorum.*

Arnulphus. *Arnulphus Comes, cum condigna uxore ſua Lutgara obtulit ad prædictum locum in Thoſa manſus duos, in Caſterchem duos manſus & quartam partem unius, in Velſen tres manſus & unum agrum, in Saxnem dimidium manſum, in Forenpolte tres manſus, in Nongha manſus quinque, in Lopſen manſus novem. Iuxta*

flumen

*flumen Maerne manſus et quartam partem unius, in villa Bergan ab occidente Rheni poſita tres manſus, Eccleſiam Flardinga cum decimatione terræ, inter flumen Matlinge & rivulum Turlede qui vocatur Harga.*

*Theodoricus tertius prædicti Arnulphi filius cum coniuge ſua Othilhildis obtulit Sancto Adelberto in Rademburgh quatuor manſis decem libras ſingulis annis ſolventes, in Rademburgherbroecke terram ſedecim uncias ſolventem, in VValduanne venna terram ſedecim uncias ſolventem.* Theodoricus

*Sifridus cognomēto Sicco, prædicti frater Theodorici dedit S. Adelberto pro animæ ſuæ remedio, terram ſuper Goeſt nominatam Northorpe, Sunthem, ad Giringerland, Hildebrandſland, Smirdingerland quinq; fiertelen, in Lantoſmade, in Ackerſlote duodecim libras, in Bames duas libras.* Sifridus.

*Florentius tertij Theodorici filius cum bonæ memoriæ uxore ſua Gertrude obtulit ad ſupra-* Florentius.

*dictum locum, terram in Eſcmundelf quinque libras & unciam ſolventem, in Buſchuba manſus triginta duos, in Stervvijck manſus viginti octo uncias ſolventem. Iuxta Delf decem manſus, ex alia parte Delf novem manſus.*

Theodoricus. *Hujus Florentij fui ego quartus Theodoricus quem humiliter deprecatus prædictus Abbas Stephanus, ut pro amore Dei & reverentia S. Adelberti renovarem & confirmarem auctoritate mea, omnia prædeceſſorum meorum dona ad Egmondenſem Eccleſiam pertinentia: cujus petitioni libenter aſſenſum præbui, & ſummæ charitatis auctoritate cõfirmavit, ut omnia ſupra dicta libertate teneat, poſſideatq́; prædicta Eccleſia & à terra VVimmeroſvetha uſque in Heram, quæ eſt videlicet ejuſdem Eccleſiæ, nullus mortalium audeat placitum habere ſine Abbatis permiſſione, vel iniuſte aliquid inde decerpere hominéſque eiuſdem Eccleſiæ in toto Comitatu noſtro ſine theloneo eſſe, nulluſq́; debeat os opprimere, ſed ſint ſub Abbatis poteſtate & cum Cauſidico (id eſt Advocato) ſuo placitum habeat ipſe. Quid ſi aliquis ex ijs, qui ex parentibus*

*tibus ſuis iuſte pertinet ad prædictum locum negare & contradicere voluerit, liceat memorato Abbati ſuiſq; ſucceſſoribus cum Advocato ſuo illum tenere & ad Iuſtitiam trahere in cuiuſcunque miniſterio ſit. Similiter faciat de reditibus ſuis, quicunque ſedet ſuper terram prædictæ Eccleſiæ & non vult ſolvere, quod debeat juſte, Advocatus Abbatis intret domum illius et tantum de rebus accipiat, quantum debet ille, ſine alicuius Iudicis contradictione.*

*Si quis vero quod futurum non credimus, noſtrorum vel extraneorum hanc libertatem Eccleſiæ infringere, iram Dei et omnium Sanctorum incurrat, et hoc quod nititur nunquam perficere valeat, ſed cum Iuda traditore Domini et Diabolo et angelis eius in die iudicij et cum his quorum vermis non morietur et ignis non extinguetur, partem poſsideat. Qui autem hoc noſtrum conſervaverint præceptum, gloriam et honorem et benedictionem percipiat à Domino et miſericordiam conſequantur et gratiam inveniant in auxilio oportuno. Vt autem iſtius noſtræ conceſsionis auctoritas ſtabilis et*

*lis et inconvulſa permaneat omni tempore, hanc chartam conſcribi fecimus et benevolentiæ dilectioniſque noſtræ ſigillo corroborari. Huius rei teſtes ſunt Dominus Abbas Stephanus, Florentius & Ancelmus Presbyteri; Laici Adelbertus Heremannus filius Popponis, Engelbertus Stataloech, Traſmo Adalium Caſtellanus, tres Germani Gerbrandus Isbrandus Guntvvachar, Dodo de Rijſvvijck, Tidart Thiqaldt, Thigart Blanchardt alijque quamplurimi. Eodem die coram eiſdem teſtibus mutuavi contra S. Adelbertum novem manſis in Maeſlandt à Schiepleda (nunc Schipluyden) in Moſam et VVeſterbricam, tres manſis à Moſa in Vronemſtale Dans cenſum in Ackmera octo librarum ſingulis annis. Inſuper precante et adjuvante Otbelhilda uxore mea dilectiſſima conceſſi Abbati Stephano ſuiſq; ſucceſſoribus Iudiciariam poteſtatem quæ Ambocht vocatur, tenere.*

*Actum hoc eſt publice in Flardinga coram populi multitudine. Anno Dominicæ incarnationis 1083. Indictione ſexta, regnante quarto Henrico viceſimo Anno Imperij ſui Conradi Traiectenſis Eccleſiæ Epiſcopi anno Epiſcopatus*

*ſui*

*ſui octavo. Domini Stephani abbatis vigeſimo sexto, suscepti paſtoralis officij die septimo Kal. Aug.*

Hactenus Diploma; ex quo diſcimus Theodoricum ejus nominis quintum (quamvis hic quartus appelletur) primum aſſumpſiſſe titulum Comitis Hollandienſis, cum antea uſitatum eſſet ſola nomina ſine titulis apponere. Cauſa hujus mutationis ex eo videtur emanaſſe quod Hēricus quartus Imperator Hollandiam ſpecifice inter rapinas Theodorico abſtuliſſet & in Guilhelmum Epiſcopum Vltrajectenſem tranſtuliſſet, qui ultra illam Godefrido Gibboſo dederat in Feudum: ut eo modo ignominiam veterem aboleret, de ea recuperata titulum præferens. Conradus enim Epiſcopus ad Iſelmundam victus Hollandiam Theodorico ut propriam ditionem reſtituit, & juri ſuo in eum perpetuo renunciavit. Deinde ex eodem diplomate cognoſcimus, Theodoricum Comitem fuiſſe fratrem Waltgarii quod nunquam alibi quam in donationum inſtrumentis invenias. Waltgarius autem à Reginone Gerolphi filius appellatur, ut ad annū 898. eſt videre, quēadmodum & nos ſupra ſcripſimus. Donationes quoque in eo commemoratæ ſingulares divitias, & potentiam Comitum ſubindicant, quandoquidem illæ in diverſis locis ſitæ Comitatus amplitudinem oſtendunt: omnes tamen intra Hollandos & Kennemaros continentur: & non tantum ex eorum patrimonio, ſed ex Regum liberalitate promanarunt, quemadmodum diploma confitetur. Nomina quoque conjugum, quas Comites duxerunt, hic certa ſunt, & controverſiam non merentur aliam niſi ut earum genus explicetur, quod nos ut putamus, ſupra bona fide præſtitimus.

Anno autem 1086. Henrici quarti Cæſaris propinquus

1086. Egbertus Marchio Friſiam occupat.

atque adeo etiam ejuſdem æmulus Egbertus Marchio non quidem Brandeburgenſis, qui nullus tum erat, ſed Turingiæ vel Saxoniæ ( nam utrumque dicitur ) cum Epiſcopi Wilhelmi militiam jam antea adverſus Hollandiæ Comitis ſecutus eſſet, ingentem collegit exercitum, & cum eo in Friſiam quæ Flevum inter & Lavicam jacet, deſcendit eamque non valde repugnantem ſuæ ditioni adjecit: quod eo facilius conſecutus eſt, quod Imperator Bello à Saxonibus & Turingis appetitus, & à Pontifice Vrbano ſecundo vexatus ad Friſiam tum reſpicere non potuit. Egbertus ſane Friſiæ poſſeſſionem ultra biennium non retinuit. Nam & Henricus Cæſar eam interea Conrado Epiſcopo Trajectenſi donat, & Egbertum in molẽdino quodam requieſcentem ab equitibus ſuis trucidari curat, ſed & Conradus donationis ejus fratrem non percepit diuturnum: donatio enim facta ſcribitur anno 1088. die ſeptimo Iduum Februarii. Conradus autem necatus in ſuo cubiculo anno vertente ad diem 14. menſis Aprilis. Quo anno & Egbertus Marchio eſt occiſus.

Quod autem Theodoricus Hollandiæ Comes ſe his actionibus immiſcuerit, aut oppoſuerit, nuſquam apud auctores legitur: quod ſine dubio feciſſet, ſi tam præclaram victoriam de Friſiis reportaſſet, ut aretalogi de ea temere apud Hollandos ſcriptum reliquerunt. Vixit autem poſt hanc donationem Theodoricus Comes ultra biennium. Mortuus enim eſt anno demum 1091. cum Hollandiam annos quindecim in pace gubernaſſet. Succeſſit ei in Comitatu Hollandiæ Florentius ſecundus cognomento craſſus Princeps ob humanitatem, & placidos mores inſigniter commendatus.

1091. Thodoricꝰ quintus moritur.

Cũ Henricus quartus Imperator Hẽrico patri ſuccederet, fides & Iuſtitia pari modo in regno florebant: pax ubiq; colebatur

lebatur. Mater Agnes virilis ingenii fœmina, diligens ejus cuſtos erat. At poſtquam ille adhuc puer è ſinu matris abſtractus in procerum eſſe poteſtate cœpit, eorum libidini & monitis plerumque temere obſecutus, iiſdem quęſtui fuit. Cum vero eô ætatis eſſet progreſſus, ut inter turpe & honeſtum diſcrimen, quod eſſet intelligeret, cæpit ipſe plurima eorum, quæ in pueritia geſſerat damnare & ad rectæ rationis amiſſim prudenter emendare: Imprimis vero regno leges, & jura reſtituere, & ab omnibus obedientiam poſtulare debitam. Henrici quarti infortunia & res geſtæ.

Ea commutatio cum ſubditos morum improbitate diſſolutos male haberet, tum præcipue Saxones eo dementiæ impulit, ut cum ſuo Rege bello ſæpius contenderent, nec prius quieſcerent, quàm ut ſæpius ab illo victi deditione facta in alienas terras traducti, cuſtodibus committerentur. Illa re illi magis irritati, quam domiti, ratione facta nonnullos Lombardorum, Francorum, Bavarorum atque Suevorum ſibi adjunxerunt, & uno conſenſu Regem ſuum quem Bello non poterant, calumniis apud Pontificem Romanum opprimere conati ſunt.

Sedebat tum Romæ Hillebrandus verſo nomine dictus Gregorius ſeptimus, natione Hetruſcus, patria Senenſis, homo ſuperbus, & inauditæ audaciæ. Is anno 1076. Henricum Imperatorem literis Romam vocat, ut Saxonum accuſationi reſpondeat, & Imperio cedat. Imperator eô ſuos Legatos mittit, qui eum excuſent, ſed inauditi cum contumelia Vrbe ejiciuntur. Hinc Synodo congregata Imperator Papam Wormaciæ propter veneficia, & alia ſcelera Pontificatu indignum, & ab eo removendum pronunciat. Pontifex contraria Synodo Romam caput Mundi affirmat, & ſuæ poteſtatis ait eſſe Imperatorem conſtituere. Deinde magna viritim diſtributa pecunia, crimina

Imperatoris exaggerat ut maximum illi odium comparet: inde Imperatorem inauditum excommunicat & ab Imperio removeri jubet: Principes ac Subditos ab ejus obedientia abſolvit, eaque de re in omnes Provincias diploma tranſmittit. Interim Saxones ab eo deſciſcunt: Principes de eo deponendo Triburiæ Comitia celebrant & tandem concludunt Imperatorium negotium Auguſtæ eſſe tractandum, arbitrio Papæ Romani.

Imperator re ſecum deliberata menſe Decembri cum conjuge, & filio iter in Italiam ſuſcipit, ut à Papa inimico abſolutionem impetret. Eam tandem anno ſit ſequenti die 28. Ianuarii poſt tridui inediam, & frigus Canuſſii accipit cum juraſſet ſe in omnibus Pontifici conceſſurum: Interim nihilominus Germaniæ Papa mandat principibus, ut, ſi vellent, alium Imperatorem eligant. Principes autem Forcheniæ congregati Henricum ſubito repudiant. Eligunt Rodulphum Sueviæ Ducem: cui Papæ coronam mittit cum inſcriptione: Petra dedit Petro, Petrus diadema Rodulpho. Coronatur à Moguntino Dominica lætare 26. Martii.

Rodulphus Sueviæ dux eligitur Rex à Germanis

Imperator rediturus in Germaniam in Alpibus ab hoſte impeditur, viam per Carinthiam invenit. Rodulphum Ducem Suevia pellit: qui ad Saxones fugit & eorum auxilio Wirtzeburbum obſidet, & capit, ſed ea paulo poſt ab Imperatore exuitur. Imperator anno ſequentibus cum Rudolpho varie pugnat, tandem in Miſnia apud Eliſtrum fluvium eum vincit, amputata dextra, qua fidem Imperatori juraverat. Mortuo Rodulpho Imperator Italiam ingreditur, omnia feliciſſime ſibi ſubjicit, Romam veſpera Pentecoſtes obſidit, ſed relata obſidione Ravennam divertit, exercitum in loca vicina diſtribuit & omnia circa Romam vaſta facit.

Interea

Interea Suevi atque Saxones Hermannum Luxemburgenſem eligunt Regem. Imperator ex Longobardia reverſus die ſecũdo Iunii Romã capit. Papa in caſtrum S. Angeli fugit, inde per Robertum Normannum menſe demum Novembri educitur. Imperator Wicbertum quondam Ravennæ Epiſcopum, qui ſe Clementem tertium appellaverat, Romæ Pontificem conſtituit. Inde arma convertit in Normannos, eoſque in Apulia ſibi ſubjicit. Romam reverſus Clemente tertio Pontifice, ſolemniter conſecratur. In Germaniam redit, & Conradum filium Italiæ præficit; Gerſtungi in Thuringia Synodum agit: in ea Cõradus Epiſcopus ad Rhenum Trajectenſis copioſe adhortatur Imperii ordines ad pacem, & multis oſtendit Henrico Imperatori factam injuriam. 1082. Hermannus Lucemburg à Saxonibus Rex eligitur.

Interea Hildebrandus Gregorius Papa moritur, animi mœrore confectus. Tum Cardinales contra Tertium Clementem Victorem tertium eligunt, qui acriter Imperatoris partes oppugnat: hic paulo poſt moritur, & Vrbanum ſecundum habet ſucceſſorem: qui acta Hildebrandi iterum confirmat, & Clemẽtem tertium anathemate ferit. In Germania Epiſcopi Moguntiæ cum Principibus conveniunt, & communi conſenſu Papam Vrbanum ſecundum pronunciant ſacrilegum, & Romana ſede indignum. Gregorius ſeptimus papa moritur.

Hermannus Luxemburgius à Saxonibus Rex electus à fœmina ſaxo perimitur. Egbertus Saxoniæ Marchio cum Imperatore in gratiam redit, ſed paulo poſt fidem iterum fallit. Imperator illum bello perſequitur & in mola quadam apud Numburgum trucidari facit. Hinc Italis iterum turbantibus Imperator in Italiam proficiſcitur, & ſeptennium ibidem manet. Expugnat Mantuam, Florentiam atque alias Vrbes complures. Vrbani Papæ præſidia, ipſumque Vrbanum Italia pellit. 1086. 1089. Hẽricus Imp. Vrbanum Italia pellit.

Anno ſupra Milleſimum nonageſimo quinto Vrbanus
1095. Papa apud Claromontẽ in Arvernia Galliæ cõcilium Principum, & Epiſcoporũ agit, in quo decernit Eccleſiam ab omni Regum ſervitute liberam, ideoq́ue inveſtituram ab eis accipiendã non eſſe: acta Hildebrandi Papæ confirmat: Regem Galliæ Philippũ propter pellicem anathemate percutit. Deinde menſe Novembri prolixam inſtituit cohortationem ad omnes Europæ Principes ad terram ſanctam recuperandam, perſuadetq́ue quam plurimis, ut eo fine à ſe accipiant rubram de lana crucem, quam ſcapulis affigant. Inter eos tunc erant Hugo magnus Philippi Regis frater, Godofridus Lotharingiæ Dux; & fratres ejus Balduinus & Euſtatius: Robertus Dux Normannorum: Robertus Comes Flandriæ, Raymondus Comes Tholoſanus, Boemundus Rogerii Apuliæ Ducis frater, & alii viri nobiles & potentes ſine numero. Tantus hujus expeditionis amor mortales repente invaſit, ut urbes atque agri propemodum ab Incolis desererentur.

Ejus fama cum in Friſiam delata eſſet, Friſii quoque magno præ cæteris numero crucem ſacram ſuſcepere, inter quos eminebant viri nobiles, qui militiam ſecuti nomen ſuum factis egregiis pro Chriſti Eccleſia ejuſque glo-
1096. ria extendere ſatagebant. Diverſis autem agminibus cruce ſignati in terram ſanctam profecti ſunt, multis in itinere afflicti calumnitatibus atque periculis. Conſtantinopoli cum Alexio Imperatore fœdus percutiunt, hac conditione, ut præterquam Hieroſolymam, omnes Vrbes, quas occuparent, Imperio orientali reſtituerent. Alexius contra ipſos juvaret opera, conſilio, & commeatibus. Hinc primo vere ſequentis anni motis caſtris venerunt
1097. Nicomediam, inde Nicæam die 15. May obſident, eamq́ue demum 28. Iunij deditione capiunt. Ibi numeratus eſt

eſt exercitus: inventáque ſunt peditum ſexcenta millia: equitum vero loricatorum centum millia.

Nicæa capta exercitus in duos diviſus: Itali,& Normanni à ſiniſtris iter ingrediuntur: reliqui à dextris. Primo die menſis Iulij Boemundus Appulus auxilio Ducis Godifridi Solymannum Turcam vincit occiſis hoſtium quadraginta millibus: ea re moti Turcæ urbes,& munitiones deſerunt: Chriſtiani recta pergunt; Ciliciam extemplo occupant: inde in Syriam ac Meſopotamiam tranſeunt. Edeſſa cupide noſtros admittit, & ſe Balduino dedit. Inde recollecto exercitu Antiochiam properant, eamque die 18 Octobris arcta obſidione circumdant, conjurántque neminem niſi confecto bello in Europam rediturum,& tandem poſt multam famem diverſáque prælia die tertio Iunii proditione civis Antiocheni capiunt: cum annis quatuor decim in Saracenorum poteſtate fuiſſet.

Triduo poſt captam Antiochiam Dux Perſarum Corborannus cum infinitis copiis eveſtigio adeſt, noſtros in urbe exhauſta rurſus obſidet: ibi tum multi paſſi miſerabilem famem jusjurandum militiæ,& religioni datum,temere negligunt,& ſe in fugam dant: reliqui vero qui manſerant, eruptione facta Perſas vincunt,occiſis in acie eorum centum,& ultra,millibus. Boemundus Antiochiam retinet propterea, quod Alexius Imperator, ut debuerat, commeatum & arma non ſubminiſtraverat. Inde Godefridus & reliqui Duces terras in Aſia longe latéque occupant; decimo Aprilis Paſca celebrant ad Tripolim: viceſimo nono May Pentecoſtem ad Cæſariam Philippi: ſexto autem Iunii Hieroſolymam obſidione cingunt: quæ capta demum die decima quinta Iulii feria ſexta. Primus murum occupat Dux Godefridus: eum cum militibus ſecuti ſunt, cæteri: ingreſſi internecione occidunt Saracenos 1099. Hæroſolyma capiuntur.

nos

nos,& quiſque militum, quam domum occupat [ita enim convenerat ] in perpetuum ſibi retinet. Die autem viceſimo ſecundo Iulii eligunt Regem Godefridum. Cæterum cum Deo gratias egiſſent ingentes Epiſcopoſque conſtituiſſent, ad ſua redeunt: Boemundus Antiochiam, Balduinus Edeſſam, Comes Tholoſanus Seleuciam, Taucredus Tiberiadem : reliqui in Europam.

Nob. Frisii in Pal.

In hac Sacra expeditione fuerunt illo tempore etiam multi Friſii, tam Nobiles, quam plebei, qui in recuperanda terra ſancta fidelem operam præ cæteris nationibus ſedulo præſtiterunt. Inter Nobiles majorum gentium nominatim in Annalibus recenſetur, Tjepko Fortemannus, Iarichus Ludigmannus, Epo Hardmannus, Igo à Galama, Fecco Botnia, Eelcko & Sicco à Lyauckama agnati, & Obboko Hermana Heſſeli filius. Hi cum Petro Eremita iter ingreſſi in Nicæa ſuperanda ſe viros fortes ſupra modum, & toti exercitui ſpectabiles exhibuerunt. Verum enimvero ex iis Eelcko Lyauckama, Epo Hardmannus & Tjepko Fortemannus durante obſidione ab hoſtibus circumventi & cæſi, honeſtam ſui memoriam apud poſteros in literis reliquerunt. In Tjepkone etiam gentem Fortemannicam tum finem ſuum apud Friſios accepiſſe ex fama eſt notum. At reliqui multis & variis defuncti periculis tandem ad ſuos cum gloria ſunt reverſi incolumes. Eelcko autem à Lyauckama, & Focco à Botnia fratres inter ſe jurati adeo in re militari excelluerunt, ut ad ordines promoti, ſinguli ter mille equites generoſe duxerint, & ab omnibus laudem & decus promeruerint: Lyauckama etiam Niceæ præſidio cum ſuis deſtinatus, apud Principes eam dignitatem ſit deprecatus & in terram ſanctam proficiſci maluerit ad pugnandum, quam illic apud Nicæam in ocio vivere. Quamobrem & is in Hieroſolymæ oppugnatione lethaliter vulneratus vix poſt longam curam ſani-

tati

tate eſt reſtitutus: dum & Bornia in eadem expugnatione dejectus, in terram poſtridie inter mortuorum cadavera à miniſtro Lauckaniæ ſemianimis repertus ejus ſtudio à morte conſervatus eſt: principibus eoſdem quotidie viſitantibus, & chirurgis ſuis eorum curam diligẽter inculcãtibus. Eorum egregia facta, quæ in occupanda Hieroſolyma perpetrarunt, fidem omnem, ſi referantur, longe ſuperant, & hoc tantummodo meruerint, ut poſt valetudinem recuperatam uterque inter equites auratos à Rege Godefrido ſit accenſus publicitus.

Dum hæc in Paleſtina & Syria à cruce ſignatis ad Chriſti, & Eccleſię gloriam amplificandam ſtudioſè geruntur: interea Henricus quartus Imperator in Italia & Germania cum pontificibus Romanis varie certat. Etiam cum filio ſuo Conrado litem habet pernicialem. Conradus enim Italiæ à patre præfectus, poſt factam ab illo in Germania pacem perſuaſus ab Italis parenti ſe temere opponit, Vrbanũ papam ab Imperatore Italia ejectum reſtituit. Clementem Papam deponit, & Rogerij Apuliæ ducis filiam ducit uxorem. Quamobrem iratus Imperator comitijs Coloniæ Agrippinę celebratis Conradum filium abdicat, & proſcribit & Henricum filium alterũ, cum juraſſet ſe patri fidẽ fore, regem eligit. Eodẽ anno quo hæc & ſuperiora acta ſunt Vrbanus Papa moritur decimo quinto Auguſti cum ſediſſet annos undecem, menſes quatuor & dies octodecem. Succedit ei Paſcalis ejus nominis ſecũdus bellator ſtrenuus & in turbanda Germania nulli ſecundus.

Conradus Henrici Imperatoris filius in patrem, proſcribitur.

1100.

Vrbanus Papa moritur.

Anno autẽ ſequenti Godefridus Hieroſolyme Rex primus decimo octavo Iulij e vita migrat: ipſi poſt tres menſes eligitur ſucceſſor Balduinus frater, Dux Edeſſanus. Eodem tempore & Clemens tertius Papa moritur: ei ſucce-

dit Theodoricus, quo poſt tres menſes in monaſterium
1101. Ceſſat ſciſma inter Papas. relegato, ſurrogatur Sylveſter Tertius: cum autem & hic
ſequenti anno mortuus eſſet, ceſſat ſciſma pontificum,
quod viginti annis & amplius duraverat.

Nobilium aliquot Friſorũ in terram ſanctã peregrinatio.

Regnante autem Balduino Godefridi fratre quatuor viri nobiles è Friſia ſtudiorum cauſſa in Italiam profecti videlicet Homno Hemminga, Godefridus Roorda, Sixtus Camminga, & Tzalingus Valerius ab Ockinga communi conſenſu ita in terram ſanctam inſtituunt & bonis avibus citra periculum eò perveniunt. Illis autem portam Hieroſolymitanem ingredientibus, forte fortuna occurrit Wilcko Iaerſma famulus & ſcriba Aelckonis à Lyauckama. Is adventum ipſorum hilari animo & vultu gratulatus, eos deducit in diverſorium domini ſui Aelckonis prędicti, qui tum abſens cũ Botnia apud Regem prandebat. finito autẽ prãdio Wilcko Iaerſma ſuo domino in itinere mendicat quos & quales domi ſuæ eſſet amicos atque Hoſpites inventurus. ea re audita Lyauckama tanto ſtatim perfuſus eſt gaudio, ut in animi diliquum caderet, & paulatim reparatis viribus vix ad eos pedetentim ambulando perveniret. Poſtquam autem in conſpectum mutuum veniunt, tanta ſunt congreſſi inter ſe cum hilaritate & benevolentia ut literis eam exæquare nequeam. Cum autem biduum ce colloquendo Iucunde tranſigiſſent atque hoc Rex Balduinus fando inaudiſſet, ſubiraſci viſus eſt quod tantum ſuum gaudium majeſtatem ſuam tam diu cælaviſſent Itaque poſtridie omnes illos ſex Friſios ad prandium vocari juſſit, atque ibi inter cibos atque pocula mirum in modum de ſuſcepto itinere majeſtas ſua congratulata omnem benevolentiam ipſis regifice offert, ſi apud ipſam aliquandiu manere velint. quod quidem ipſis tum jucundiſſimum auditu fuit. Octiduo poſt cum omnes illi iterum ad regem ſe conferrent, ab eo ſunt ſuſcepti

cepti valde humaniter: tum colloquio dato Aelcko Lyaukama ſuorum amicorum regi cauſſam aperit & quid ab eo petant, reverenter indicat. Quod ubi Rex intellexit, ſine mora ejus in ſuam militiam recipit aſsignatis ſtipendijs quæ officijs digna erant & convenientia. Itaque & inde apud regem illi manent, & interea tot & tanta cum Saracenis ineunt certamina atque prælia ut ea admirari potius, quam enarrare queas quemadmodum de ijs ſcriptum reliquit prædictus Wilcko Iaerſma, Elckemi à Lyauckama famulus & ſcriba.

Cum autem ſex hi viri Friſij quinquennio exacto à Rege Balduino miſsionem obnixè poſtularent, obtinuerunt quidem illam, ſed ægre & cum conditionem ut promitterent ſe aliquando ad ipſum redituros. Quamobrem ãno 1106 à Rege miſsi & militaribus ab eo donis & honeſto cõmeatu prolixe munerati ſunt dieque duodecimo Auguſti iter verſus Europam ingreſsi decimo quarto decembris Roma etiam luſtrata, in Friſiam appulere ſani & incolumis, multis ubique honoribus ab omnibus patriæ ordinibus excepti & domum deducti.

Anno autem vertente Elco Lyaukama pœnitentia ductus quod Regem Balduinum reliquiſſet Hieroſolymis, in ægritudinem incidit, qua indies ingraveſcente quodammodo attenuari & conſumi videbatur. Et ſane periculoſe admodum cum ea conflictabatur donec Feico Botnia animũ reſtituit promittens ſecum ipſo Hieroſolymam repetiturum. Hoc promiſſo ille refectus cum Feicone Botnia, Epone Lyaukama fratris ſui filio, Watzone Herema Godefrido Roorda viam in Paleſtinam ingreditur. Cum autem Venetias veniſſet & Godefridus Roorda morte involutus ibidem cũ Watzone Herema manet: tres reliqui iter ſuum navigio perſequuntur, Interea & Lyauckama in egritudinem recidit, quã tandem Ioppa

Ilcko Lyauckama Ioppa moritur.

potitus in ipſo portu quaſi fatali loco extinguitur. Cadaver ejus Hieroſolymam magno ſumptu & pompa Deportatum ibidem tumulatur, funus proſequente & ipſo Rege & aulæ ejus proceribus. Feico autem Botnia, & Epo Lyanckama hac peregrinatione defuncti dolore amiſsi ſocij, & propinqui ſui perculſi menſe exacto domum repetunt & Venetias advecti ab hoſpite ſuo intelligunt Heremam & Roordam poſt menſem ex quo ipſi ab ijs deceſſerant, in Friſiam revertiſſe ſanos & incolumes. Ea re paulatim recreati & ipſi ſtatim in patriam & fœliciter eo deveniũt, gratiſsimis animis ab omnibus excepti reduces.

Anno autem 1102. Paſcalis Papa concilio convocato Hildebrandi, & Vrbani pontificum acta confirmat, & Henricum Imperatorem iterum diris perſequitur. Hinc quidam Epiſcopi Henrico Imperatoris filio perſuadent, neminem bona conſciẽtia cum patre excommunicato converſari poſſe, eumque de invadendo regno cohortantur, ne ſi id parenti publice abrogetur à pontifice aut principibus, in alium excluſo filio transferatur. Perſuaſus hoc modo filius bellum in patrem parricidiale commovet ipſumque promiſsis perjurijs deceptum Engelhemi propè Moguntiam captivum fere tenet.

Anno autem ſequenti epiſcopi ac principes Germaniæ Henricum quartum ab Imperio deponunt. Moguntinus, Colonienſis, & Wormacienſis epiſcopi regalia ornamento ipſi detrahunt, & filium Henricum quartum ijſdẽ exornant. Interim pater à Duce Henrico Lotharingo Coloniam & inde Leodium deducitur. Epiſcopus Leodienſis ipſum honorifice ſuſcipit, & defendere adverſus, vim ingruentem parat, filius hoc reſciſcens iter Leodium inſtituit ut ibi cum patre paſca celebret: deprecatur inſtitutum filij pater ſed incaſſum. Itaque cum filius patri inſtare

ſtaret & niſi illo ſublato ſe incolumem eſſe poſſe non credit, in incidias dum armis Leodium tentat, incidit & magna cum ſtrage urbe propellitur & Coloniam fugit: ſed nec ibi recipitur: Itaq; apud Bonnam paſca tranſigit illo peracto Coloniã obſidet: ſed nihil moliẽdo proficit. Interea pater Hẽricus quartus die Auguſti ſeptimo è vita in cœlũ migrat, cadaver apud Lamberti cœnobium tumulatur, ſed juſſu filij è loco ſacro in profanum deportatur & tandem poſt quinquennium Spiræ à filio ſepulchro conditur. Rexerat is Imperium Romanum annos quadraginta novem, menſes duos & dies tres variè à Papis excommunicatus. Succeſſit ei filius Henricus quintus ut & ſupra vidimus.

Eodem anno Henricus Craſſus Ottonis Bavariæ ducis filius Northemij Comes expeditionem in Friſios Tranſamaſanos inſtituit, ut ijs primum domitis in Transflenanos moveret, quos ſocer ejus Egbertus Saxoniæ marchio jam antea ſuæ ditionis armata manu fecerat. Sed res ei parum ſucceſſit ex ſententia. Etſi eum & amicos ſibi paraſſet ad eam rẽ neceſſarios & jam ab eis eo eſſet traductus, ut omne periculum evaſiſſe putaretur, nemine illi in itinere occurrente aut moleſtiam exhibente: tamen cum ad Nordam oppidum appropinquaret, viros fortes è tota illa parte friſiæ ſimul congregatos invenit, qui ipſum uligines & paludes ingreſsũ cum toto exercitu internecione cecide runt & ulteriorem expeditionem omittere coëgerunt. 1105. Henricus Craſſus apud Nordã cæditur.

In Amelandia friſiæ inſula jam olim friſiorum deaſter mars colebatur ſub foſtæ nomine & quamvis Idolum eſſet ſublatum & locus ejus in monaſterium converſeus, mãſerat tamen monaſterio nomen antiquum ut Foſtewaert aut per contractionem Foſweerdt diceretur. Id monaſterum cum à virginibus Deo dicatis inhabitaretur & quoti- 1109 Foſwerdia ex Amelande trãſlata in Friſiam.

die

dic prædonum & piratarũ incurſionibus infeſtum eſſet, anno domini ejus ſeculi nono ab Amia Amelandia domina ex inſula in continẽtem friſiæ eſt translatum, ut ſanctimoniales à nebulonibus tutæ Deo ferventius inſervirent: Et quamvis Betaniæ nomen in conſecratione, dum transfertur, accepit, vulgi tamen conſuetudine antiquum nomen retinuit, ut & hic Foſcewardia nuncuparetur aleretque ſanctimoniales ſub Abbate nominatiſſimo ordinis benedictini.

1100. Groninga efflorefcẽs raprimitur

Poſtero anno Groninga civitas cœpit aliquo modo caput ſuum erigere: Hactenus enim ſepto ligneo, ut vicus aliquis, uſa, nunc vallum jecit, muros ſtruxit, portas adaptavit, foſſas depreſsit, & ſe illo pręſidio ita firmavit, ut veræ civitatis & munitæ ſpeciem exhiberet. Cum autem eſſet ſita in extremis Drentiæ finibus & ejuſdem juriſdictioni obnoxia, majoreſque ſpiritus ſolito gereret, poſt annos duodecim à Gundeboldo epiſcopo ultrajectino, homine Friſio, in cujus clientela tunc Drentia & Groninga erant, juſſa eſt nova illa opera demoliri, & inſuper, Iuramento cavere, ſe tale quid impoſterum injuſſu Epiſcopi Trajectenſis non attentaturam. Sic repreſſà quidem tum civitatis fortuna fuit: emerſit tamen poſtea in hanc molem, quam hodie videmus, nequicquam vicinis æmulatione & invidia ringentibus. Deus enim eſt qui ædificat & nemo eſt qui reſiſtat manui ejus.

Henricus quĩtus Imp in Italiam vadit.

Eodem anno menſe Auguſto Henricus quintus Imperator in Italiam proficiſcitur: Comites habet Itineris pro captu ſeculi non minus viros doctos, quam fortes utriuſque militiæ gnaros, Circa quadrageſimam ex Lombardia Romam verſus movet & multo labore aſperitates montiũ exſuperat: Nuntios de ſuo adventu ad Papam præmittit. Paſcalis ſecundus qui tum ſedebat in Petri cathedra, gratulatur

tulatur adventum ſi Eccleſiæ Romanæ Inveſtituram clericorum permittat. Ipſe promittit ſe facturum quod jure poſſet atque eo modo Romę cum Magna ſolennitate recipitur. Vbi autem Rex Henricus ad coronationem deducitur, ibi ab eo exigit Papa ut inveſtituris publice renunciet. Negat Henricus ſe facturum, quod in fraudem Imperij cedat. Contenditur primum verbis, mox ad verbera deventum: Imperator periculo ferme opprimitur, verum ipſo ſe explicat: Papam captivũ abducit Cives Romanos irruentes in Tiberim propellit & cædit, muros urbis diruit eoquePapam adigit ut concedat Imperatori jus antiquum conferendi Epiſcopatus & Abbatias. Romã huic reverſus die 13. Aprilis coronatur Auguſtus, Inde in Germaniam redit patremque Henricũ quartum magna ceremonia deductum Leodico, Spiræ ſepelit. Coronatur Auguſt. die 13. Aprilis anno.

Poſtero anno paſcalis Papa factũ ſuum revocat & Concilio lateranenſi Imperatorem anathemate percutit ſubditiſque ab ejus obedientia abſolvit: totam eo modo Germaniam turbans. Hinc Imperator contra principes rebelles arma induit & vario marte cum illis pugnat. Anno autem decimo ſexto poſt milleſimũ ac centeſimum paſcalis Papa die ſexto Martij Romæ ſynodum cogit, iterum Imperatorem excommunicat: Imperator ea re percepta in Italiam proficiſcitur armis experturus, quod precibus & legibus impetrare non poteſt. Papa in Apuliam fugit & Rogerium ducem ſuppetias rogat. Et tandem biennio poſt moritur. Ei Calixtus ſecundus ſurrogatur neglecto imperatoris judicio. Imperator alium eligit Gregorium octavum, quem Calixtus capit & contumelioſe tractatum in Caſſinenſe Monaſterium relegat. Inde concilium celebrat, in quo Hillebrandi Papæ decreta in Imperatores Germanicos confirmat & ſacerdotum conjugia cum illo damnat. Biennio vertente Calixtus iterum conſilium Remis 1118. Paſcalis ſecũdus papa moritur.

in.

in Gallia habet: In eo decernit Papam à nemine judicari debere: Legatū mittit in Germaniam, qui ubiq; epiſcopos pos cogat & excommunicationem Imperatoris urgeat. Hac violentia coactus Imperator inducias petit: Conciliū pocerum wormatiæ convocat & 23. ſeptembris Pax inter ipſum & pontificem concluditur. Papæ omne jus inveſtituræ permiſſum: Cæſari conceſſum ut electio epiſcoporum atque Abbatum in ejus præſentia fiat: & tam epiſcopi
1122. quam Abbates regalia per ſceptrum ab Imperatore recipiant. Sic pontificum ſatiata eſt pertinax ambitio quæ toti mundo hactenus funeſta fuerat.

Pax inter Papam & Imperatorē

Præerat hoc tempore Hollandis Florentius ſecundus cognomento Craſſus ſive pinguis. Hic quamvis Friſijs libenter imperaſſet, & ob id eoſdem legationibus quotidie fatigaret, nullū tamen bellū in eos geſſit memoria dignum: Incidit tamen cū nobili viro Galone Igonis filio à Galama Friſio in litē ob ſylvā Creilā inter Enchuſam atque Stauriam jam olim florentem ac famoſam. Galo enim ſilvam illam ſuam eſſe contendebat ut ægre ferebat Comitem in ea ſe invito venari. Cùm igitur aliquando Comes Galonis venatores in ſilva caſu fortuito obvies haberet & ipſe quem ſilvam iſtam ſui juris exiſtimaret, venatoribus & prædam & canes venaticos ademiſſet: Galo hanc injuriam æquo animo ferre & concoquere non potuit: Quamobrem & juravit, ſe eam vindicaturum, etiam cum vita periculo & bonorum. Quę verba tanquam nimas inanes ad ſe relata Comes quidem tum contempſit, ſed Galo ſerio prolocutus occaſionem deprehendendi in ſilva Comitis obſervabat.

Lis ob ſilvā Creiliam.

J. Galema

1119. Cum igitur anno hujus ſæculi decimo nono Comes florentius craſſus in ſilva Creylia contemptis Galonis minariis quodam die venationi inſtaret, ſupervenit Galo cū amicis & clientibus ſuis, ſtatimque Comitem ira fervidus compellat, ut injuriam ſuperioribus diebus illatam & damnū datum in præda & canibus ſarciat aut ſe propria

manu

manu in ipſum vindicias capturum quibus verbis commotus Comes Galonem incivilitatis reprehendit: verum eveſtigio ſubjicit Galo: Non ero Friſius ingenuus, ſi meum patrimonium contra te non defendam, ſimul impetu facto Comitē in dextro brachio vulnerat; occiſurus haud dubiè, niſi ictum gladii ſuo corpore declinaſſet Comes: & miniſtri ejus ſubito intercurriſsēt: ex quibus etiam duo eodem tempore interrempti per tumultum perhibentur. ea res plurium calamitatum occaſionem præbuiſſet, niſi procerum induſtria quàm citiſſimè ad pacem fuiſſet traducta. Sed & fluviorum Pater oceanus paulatim ampleatis flevi fluminis oſtijs atque alveis omnem illam ſilvam ſuis aquis obruit, & univerſam litem inpoſterum ſuo arbitrio ſuſtulit ac terminavit, nominis tamen ejus memoriam reliquit in vado, quod inter Enchuſam atque Stauriam Hodieque nautis formidoloſum agnoſcitur, & vulgo die Kreyle appellatur. Kreyl.

Circa idem tempus Watzo ab Herema ſupra nominatus ſua oratione commovit Heſſelum Hermanum, Goffonem Roordam, Hommonem Hommingam, Watzonem Ockinganum, Tzalingi filium, & Sicconem à Camminga Friſios primariæ nobilitatis viros, ut videre terram ſanctā valde cuperent: quandoquidem de illa à Roorda, Camminga & Homminga jam antea multa inaudierant. Cùm igitur ſimul iter ingreſſi Venetias conveniſſent: ex voto illis commode accidit ut ibi navim paratam invenirent, quæ in Syriam eveſtigio ſolveret: qua proſpere vecti Ioppē paucis diebus obtinuerunt. Inde Hieroſolymam profecti, intelligunt Regem Balduinum, cui Homminga, Roorda & Camminga jam antea militaverant, diem ſuum objiſſe extremum, & nūc alterum regnare Balduinum priori cognominem & conſobrinum illum itaque adeunt & militiæ ſe adſcribi petunt atque ex templo impetrant.

Nobiles quidā Friſij in terrā ſanctā proficiſcuntur

Anno ſequenti Rex Balduinus in minori Aſia pugnam
1120. cum Turcis conſerit: in ea Watzo ab Herema & Hommo ab Homminga à Turcis occiduntur, quia nimis audaces & temerarii erant, dum ſtudent ſuę fortitudinis documenta exhibere publicitus. Paulo poſt hanc pugnam evenit: ut ipſe Rex Balduinus, cum multis nobilibus, qui ſub Ockinga & Camminga tendebant, à Parthis circumventi caperentur, & in Parthiam abducerentur captivi: ſed hi dato lytro non ita multo poſt redempti à Parthis in libertatem ſunt reſtituti. Interea & Roorda & Hermana ita vulneribus erant confecti ut pro deſperatis haberentur: qui tamē Deo proſperante valetudinem priſtinam recuperaverunt: & in patriam incolumes tandem ſunt reverſi.

Conſuetudo friſiorū de conjungendis cum Marte muſis.

Fuit hoc apud majores noſtros in more poſitum, ut adoleſcentes honeſto loco nati, tam plebei, quam nobiles: aut in ſtudiis bonarum artium aut in re militari ſe quotidie exercerēt aut plerumque utrumque ſimul inſtitutum conſectarentur ut & domi honeſte vivere & peregre idoneum habere viaticum poſſent. Foris enim cum eſſent, ſi inopia præmerentur in principum militiam ſe dabant & ex ea ſtudiis ſuis adjumentum petebant: Domi conſtituti propter eruditionem ad ſacerdotia & dignitates promovebantur: atque eo modo ſeminarium virtutis in Friſia nunquam deerat. Paucis hodie ea mens eſt, qui malunt ſua patrimonia extra patriam temere profundere quam de iis vel augendis, vel etiam retinendis, ſerio, vel ſemel cogitare. eô prolapſi ſunt mores ut nec bene monentes audiant ſi aliter ſentiant, quam voluptas & libido ſuadent. O ſæculum inſipiens & inficetum.

1122. Florentius craſſus Hollandiæ comes moritur.

Anno autem poſt milleſimum centeſimum viceſimo ſecundo Florentius Craſſus ſine pinguis Comes Hollandiæ octavus vitam cum morte commutat, cum Hollandiam,

pacificè

pacificè gubernaſſet annos triginta & unum. Huc uſque Ianus DouſaNorduici dominus annales Hollandiæ, quos proſa oratione admodum ſplendide pertexuit, ex animi ſententia perduxit & opus ſuum decem libris concluſit, meritus profectò dicendi genere & ſtilo ſummam & eximiam laudem. Nos vero aliquoties ejus ſcripta reprehendimus, non quidem carpendi ſtudio, ſed veritatis: què pleriſque in locis apud eum periclitatur inducti præcipuæ amore patriæ, quam ille quarumque data occaſione ad invidiam uſque temere laceravit & deturpare voluit, triumphum fere ſemper agens ante victoriam. Lector benevolus de utroque noſtrum iudicet, quod æquum eſt & veritati conſentaneum. Verum enimvero nos ad Hiſtoriam intermiſſam revertamur.

Igitur Florẽtio Comite mortuo ſuccedit filius Theodoricus ejus nominis ſextus, Hollandiæ Comes nonus. Is primis quidem temporibus cum Friſijs aliquandiu pacem coluit: verum animo parum ſyncero & candido ut poſtea apparuit. Interea Henricus Imperator matri ejus Petronellæ Bellum comminatur, atque quod petet ab illa impetrat: nec ita multo poſt in fata concedit. Anno enim 1125. die 23. May, cum imperaſſet annos octodecim menſes novem & dies quindecim, Trajecti ad Rhenum moritur: viſcera ejus ibidem terræ commendantur: at cadaver reliquum deportatur Spiram apud Nemetes. Principes Germaniæ die 24. Auguſti ei ſubſtituunt Luderum Saxonẽ poſtea dictum Lotharium, quem more ſolito die 13. Septembris aquiſgrani corona regia donant.

1125. Henricus moritur.

Anno autem 1128. Longævitatis exemplum Iohannes de Temporibus è vita migrat annum ætatis agens trecenteſimum ſexageſimum primum. dicebatur fuiſſe Caroli Magni Imperatoris armiger. Eodem anno die 9. Iduum

Novembris ad ſuperos migrat Godeboldus Epiſcopus Vltrajectinus : ſuccedit Andræas Cuicquius Epiſcopus viceſimus quintus.

Anno autem viceſimo nono poſt milleſimum atque cẽteſimum Lotharius Rex Germaniæ ſororis ſuæ Petronollæ filio Teodorico ſexto comiti Hollandiæ donat Friſiam TransRhenanam uſque in Lavicam amnem pertinentem, quam jam antea Henricus quartus Imperator in Conradũ Epiſcopũ Trajectenſem liberaliter cõtulerat, ex ea donatione multæ deinceps concertationes inter vicinos exortæ, Friſiis ſuam libertatem tuendi ac defendendi occaſionem & poteſtatem præbuerunt.

Anno autem ejus ſeculi trigeſimo die 17. Februarij Honorius Papa ejus nominis ſecundus in vivis eſſe deſinit: ſurrogatur ei Innocentius item ſecundus. Hic dum in Apulia contra Rogerium Bellum gerit ab hoſtibus in prælio capitur, & reliquo die in cuſtodia continetur. Interea in ejus locum eligitur Anacletus, qui tantum ſua pecunia efficit ut Innocentius etiam reſtitutus in Galliam propellatur. Andræas autem epiſcopus Vltrajectinus duodecim presbiteros ex cœnobio Staurienſi apud Friſios ob vitam, ac mores parum honeſtos loco movet, & totidem alios ex Oſterbroucka monaſterio ad Trajectum ſito illis ſubſtituit.

1131. Theodoricus Comes vveſtfriſios oppugnat in glacie.

Anno ſequenti Theodoricus Comes cum omnia gelu rigerent, & ambulandi per terras atque lacus copiam facerent, cum exercitu Alcmariam ingreditur, & ex ea belli ſedem facit ut Friſios Occidentales obruat, & ad ſui obedientiam reducat. Friſii vero ea re cognita non terrentur, nec pugnam detrectant. Bis in glacie cum eo uno die congrediuntur. Sed multitudine hoſtium oppreſſi multos ſuorum amittunt, qui aut in acie cæſi, aut in captivitatem ab-

ducti fuerunt. Quin & eorum regio incendio Vaſtata.

Erat autem tum temporis Comiti Hollandiæ frater nomine Florentius: Is à Matre, & Fratre neſcio ob quam cauſam diſſidens hac occaſione oblata ut fratri ſuo incõmodet ſe Friſiis ſocium adjungit, & ab illis gratiſſimis animis acceptus bello gerendo Dux præficitur. Itaque & cõfeſtim is Alcmarjam ex improviſo occupat, incendit ac ſolo æquat. Inde in Caninefates ducit, terram eorum ferre & igne Haerlemium uſque vaſtat, atque diripit. Fratris ſui arces & domicilia præcipuè deſtruit & terræ æquat. Anno vertente Lotharius Imperator horum fratrum inimicitiis ex relatione ſuorum cognitis, quoniam utriuſque avunculus erat, mittit ad eos ex ſua comitiva virum principem, qui eos reconciliet & in gratiam reducat. Is mandatum executus, fratres mutuę benevolentiæ reſtituit: Friſii bello liberantur.

Interea Rex Lotharius de Bernardo & Alberto Vrſo Marchione comitantibus magno cum exercitu in Italiam proficiſcitur: In itinere obvia quæque ad imperium pertinentia occupat præter Veronam, & Mediolanum Longobardi civitates: Innocentium Secundum pontificem Romanum ab Italia depulſum antea, in priſtinum ſuum locũ reſtituit: & ab eodem cum ſua uxore in Baſilica D. Petri coronatur.

Anno poſtero, qui erat 1135. ex Italia in Germaniam Lotharius Imperator revertitur: Conradum & Fredericũ Fratres ac Sueviæ duces, qui in ipſum rebellaverunt, in gratiam recipit. In Saxonia res turbatas componit, inde cõmitia habet Halberſtadij. Daniæ regem cum filio ut ſubditos Imperij in ſuam tutelam recipit. Venetorum & alio- 1134.
rum Italiæ populorum legatos de Rogerio Siciliæ rege cõ-

querentes benigne audit, poſcentibus auxilium promittit & confeſtim ſe itineri parat. Rogerium Appuliæ Regem vincit, & Italia cedentem in Siciliam pellit. In Appulia leges Romanas à Iuſtinianio in ordinem digeſtas reperit eaſque Piſanis eruit quæ inde Florentiam in bibliothecam Mediceam tranſlatæ adhuc religiosè illic aſſervantur. Irnerius Iuriſconſultus mandato Imperatoris eaſdem leges in ſcholas introducit & eas ex ijs interpretatur.

Sequenti anno cum Italiam bello liberaſſet Imperator, in Germaniam tendens prope Tridentum morbo corripitur & ſexto Decembris è vita diſcedit: ſepelitur in monaſterio Lutharia inter Helmæſtadium & Bruynſwikum Saxoniæ inferioris oppida.

Poſtero anno & Anacletus contra jnnocentium papa creatus, moritur: ſurrogatur ei victor quartus, qui poſt quintum menſem cedit & jnnocentio tranquillam ſedem efficit. Eodem Confluentiæ ad Rhenum & Moſellam conveniunt Imperii proceres eliguntque Regem Conradum Sueviæ Ducē jam antea Lotharij Imperatoris æmulum.

1138. Quinto autem Idus Apprilis ejuſdem anni indictione prima Conradus Imperator ejus nominis tertius Comitatum Friſiæ transflevanæ ab Hollandiæ Comitibus avocat ejuſdem ſubditos Oſtergomos Weſtergomoſque ſcilicet Andrææ Cucquio Epiſcopo Trajectenſi parere jubet. Donatio Coloniæ Agrippinæ in præſentia multorum Epiſcoporum atque Comitum facta, donatario nullam utilitatem attulit, utpote qui eodem anno ſit mortuus & circa 9. Kalen. Iulii terræ commendatus.

*Conradus totus imperator eligitur.*

Ei ſurrogatur Herbertus gente Friſius Biromi in parte Dongerdelea

Dongerdelea natus, vir acer & magnanimus. Is negotij cauſa Romã profectus, dum inde redit ad ſuos, audit Groningam civitatem in partes abijſſe, & in ea ſeditione inteſtina tumultuari, ob cauſſam neſcio quam. Duos enim præfectos, qui cives & terram Imperio tenebant diſcordes inter ſe ad arma provolaſſe intelligebat: & Rodulphum quidem Coeverdiæ caſtellanũ occupaſſe fanum D. Walpurgis & tanquam arcem bene munitam illud gnaviter cõtra cives in urbe defendere ac tueri: contrà vero Egbertum Gronebergium oppidi prætorem cum reliquis ſuæ factionis civibus fanum illud viciſsim oppugnare, ſed armis parum proficere. Ea re comperta epiſcopus Herebertus cum copiis ad expeditionem idoneis trajecto movet, Gronobergio diſſipato fanum communitum ſtrenue oppugnat & tãdem etiam expugnat: Rudulphum captivum abducit & bonis multat, utrimque exauctorat & præfectura abducit: cives denique jurejurando adigit ſe in poſterum in pace victuros, nec unquam ex templo caſtra belli facturos vetat deinde ne civitatem ſine ſuo conſenſu muniant aut muro cingant: quod & juramento firmant.

Erant autem tũ temporis Hereberto epiſcopo fratres duo, quos ille libenter in alium gradum dignitatis promoveret, uti facere ii ſolent qui primum ex petente ad faſtigia contendunt. Itaque fratrem majori Leffardo Herebertus præfecturam urbis Groningę eruat: in minorem vero Rodulphum nomine confert, Trentam cum caſtello Cœverdiæ jubetque utrumque hoc ſuum beneficium jure fiduciario tenere & adhæredes traſmittere. Quamobrẽ recte ille quidem ſuæ familiæ primatim conſulit: reipublicæ vero magnum vulnus infligit dum quod publicũ eſt & Eccleſiæ proprium ad privatos uſus transfert: unde niſi bella & lites in poſterum ſecutæ, ut deinceps audiemus.

Iiſdem

Iiſdem diebus Otto Palatinus Comes, Bentheino profectus ferro & flamma graſſabatur in Twentiam: cujus detrimentum etiam in Herebertum Epiſcopum redundabat. Cùm vero copias Ottonis circumſpiceret epiſcopus eas ſuis viribus longe ſuperiores eſſe facile intelligit: ut tamen ſubditis ſubveniat ratio poſtulat. Adſciſcit igitur ſibi auxilio Hugonem Butirionem virum nobilem Iohannis Herculanei Principis Fratrem. Hic Hugo collecta quorundã equitum turma copias Ottonis ſtrenue invadit, milites ejus diſſipat, quoſdam occidit, quoſdam vero eorum ad ſilvarum latibula compellit, Ottonem ipſum in pugna capit & Trajectum abducit.

Ea re intellecta Theodoricus ejus nominis ſextus Hollãdiæ Comes Ottonẽ fratrem Sophiæ uxoris ſuæ ab Hereberto epiſcopo enixè repetit & niſi reſtituatur bellũ cõminatur. Epiſcopus reſtitutionem negat & extemplo à Comite Trajecti obſidione cingitur. Obſidione autem aliquandiu durante cum ſe minorem Comite cerneret Epiſcopus relictis humanis auxiliis ad divina tranſitum facit & in iis omne ſuum præſidium collocat. Cumque inter ſe Epiſcopus & Comes diem & locum pugnæ condixiſſent, Epiſcopus quidem veniente die civibus ſuis mãdat ne portis aut urbe exeant ſed ut taciti & obedientes pro muris excubias agant & belli eventum expectent: Ipſe non loricam nec ſcutum induit nec gladium lateri accingit: ſed ſacerdotum comitante ſatellitio, eos ſacras veſtes induere, cruces & labara præferre jubet & cum ijs longa ſerie pontificali veſte ornatus porta egreditur librũ tenens in manibus.

Hollandiæ Comes hoc conſpicatus agmen ad arma cõclamat, deceptus veſtum candore, qui arma ex longinquo ſimulabat: at ubi propius ventum eſt, perculſus rei novitate

te, quod Epiſcopus ipſum diris devotum veniret, nec arma alia, quam verbum, adferret, ipſe in ſe reverſus ad pedes Epiſcopi ſe projicit, iram deprecatur, pacem offert, & tandē oſculo pacis ab Epiſcopo in gratiam recipitur: Sic bellum ſopitum, captivus Otto libertati reſtitutus, & fædus Epiſcopum inter & Comitem ſerio percuſſum. Tantum tum valuit religio apud ſimplices atque credulos.

Anno autem ejus ſeculi quadrageſimo Theodoricus Comes Hollandiæ Hieroſolymam proficiſcitur, ut ſua peccata apud Domini ſepulchrum expiet. In reditu Romam viſit, pontificem ſalutat Reinsburgam à matre Petronella conditam, & Egmondam ditionis ſuæ monaſteria pontifici ſubjicit ut ejus mandato pareant: ac in patriam ſanus & incolumis revertitur. Anno autem quadrageſimo ſecunda civitas nunc imperialis ad Travam amnem ab Adolpho benefico Holſatiæ Comite Lubeca primū conditur.

Anno poſtero innocentius Papa cum ſediſſet annos tredecim menſes ſeptē & dies octo die 28. Septēbris ad ſuperos vadit: eodem die ei ſuccedit Celeſtinus ſecundus, qui poſt menſes quinque, & dies tredecim die 22. Martii ſucceſſorem accipit Lucium ſecundum patria Bononienſem. Hic dum populum Romanum ad ſua decreta revocat, & magiſtratum ab eo creatum abdicari vult in ſeditionem incidit, & ab ea lapide percuſſus die undecima Martii è vita abit, cum ſediſſet menſes undecim & novendecim dies. Surrogatur ei Romæ Abbas ad aquas Salvias Eugenius tertius poſtea dictus, divi Bernardi diſcipulus, ad quem is quinque libros de conſideratione exaravit.

Interea Herebertus Epiſcopus Vltrajectinus eccleſiæ ſuæ cauſam promovere ſatagit, antiquas principum dona-

tiones apud Conradum tertium Imperatorem confirmari facit, urget inſuper donationem Friſiæ Orientalis jam antea ab Imperatoribus eccleſiæ Trajectenſi,& nuper ab ipſo Conrado Rege Epiſcopo Andrææ Cucquio collatam. Omnium vero donationem, Lotharius Imperator non ita pridem retractaverat, placuit eam in judicium deduci, & ſuffragiis procerum determinari, ut major ejus eſſet auctoritas. Re itaque maturé deliberata anno eodem, indictione 8. die 15. Kal. Novemb. pronunciatum & declaratũ eſt. Comitatum Friſiæ Orientalis qui Oſtergomam & Weſtergomam complectitur ad eccleſiam Vltrajectinam pertinere, deinde & donationes antiquæ ſimul Hereberto Epiſcopo confirmantur: adjicitur & pœna mille librarum auri, ſi quis Eccleſiam Trajectenſem in ſua poſſeſsione turbet, & contra, quam ſcriptum eſt facit. Hanc renovationem atque confirmationem ipſe Rex Conradus tertius aurea ſua bulla & manu propria corroborat idque in præſentia multorum Epiſcoporum, atque Comitum. Res videtur ſeriò acta ſed tamen ultra calamum & chartam non proceſsit, ut ex ſequentibus liquet.

Eodem tempore Eugenius tertius Papa Romanis Chriſtianorum miſertus, qui in Syria paſſim à Barbaris oppreſſi ſub cruce lugebant, literas ad Ludovicum ſeptimum Galliæ regem reliquoſque ejus regni proceres emittit, quibus utroſque in Turcas & Saracenos hortatur, ut cruce ſignati in Syriam abeant, ſubventuri ibi Chriſtianis extreme periclitantibus. Idem facit D. Bernardus apud Conradum tertium Germaniæ Regem quem etiam ſua Oratione permovit ut crucem ſuſciperet. Exercitus regum per Germaniam & Pannoniam itinere facto in Thraciam pervenit indeque in Aſiam traductus ferro, fame, errore viarum hoſtium dolis maxima ex parte interiit: Nullum enim inquit Nicetas Chomata, mali genus fuit, quod Impera-

tor

tor conſtantinopolitanus Manuel non vel ipſe eis inferret, vel aliis inferendi autor eſſet ut eorũ poſteri perpetuis monumentis ab invadendis Græcis deterrerẽtur. Idem & Turcæ imitati ſunt Manuelis literis ad bellum Chriſtianis inferendum concitati. Itaque coacti reges cũ reliquis, in Syriam navigare Hieroſolimã ſalvi & incolumes adjuvante Rogerio Siciliæ Rege pervenerunt recreatiſque copiis rogati ab incolis una cum Balduino eorum Rege Damaſcum hoſtium urbem opulentiſſimam obſiderunt: ſed Aſſyrij cujuſdam conſilio, cui Rex Balduinus multum fidebat, cum caſtra in alteram urbis partem tranſtuliſſent & fame & ſiti oppreſſi obſidionem non ſine infamia ſolvere coacti ſunt. Sic duo potentiſsimi Europæ reges nulla rememorabili geſta, periculis ingentibus functi ſine gloria & lucro in Patriam claſſe revecti: Chriſtianorum in oriente miſerias ſuo diſceſsu fecere graviores, ut evenrus docuit.

Anno autem hujus ſeculi quinquageſimo die tertio Iduum Novembris Herebertus Epiſcopus Vltrajectinus ad ſuperos proficiſcitur, cum Eccleſiæ præfuiſſet Vltrajectinæ annos duodecem. Succeſſorẽ habet Hermannum Hornum Principem valde lenem & Cathedræ minus utilem. Anno ſequenti Gratianus Monachus, decretorum opus ex Pontificum ſcitis compilatum mundo proponit, atque publicat. Altero poſt quinquageſimum anno ejus ſeculi die decimo quinto Februarij Conradus Imperator Vambergæ mortẽ obit & in Lauriſſa ſepelitur. 1150 Herb. morit.

F I N I S.

Hollant . an ab Holle . quo capit Signũ

a Rusticis . ut sit Regio Capitalis . p. 87, 123, 166, 1

in aula Dei Stavonis Druides. Leovardia

Haso . vitho . p. 57 . Serapis - 60 Harco 81

Syrina . 92 . Sinerdg et occd . 239 .

Votus . 6 75

Frisiæ fines longinqui . P. 3 . p. 14 vide etiã . p. 65 et 68, 150

et p. 2 . p. 242 . quo loco Frisiæ descriptio .

[illegible] . a . 60, 92

Inundatio maris 157, 159. II 55, 78

Ao 1425 inventy in arce Adela nummy quisque
992 1 Douwo Reinalda cudit nummos aureos p. 155 b.
812 2 Ubbo Reynalda cudit monetam auream ao 812. Glima Julii Dekima Legato Cæsaris donavit 1494. occ: 75. a.
3 Saco Reinalda ...
1107 ... laudatus ob ... et potentis ... ultro ... mortis 1107. occo. p. 27. b.
4 Vilco Reynalda qui ... filium ... laudatus ao ... occo 27. b
1160 obiit. Cudit nummos aureos et argenteos ... occ: ib.
1179 obiit 5 Ofko R... laudatus ob eloquentiam ... Frisicam Latinam Italicam Francicam ... linguas ... 16 aos apud Pont. M. 5. apud Fred: Barb: Imp. ... Parisiis egerat 5 aos. occo. 28. a
1180 obiit 6 Hoyte Reynalda. affines Sibonis Haerda. notus in Germania ... propter ... militarem ... 20
7 Botto R... in pago ... occisus, quia ... praebuit. ... templi. 31. d
1232 ob. 
1314 8 Wybo R. peritus militiae principibus ... Hispaniis notus. 37. c

DJ
401
.F56
H2
1609
c.1
Bib Fid

4102809

12387

4r3690